43
3 G
19

- MAG 4670

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ORTU, ET PROGRESSU

CULTUS, AC FESTI

IMMACULATI CONCEPTUS

BEATÆ DEI GENITRICIS VIRGINIS MARIÆ,


AUCTORE

P. F. MARCO ANTONIO GRAVOIS,

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI,

Provinciæ Recollectorum S. Bernardini in Gallia Lectore Theologo, & Diſcalceatorum, ac eorumdem Recollectorum in Romana Curia olim Procuratore Generali.

EDITIO SECUNDA, PRIORE AUCTIOR, ET EMENDATIOR.



NUMISMA, QUOD AUCTOR PRÆSENTIS OPUSCULI ANNO 1742
ROMÆ CUDI CURAVIT AD SIGNUM AQUILÆ NIGRÆ.

LUCÆ MDCCLXIV.

Typis JOANNIS RICCOMINI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Pertinet ad Bibliothecam S. Francisci Corton.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS

DD. ANTIANIS

E T

VEXILLIFERO

SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ LUCENSIS.

Fr. Marcus Antonius Gravois
Ordinis Min. S. Franciſci.

PLurimis equidem, maximiſque de cauſis, Illustrissimi & Excellentissimi DD. id ſuſcepi conſilii, ut Volumen iſtud non ſumma profecto, qua par erat, elaboratum induſtria, ingenioque perfectum; at rerum pondere, & majeſtate graviſſimum, in quo de Cultus, quem ſemper Sanctiſſimæ Dei Genitrici, abſque originali labe

Digitized by Google

concepta, Eccleſia pia Mater adhibuit, origine, progreſſu, objectoque ſermo habetur, ſub fauſto EE. VV. omine, & auſpiciis in lucem ederetur. Ad id me primum impulit eximia in hanc Deiparæ Feſtivitatem excelſi animi veſtri religio, ſumma cum pietate conjuncta. Si enim Veſtræ, ſi Civium omnium, univerſæque Reipublicæ innumera, quæ undique occurrunt hujuſce pietatis, religioniſque veſtræ monumenta percurro; Vos profecto video reliquas inter Italiæ gentes, primas extitiſſe, quæ altitudinem hujuſce Myſterii venerandam ſuſciperent, retinerentque, ac cæteris miræ cujuſdam, ac Chriſtianæ ſollicitudinis gloriam præripuiſſent. Decimoquarto ineunte Sæculo Sanctiſſimæ Virgini nullis unquam reſperſæ maculis, ſolemnes poſuiſtis Aras; decimo vero ſexto plurimum in id contuliſtis ſolertiæ, ut per oppida, ac regiones, quæ veſtro parent imperio, præcipuus hic Cultus quam latiſſime augeretur in dies; decimo tandem ac ſeptimo, Dei Matrem Sanctiſſimam, hoc ipſo clareſcentem titulo, in Patronam Vobis, ac Cuſtodem adoptaſtis, ac peculiari demum S. C. Majores veſtri, ut recurrente hujuſce Feſtivitatis die quotannis DD. VV. in noſtra æde D. P. Franciſci, dum ſacra peraguntur, ſolemniter adeſſent, ſancitum eſſe

vo-

Digitized by Google

voluere. Ex quo profecto contigiſſe vidimus, ut, cum ad Regis exemplum tota Civitas conformetur, cuncti Lucenſium Ordines, hanc religioſiſſimi Principis imaginem ad imitandum, conſtanti, lubentique animo intuerentur.

Quid vero de comitate loquar, quid de facilitate, plurimiſque urbanitatis officiis, qua me exterum hominem, nullaque apud Vos commendatione laudatum, peramanter excipere non eſtis dedignati, atque complecti? Quid de liberali, atque munifica largitate, qua homines hujuſce mei Inſtituti ſemper proſecuti eſtis? Ampliſſima in eos beneficia tam ſæpe, tam effuſe collata; Cœnobia a fundamentis publico ære excitata; Templa egregio Suppellectili inſignita, maximam in D. Franciſci familiam Lucenſis Reipublicæ liberalitatem, & quæ vere Principem deceat, aperte teſtantur. Hæc, aliaque id genus quamplurima tanta ſunt, ut nulla prorſus ancipiti animus meus contentione diſtractus ſit, quin hanc Vobis humillimi obſequii, ac reverentiæ meæ ſignificationem exhiberem.

Quam opportuna modo ſeſe ferret occaſio, ut præclaras animi Veſtri dotes, ſingulareſque virtutes, quarum ornamento præditi eſtis, ac conſpicui, ora-

tione

Digitized by Google

tione commemorarem. At cum tantæ molis opus exiguas mei ingenii vires excederet, tum per ſe ubique terrarum compertum eſt, Cives ad ſupremos honorum gradus hac in Republica evectos, eos ſemper proculdubio eſſe, queis ſumma rerum ſalus tuto credi poſſit, atque committi. Hoc tantummodo dicam, quod, cum ſæpe a togatæ Prudentiæ Magiſtris, præſertim vero a præſtantiſſimo Comite DE TESSIN *in ſuis ad Juvenem Sueciæ Principem datis Epiſtolis accepiſſem oportere in eo, qui Principatus gloria fulget, ineſſe animum omni inſtructum virtute, qui ſecundis modeſte utatur rebus, non frangatur adverſis, non immodica lætitia geſtiat, non vitæ mollitie diffluat, non aliis imperet, niſi cum quomodo parendum ſit didicerit; debere Principem præterea improbos homines pœnarum metu coercere, ſapientes laude, præmiiſque locupletare; liberalem inſuper eſſe, juſtum, mitem, amicum, comitatem tueri, & facilem eſſe in convictu, diſciplinam, ac ſeveritatem ſine immanitate retinere, eſſe feſſis rebus præſidium, Patriæ decus, ac columen, religionis, legumque propugnatorem acerrimum, innumeriſque aliis pollere rebus, quarum cauſa Principatus undique amplitudo reſplendeat; hæc omnia, ut vera fatear, de Prin-*

cipe

Digitized by Google

cipe prædicari quidem exiſtimabam, vix tamen adduci poteram, ut iis reipſa eumdem ornari poſſe arbitrarer. Vix tamen ad hanc Urbem acceſſi, ampliſſimamque Rempublicam Veſtram propius ſpectare potui, quod in contrariam ſtatim abivi ſententiam; Sanctiſſimas enim leges intueor, quarum præſidio nefarii homines perditique a ſcelere revocantur; Ampliſſimi vero Cives, ſpe quadam gloriæ, famæque perennitatis ad omne virtutum genus excitantur; optimas conſuetudines, ac inſtituta Majorum contemplor, quibus incolumitati Patriæ difficili quovis tempore conſulere poſſitis.

Quæ cum ita ſint, nullus ambigendi locus relinquitur, quin maxima ſemper DD. VV. a Sanctiſſima Virginis Conceptione retulerint beneficia, & ſint inpoſterum relaturæ. Certe Philippus V. Hiſpaniarum Rex, ſuperata anno 1732. Orani arce, dum Clementem XII. de tam inſigni victoria certiorem faceret, teſtatus eſt, eam ſe Dei Matri abſque primi criminis macula genitæ acceptam retuliſſe. Pontifex autem ita reſcripſit. Te autem chariſſime in Chriſto Fili noſter, etiam, atque etiam hortamur, & poſcimus, ut ferventi iſto erga Cœlorum Reginam obſequio, cui

Ora-

Oranenſem Victoriam jure, ac merito refers acceptam, ejuſdem patrocinium ad Regnorum tuorum felicitatem demereri pergas. Si *Vos quoque, dum graviſſimo belli incendio toties flagraret Italia, imperii veſtri fines ferro, ignique prohibuiſtis, omniaque apud Vos pacata erant, atque tranquilla; ſi cum vel nimia ſiccitate areſcentibus agris, vel aſſiduis pluviis, fœdaque hieme amnibus redundantibus, ſumma impenderet annonæ caritas, humillimas veſtras ſupplicationes optati ſtatim imbres, vel ſubita Cœli ſerenitas conſecuta eſt; id totum Patronæ veſtræ amantiſſimæ arbitror tribuendum. Longe majora bona vobis, ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DD. polliceor; Futurum eſt enim, ut tanta fulti, ac muniti tutela, dulci ſemper, & tranquilla pace, firma, atque integerrima libertate perfruamini.*

PRO-

PROOEMIUM.

QUoſdam aliquando audivi, de immaculato glorioſiſſimæ Virginis Mariæ CONCEPTU, eodem fere modo his noſtris temporibus differentes, quo ducentis & amplius abhinc annis, peragere vix potuiſſent. Sacrum patenter impugnare Myſterium non audent, ſed ſtudioſos ejuſdem ſe fingentes, multo majus, crocodilinis ſuis argumentis, ei inferunt præjudicium, quam ſi aperto marte illud adorirentur. *Immaculatæ Conceptionis titulum* hodie inſectantur, ſpecioſo nixi fundamento, quod eo uti minime voluerint, nec Benedictus XIV., dum favore Myſterii Pontificiam ſtabilivit Cappellam; nec Clemens XI., cum diem octavum Decembris inter Feſtivos annumeravit. Cultus, & Feſti ejuſdem Sacri Myſterii verum, & genuinum Objectum altera die appetunt, Auditorum ſuorum animis callide inſtillantes, impoſſibile prorſus eſſe, quod Sancta Sedes *Immaculatæ Conceptionis Feſtum* omnibus celebrandum præcipiat, quotieſcumque Chriſtifidelibus libertatem relinquit, inquiunt, unam, vel alteram, ſuper hac materia, tenendi opinionem. Si fides his adhibeatur viris, nil aliud fecit Sixtus IV., nil aliud, Concilium Tridentinum, niſi omnibus inhibere, ne unam, vel alteram cenſuris inurerent Sententiam: Nil aliud Alexander VII., niſi Scotiſtis permittere, ut Deiparæ, ab Originali præſervatæ, Feſtum celebrent; Aliis vero, ut Conceptionem, pro eo inſtanti quo fuit Sanctificata venerentur; De Conceptione Beatiſſimæ Virginis eodem prorſus modo loquentes, & tractantes, ac ſi quid fuiſſet ſucceſſive peractum, quod peccato Originali contaminari primo potuiſſet, ac deinde ab eodem peccato ſucceſſive mundari; Cum tamen, in caſu de quo agitur, nil aliud per Conceptionem ab omnibus hodie intelligatur, quam creatio Animæ B. M. V., & ejus in Corpus infuſio, quæ eſt quid inſtantaneum, & indiviſibile, ac per varia inſtantia, vel tempora phyſica nullo modo commenſurabile. Deus enim Animam creando, eam infundit in Corpus, & infundendo creat. Ne autem per hæc, & ejuſdem furfuris plurima alia, incautos decipiant, vel de hac materia pa-

Digitized by Google

rum edoctos; præſens exaravi Opuſculum, cujus Summulam indicabunt ſequentes, tum Articulorum, tum & Summarii, ſeu Regeſti Documentorum Indices. Interim ſub oculis ſemper habere debemus, quod licet Beatiſſima Virgo, vel ejus Anima potuiſſet Peccatum Originale per aliquod tempus, vel inſtans primo contrahere, ac poſtea ab eodem ſucceſſive mundari, & Sanctificari; loquendo tamen de ejus Conceptione (quæ nil aliud eſt quam unio Animæ cum Corpore, ſeu infuſio Animæ in Corpus) vel fuit totaliter, & ſimpliciter inquinata, ſi tunc Anima contraxit Originale Peccatum; vel fuit totaliter, & ſimpliciter Sancta, ac Immaculata, ſi ab eo tunc fuit præſervata; & ut recte obſervat P. Campanella, Ordinis Prædicatorum, §. 227. videndus, *Conceptio non poteſt dici Sancta, quia poſtea Sanctificatur; non enim quod non amplius eſt poteſt Sanctificari*. Unde abſurdum eſt dicere, quod Conceptio poſſit vocari *Sancta*, ex eo quod, poſt peccatum contractum, fuerit Sanctificata. Non eſt enim ens permanens, quod poſſit primo peccatum contrahere, ac deinde ab eo mundari; & propter hoc, qui olim Præſervationem Beatiſſimæ Virginis a Peccato Originali negabant, Sanctificationis B. V. non vero Conceptionis ejus Feſtum celebrabant. Clare autem videbitur in præſenti Opuſculo, non adeo novum eſſe in Eccleſia Sacri noſtri Myſterii Feſtum, prout aliqui inſinuare vellent; & in eodem Feſto ſemper celebratam fuiſſe tam in Oriente, quam in Occidente Præſervationem Beatiſſimæ Virginis a peccato Originali, & Creationem ejus Animæ in gratia.

INDEX

INDEX ARTICULORUM.

Artic. 1. *De antiquitate, & Objecto Feſti Immaculatæ Conceptionis apud Græcos.*

Artic. 2. *De eodem Feſto in Hiſpania.*

Artic. 3. *De Revelatione, Sæculo undecimo, Abbati Elſino facta; & de Epiſtola Sancti Anſelmi, eam referente.*

Artic. 4. *De Feſtivitate Conceptionis B. M. V. in Anglia, Normannia, Flandria, & ubique fere terrarum, a tempore Sancti Anſelmi, uſque ad Concilium Baſileenſe.*

Artic. 5. *De Conciliis Baſileenſi, & Avenionenſi; ac de Academia Pariſienſi.*

Artic. 6. *De favoribus, piæ Sententiæ, & Feſtivitati immaculatæ Conceptionis, a tempore Sixti IV. uſque ad Concilium Trident. conceſſis.*

Artic. 7. *De peractis a Concilio Tridentino, favore Sacri Myſterii, & Cultus ejus: De Officio* Sicut lilium: *De Miſſa* Egredimini: *& de Breviariis, ac Miſſalibus, præſertim Romanis, a tempore Sixti IV., uſque ad Pium V. typis editis.*

Artic. 8. *De Pio V., Gregorio XIII., Paulo V., & Gregorio XV.*

Artic. 9. *De primis diſputationibus circa titulum* Immaculatæ, *tribuendum, vel denegandum* Conceptioni; *& de pluribus Brevibus, ac Decretis, poſt Cauſæ deciſionem, cum eodem titulo emanatis.*

Artic. 10. *De inſtantia facta Alexandro VII. pro obtinenda Conſtitutione, quæ incipit:* Sollicitudo.

Artic. 11. *De quibuſdam rebus, pro faciliori intelligentia Conſtitutionis Alexandri VII. inſervientibus.*

Artic. 12. *Analyſis Conſtitutionis Alexandri VII.*

Artic. 13. *De variis favoribus, poſt emanatam Alexandri VII. Conſtitutionem, a Sancta Sede, piæ Sententiæ præſtitis; & de Octava Feſti immaculatæ Conceptionis.*

Artic. 14. *Novæ inſurgunt oppoſitiones contra titulum* Immaculatæ, *tribuendum* Conceptioni.

Artic. 15. *Omnia Urbis Tribunalia in ſuis Decretis: Cardinales, Urbis Vicarii in ſuis Edictis; & Summi Pontifices in ſuis Conſtitutionibus, titulum* Immaculatæ Conceptionis *admittunt.*

Artic. 16. *Ab immemorabili tempore; inſtantibus, & præcipientibus Summis Pontificibus, in Scholis, & in Eccleſiis, tamquam Articulus Doctrinæ Chriſtianæ, ubique terrarum traditur, & docetur quod immaculata fuerit BB. Virginis Conceptio; & hoc cohærenter ad Sancti Auguſtini principia.*

Artic. 17. *Feſtum, a Clemente XI. anno 1708. univerſali Eccleſiæ præceptum, pro objecto habet BB. Virginem ab Originali peccato, in primo ſui creationis inſtanti præſervatam; ac proinde Sanctam, & immaculatam ejuſdem Conceptionem.*

Artic. 18. *Quænam fuerit Eminentiſſimorum Bellarmini, & Lambertini mens, ac ſententia ſuper Objecto Cultus, Sacro Myſterio exhibiti; & quid ſuper hac re ſenſerint etiam omnes fere Theologi.*

Artic. 19. *Quid cenſerent hodie Sancti Bernardus, Thomas, ac alii, qui olim contrarii fuerunt Cultui, qui exhibebatur BB. Virgini, a peccato Originali, in primo ſui creationis inſtanti præſervatæ.*

Artic. 20. *Quamplurimi Scriptis, aut factis docuerunt, laudabile eſſe, ſanguinem fundere, ac vitam pro tuenda immaculatæ Conceptionis Sententia. Quid ſentiebat Lampridius de Sacro Myſterio?*

Artic. ultimus. *Concluditur præſens Opuſculum; & plures narrantur gratiæ, invocata immaculata Deiparæ Virginis Mariæ Conceptione, a piis Chriſtifidelibus receptæ; cum nullæ inveniantur, ad invocationem* Beatiſſimæ Virginis mundatæ, *a Deo unquam conceſſæ.*

Appendix. *In Patronam Hiſpaniarum eligitur BB. Virgo, in Sacroſancto ejus immaculatæ Conceptionis Myſterio, & approbatur electio a SS. D. N. Clemente XIII., qui deinde Sereniſſimo Hiſpaniarum Regi concedit, ut in omnibus ſuis Regnis, & Dominiis, ab univerſo Clero Sæculari, & Regulari, quocumque modo licet exempto, recitentur Officium, quod incipit* Sicut Lilium; *& Miſſa, cujus initium* Egredimini, *prout recitantur a Franciſcanis. Quid ex hoc, favore Sacri Myſterii, in Hiſpaniis reſultet? Lucenſium pietas erga Sacrum Myſterium.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX SUMMARII,

Seu Regeſti Documentorum.

Num. 1. *E Piſtola S. Anſelmi, Revelationem Abb. Elſino factam referens.*

Num. 2. *Documenta probantia, antiquiſſimam eſſe, & nunquam interruptam, etiam extra Hiſpaniam, Conceptionis Feſtivitatem; quorum plura demonſtrant legitimitatem Revelationis, & Epiſtolæ, de quibus numero antecedenti.*

Num. 3. *Decretum Baſileenſe, favore immaculatæ Conceptionis.*

Num. 4. *Statutum Academiæ Pariſienſis.*

Num. 5. *Eorum Doctorum, & Theologorum Elenchus, qui aſſerunt, Baſileenſe Decretum, vel a Sancta Sede approbatum, vel ab Eccleſia receptum, & confirmatum; vel ubique terrarum executioni mandatum.*

Num. 6. *Miſſalia Romana, variis in locis ante tempora Pii V. edita, in quibus omnibus, ad diem* 8. *Decembris habetur Miſſa* Egredimini.

Num. 7. *Similia Breviaria Romana, in quibus habetur ad eamdem diem Officium* Sicut Lilium.

Num. 8. *Pius V. Fratribus Ordinis Minorum viva voce conceſſit, ut Officium* Sicut Lilium, *die Feſto Conceptionis, & per ejus Octavam recitarent.*

Num. 9. *Epiſtola Civitatis Hiſpalenſis, gratias agentis Gregorio XV., de Silentio, adverſæ Sententiæ impoſito.*

A. *Reſponſio Gregorii XV.*

Num. 10. *Paulus V. concedit Patribus Obſervantibus, ut Sabbatis non impeditis recitare valeant Officium Immaculatæ Conceptionis, quod incipit:* Sicut Lilium.

A. *Idem conceditur Patribus Conventualibus per Decretum Sacræ Congregationis Rituum.*

B. *Idem Patribus Capucinis.*

Num. 11. *Nomine Philippi IV., Regis Catholici, ſupplicatur Alexandro VII., ut prohibeat, ne impediatur impreſſio* tituli Immaculatæ Conceptionis.

Num. 12. *Epiſtola, de mandato Alexandri VII., Inquiſitori Faventiæ, a R. Commiſſario Sancti Officii ſcripta, ut imprimi permitteret* titulum Immaculatæ Conceptionis.

Num. 13. *Ab Alexandro VII. eriguntur, vel erectæ confirmantur Confraternitates ſub denominatione* Immaculatæ, & Puriſſimæ *Conceptionis.*

A. *Innocentius XI., & XII. ſimiles erigunt, vel approbant ſub titulo, & in honorem* Immaculatæ Conceptionis.

B. *Decreta, a Sac. Rit. Congregatione, tempore Alexandri VII. emanata cum titulo* Immaculatæ Conceptionis.

C. *Officium, Romæ typis editum anno* 1667. *cum eodem titulo*.

Num. 14. *Votum Regis, & totius Regni Portugalliæ defendendi immaculatam Conceptionem* uſque ad ſanguinis effuſionem; *& ejuſdem electio in Regni Patronam.*

A. *Votum Ferdinandi III. Imperatoris, Feſtum, etiam quoad forum,* immaculatæ Conceptionis *celebrandi.*

Num. 15. *Reſponſio Abbatis Hilarionis ad Animadverſiones factas contra formulam Conſtitutionis:* Sollicitudo.

A. *Aſſerit Abbas Hilario, & probat, Conſtitutiones Sixti IV. emanaſſe* in commendationem Cultus, *Sacro Myſterio exhibiti.*

B. *In Conſtitutione poſitum fuit:* poſt erecta ..... Religioſum Ordinem, & Confraternitates.

C. *Cur non fiat mentio de facultate, a Gregorio XV. conceſſa differendi inter ſe de ſua opinione?*

D. *Quid intelligatur per hæc verba:* Pios Chriſtifideles a ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando.

E. *Cur de Cultu, immaculatæ Conceptioni exhibito, dicatur in Conſtitutione:* In Eccleſia Romana nunquam immutato?

F. *Teneantur omnes Feſtum celebrare juxta piam Sententiam.*

Num. 16. *Ab Alexandro VII. approbatur erectio Confraternitatis* Triumphi *Conceptionis.*

A. *Ab eodem conceditur per Decretum Sac. Rit. Congregationis, ut anno* 1662. *Conceptionis Feſtum, quibuſdam in locis, ſpatio octo dierum, ſolemniter celebretur.*

B. *Concio Panormi habita, occaſione ſimilis Feſtivitatis.*

C. *Reginæ Magnæ Britanniæ, per Decretum Sac. Rit. Congregationis, concedit Clemens X., ut in ſua Regia Cappella, quolibet Sabbato, pauciſſimis exceptis, celebrari poſſit Miſſa votiva SS. Concept.*

Num. 17. *Procurator Generalis Conventualium Congregationi Sancti Officii recurrit contra quoſdam Inquiſitores, qui de novo* titulum Immaculatæ Conceptionis *imprimi nolebant.*

A. *Ab eadem Congregatione quærit Bononienſis Inquiſitor, utrum facultatem dare debeat quaſdam imprimendi Theſes, in quarum titulo afferebatur,* die 8. Decembris ſolemniter celebrari ab omnibus Chriſtifidelibus Feſtivitatem immaculatæ Conceptionis.

B. *Congregatio Sancti Officii reſpondet, nil contineri in dicto Theſium titulo Conſtitutionibus Apoſtolicis repugnans, ac proinde eas imprimi poſſe.*

C. *Epiſtola ſuper hoc, Inquiſitori Bononienſi ſcripta.*

Num. 18. *Novena, in honorem* immaculatæ Conceptionis, *a Congregatione Sancti Officii examinata, & approbata.*

Num. 19. *Innocentius XI. certum reddit Imperatorem, prohibitum non fuiſſe Officium Immaculatæ Conceptionis.* Sicut Lilium.

A. *Correctiones quæ factæ fuerunt in parvo Officio, antea prohibito.*

Num. 20. *Decreta, quibus Sacra Rit. Congregatio, ab anno* 1720. *uſque ad* 1746., *recitationem Officii Conceptionis, diebus Sabbatis non impeditis conceſſit, cum expreſſione* immaculatæ, *vel* SS. immaculatæ Conceptionis B. M. V.

A.

Digitized by Google

A. *Summi Pontifices*, *per Decreta dictæ Congregationis*, *eamdem conceſſerunt gratiam*, *& cum eiſdem expreſſionibus*.

B. *Eadem gratia* ſuo ritu duplici *Dominiis Cæſareæ Majeſtatis conceditur cum ſimili expreſſione*.

C. *Declarat Summus Pontifex*, *hujuſmodi gratias concedi*, ad magis promovendam devotionem erga immaculatam Conceptionem.

Num. 21. *Decreta*, *quibus conceditur licentia Miſſam cantatam* de immaculata, *vel* de SS. immaculata Conceptione *celebrandi*, *etiam Sabbatis Officio duplici impeditis*.

A. *Alia*, *quibus*, *cum eadem expreſſione*, *idem Officium ad ritum primæ Claſſis elevatum eſt*.

B. *Alia*, *quibus confirmatæ ſunt Electiones B. M. V. in Patronam*, *ſub ſpeciali titulo* immaculatæ Conceptionis.

C. *Alia*, *quibus conceſſum eſt Officium proprium immaculatæ Conceptionis*.

D. *Alia*, *favore immaculatæ Conceptionis emanata*.

E. *Excerpta e foliis*, *quæ Emin. Patribus Sac. Rit. Congregationis diſtribuuntur*, *prævie ad cujuslibet Congregationis celebrationem*.

F. *Quædam excerpta e foliis*, *quæ Emin. Patribus Sacræ Congregationis Concilii diſtribuuntur*.

Num. 22. *Benedictus XIII.*, *per Decretum Congregationis Indulgentiarum concedit*, *quod in Eccleſiis Conventualium Indulgentia plenaria acquiri poſſit* die Feſto Immaculatæ Conceptionis, *non obſtante Indulgentiarum ſuſpenſione*.

A. *Idem pro Eccleſiis Obſervantium*, *cum eadem expreſſione indulget*.

Num. 23. *Emin. Cardinales*, *Urbis Vicarii*, *in ſuis Edictis* titulum immaculatæ Conceptionis *admittunt*.

Num. 24. *Clemens VIII. approbat Libellum Doctrinæ Chriſtianæ a Card. Bellarmino in duas partes compoſitum*; *præcipit*, *ut in Urbe*, *& in ejus Diſtrictu adhibeatur*, *& omnes hortatur*, *ut ubique terrarum illum admittant*, *ac eo utantur*.

A. *Pars magna*, *ſeu copioſa in omnes fere linguas traducitur*, *etiam de mandato Summorum Pontificum*, *& Sac. Congreg. de Propaganda Fide*.

B. *Recipitur*, *& uſus ejus præcipitur in variis Conciliis*, *& Synodis*.

C. *Urbanus VIII. Indiarum Orientalium Miſſionariis injungit*, *ut Doctrinam Chriſtianam Bellarmini*, *parvam*, *& magnam* omnino *adhibeant*, *& in Linguas dictarum Nationum translatam*, *ſi fieri poſſit*, *imprimi curent*.

D. *Benedictus XIV. univerſæ Eccleſiæ enixe commendat*, *ut eadem ubique locorum adhibeatur*.

E. *Edicta bo. me. Card. Guadagni contra eos*, *qui Libellum Card. Bellarmini*, *ſine debitis licentiis*, *typis edebant*.

Num. 25. *Teſtatur Urbanus VIII.*, *& cum eo unanimiter Sancti Officii Congregatio*, *nil aliud peragendum remanere in Cauſa immaculatæ Conceptionis niſi vel quæſtionem deſinire*, *vel æquipollentia definitioni ſtatuere*.

Num. 26. *Clemens XI. præcipit*, *ut ubique terrarum celebretur Feſtivitas Conceptionis*.

Num. 27.

Num. 27. *Eorum Elenchus qui docent, quod Sancta Eccleſia tenet Sententiam immaculatæ Conceptionis, & juxta piam Sententiam, Conceptionis Feſtum celebrat.*

Num. 28. *Eorum Elenchus qui tenent, quod SS. Bernardus, Thomas, & alii, qui olim vel fuerunt contrarii, vel dubitative de Sancto Myſterio locuti ſunt, ſententiam mutarent, ſi hodie viverent.*

Num. 29. *Eorum Elenchus, qui vel defendunt, vel laudant Votum defendendi immaculatam Conceptionem, uſque ad ſanguinis effuſionem.*

Num. 30. *Breve Clementis XII. ad Philippum V., Catholicum Regem.*

Num. 31. *Confirmatur electio BB. Virginis in Patronam Hiſpaniarum, & Indiarum* in Sancto ejus immaculatæ Conceptionis Myſterio; *& omnibus, Regi Catholico Subditis* præcipitur, *ut eam, in eodem Myſterio, veluti Patronam venerentur, ejuſdemque Myſterii Feſtum ſub ritu duplici primæ Claſſis cum Octava celebrent.*

Num. 32. *Extenduntur ad univerſum Hiſpaniarum, & Indiarum Clerum, ſecularem, & regularem, & quomolibet exemptum, Officium* Sicut Lilium, *& Miſſa* Egredimini, *eodem prorſus modo quo a Franciſcanis recitantur, die Feſto immaculatæ Conceptionis, & per ejus Octavam.*

Num. 33. *In Litaniis BB. Virginis, Romæ, & ubique terrarum olim cantabatur:* Per immaculatam Conceptionem tuam libera nos, Domina.

Num. 34. *Paulus V., Gregorius XV., & Urbanus VIII. titulum* Immaculatæ Conceptionis *in ſuis Bullis ſparſim tribuebant Cappellis, Eccleſiis, Confraternitatibus, Monialibus &c.*

A. *Præcepit Urbanus VIII., ut Auctoritate Apoſtolica quædam erigerentur, & inſtituerentur Monaſteria ſub denominatione, & invocatione* Immaculatæ Conceptionis.

Num. 35. *Sancti, Beati, & Venerabiles Servi Dei, a tempore præſertim quo Summi Pontifices Sacro Myſterio favere cœperunt, immaculatam BB. Virginis Conceptionem coluerunt, tenuerunt, & pro viribus defenderunt.*

Num. 36. *Immaculatæ Conceptioni erigitur Lucæ Columna in Platea S. Franciſci; & BB. Virgo eligitur in Sereniſſimæ Reipublicæ Patronam, ſub invocatione ejuſdem immaculatæ Conceptionis.*

A. *Sac. Rit. Congregatio concedit, ut in erectionis Columnæ Solemnitate, die Dominica quinta poſt Pentecoſtem peragenda, cantari poſſit, in Eccleſia Sancti Franciſci, Miſſa propria SS. Conceptionis.*

Cen-

Digitized by Google

Cenſura R. A. P. Bernardini de Spalato, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Lectoris Jubilati, Ex-Provincialis, necnon Definitoris generalis.

MEnti, & voluntati Reverendiſſimi P. F. Clementis a Panormo, Ordinis noſtri Minorum Generalis Miniſtri obſecuturus, Librum, qui inſcribitur, *De Ortu, ac Progreſſu Cultus, & Feſti Immaculati Conceptus Beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ*, ab A. R. P. F. Marco Antonio Gravois ejuſdem Ordinis Recollectorum Lectore Theologo, atque ex-Procuratore generali exaratum attente perlegi, cogitatoque expendi. Quod faciens magna oblectatione, & voluptate perfuſum me ſenſi. Siquidem pius, ac doctus Auctor rem, quam aſſumit, tanta eruditionis copia, tot libratis, & ſeriis ponderationibus probat, firmat, illuſtrat, ut vix aliquid ultra exoptari queat. Cumque præterea nihil, quod Eccleſiæ Catholicæ Dogmatibus adverſum ſit, habeat; quinimmo omnia Decretis, Conſtitutionibus, ac Bullis Pontificum Romanorum conſona, eaque vel ad excitandam, vel potius ad augendam in cordibus Fidelium erga Immaculatum Beatæ Virginis Conceptum devotionem, pietatemque valida, & efficacia compererim; idcirco perdignum cenſeo, qui typis demandetur. Dat. Romæ ex Aracælitano Conventu die 2. Decembris an. 1761. =
Fr. Bernardinus de Spalato, Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus, Ex-Provincialis, necnon Definitor generalis Ordinis.

Alia R. A. P. Antonii Soteras, Regularis Obſervantiæ S. Franciſci Doctoris Cervarienſis, Sacræ Theologiæ Lectoris, & in Romana Curia Vice-Commiſſarii generalis.

LIbrum inſcriptum: *De Ortu, & Progreſſu Cultus, ac Feſti Immaculati Conceptus Beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Opuſculum, a R. A. P. F. Marco Antonio Gravois ex Ordine Minorum S. Franciſci Theologo, & in Romana Curia Diſcalceatorum, ac Recollectorum generali olim Procuratore*, jubente Reverendiſs. P. N. Clemente a Panormo, totius Seraphici Ordinis Miniſtro Generali, ea, qua par eſt, diligentia, accedente quoque incredibili animi voluptate perlegi, ut Cenſoris

ris partes implerem. Neque vero quidquam mihi hoc onere ſuavius, aut jucundius obtingere potuiſſe exiſtimabit, qui me Hiſpanum, Franciſcanum, Alumnum Complutenſis, Regiumque Cervarienſis Academiæ Profeſſorem obſervaverit. Quas ob cauſas jurato Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Cliens, & ad effuſionem cruoris, ſi Superi auſpicatam hanc mihi ſortem pararent, Aſſertor evaſi. Evolvendum nihilominus tamen, atque purgatis mentis oculis inſpiciendum hoc Scriptum ſuſcepi, in quo nec minimum quidem offendi, quod puritati Catholicæ Fidei adverſetur, ſæcularibus, aut Eccleſiaſticis Poteſtatibus repugnet, vel caſtigatis moribus contradicat. Quinimo admiratus ſum improbum Auctoris laborem, præſertim vero in luſtrandis Urbis, & Orbis ſelectiſſimis Bibliothecis, Archivis, atque Regeſtis; in refellendis Adverſariorum jaculis nervoſam modeſtiam; in tractandis SS. PP. Sententiis, Romanorum Pontificum Oraculis, & Sacrarum Congregationum Decretis maximam obſervantiam, & majeſtatem; & in promovenda denique erga Immaculatam Deiparam pietate prudentiſſimum zelum, eximiamque conſtantiam. Hæc plane omnia perſequitur Auctor perſpicua ſcribendi methodo, ingenti argumentorum pondere, perfectâ diſſitarum linguarum, rerumque Liturgicarum peritiâ, & invictiſſimis authenticorum Monimentorum præſidiis, quibus univerſam Operis molem in unum ſupra viginti Articulos (quos vere aureos appellare auſim) unumque Summarium omnigena eruditione locupletatum digeſſit. Quare neminem adeo intemperantis critices, vel contractæ frontis futurum arbitror, qui adverſus hoc Scriptum cervicem extollat, quodve typis digniſſimum mecum non cenſeat, quique utroque pollice non ſubſcribat.

Ita ſentiebam Romæ ex hoc Aracælitano Conventu hac die 8. Decembris, laudato ſacratiſſimo Immaculatæ Conceptionis Myſterio ſacra, an. 1761. = Fr. Antonius Soteras.

Fr. Cle-

Digitized by Google

Fr. Clemens a Panormo Lector Jubilatus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu Matritenſi pro Immaculata Conceptione Theologus, totius Seraphici Ordinis S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius Viſitator, Reformator Apoſtolicus, ac Servus.

CUM juxta Apoſtolicas, Ordiniſque Noſtri Conſtitutiones de mandato noſtro idonei Cenſores Opus elaboratum ab admodum Reverendo Patre Fratre Marco Antonio Gravois, ejuſdem Ordinis Recollectorum Sacræ Theologiæ Lectore, ex-Procuratore Generali, & nunc Secretario Generali Ordinis, cui titulus eſt = *De Ortu, ac Progreſſu Cultus, & Feſti Immaculati Conceptus Beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ* = recognoverint, atque ab ipſis reviſum, & approbatum fuerit. Nos præſentium tenore cum ſalutaris Obedientiæ merito eidem facultatem impertimur, quatenus, ſervatis ſervandis, idipſum typis mandare poſſit, & valeat. Dat. Romæ ex hoc noſtro Aracœlitano Conventu die 10. Decembris 1761. *Fr. Clemens de Panormo Min. Gener.* Loco ✠ Sigilli. De mandato Reverendiſſimi in Chriſto Patris. *Fr. Hieronymus a Francavilla Reformatorum Sec. Gener. Ordinis.*

Cenſura D. Jacobi Menchinii Academici Eccleſiaſtici, Obſcuri; atque Paſtoris Arcadis.

ILluſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. D. Archipresbyter Joannes Ignatius Lippi Vicarius Generalis Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. D. Joannis Dominici Mansi Archiepiscopi Lucensis (quos Religioni tuendæ, Animorum ſaluti, ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ procurandæ, optimiſque Studiis promovendis maxime intentos Deus O. M. quam diutiſſime ſervet incolumes) perhumaniter mandavit, ut perlegerem Librum inſcriptum: *De ortu & progreſſu Cultus ac Feſti Immaculati Conceptus Beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Auctore admodum R. P. Fr. Marco Antonio Gravois &c.* Quo perlegendo ſpectandoque, majori quam potui diligentia, atque animi contentione, nihil deprehendere potui, quod ejus Editioni ſecundis curis ab Auctore non minus pio quam docto perpolitæ atque adauctæ impedimento eſſe poſſit.

Digitized by Google

poſſit vel minimo. Quin ſumma animi mei cum voluptate admiratus ſum, maximeque probavi Opus, tam ſapienter, tam copioſe elaboratum atque ornatum, in quo altius deductis ac derivatis tum è Græcis, tum è Latinis fontibus, Monumentis, auctoritatibus, rationibus, argumentis, Conſtitutionibus, ac Decretis Maximorum Pontificum, Sanctorum Patrum, Conciliorum, Theologorum, Univerſitatum, Academiarum, ac ſapientum virorum omnium, chronologico ordine, ac optima methodo demonſtratur tum in Oriente, tum in Occidente vetuſtior Origo, & progreſſus Cultus ac Feſti *Immaculatæ* Conceptionis Beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ; ac proinde hujus *Immaculata Conceptio*. Quamobrem exiſtimo ejuſmodi Opus digniſſimum eſſe, ut iterum properetur in publicam lucem, ac deducatur in manus omnium ad Piam Sententiam de Myſterio Virginis Matris ſemper *Immaculatæ* veram demonſtrandam, tuendam, confirmandam, conſtabiliendam, & provehendam tandem aliquando ad eum certitudinis gradum, quo major eſſe, neque excogitari poſſit in terris. VII. Cal. Octobres anno MDCCLXIV.

D. Jacobus Menchinius.

IMPRIMATUR.

JOANNES IGNATIUS LIPPI ARCHIPRESBYTER ET VICARIUS GENERALIS.

PETRUS PAULUS DE PODIO, ILLUSTR. OFFIC. SUPER JURISDICTIONE PRÆPOSITUS.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De Antiquitate, & Objecto Feſti Immaculatæ Conceptionis apud Græcos.

1. SÆCULO QUINTO, ET SEXTO: Floruit S. Sabas, *Monaſteriorum Palæſtinæ Abbas, & Superior Generalis*, (inquit D. L' Advocat in ſuo Compend. Dictionario) & Canones, ac Triodia plurima in honorem immaculatæ Virginis compoſuit, quæ e Græcorum Menæis extracta videri poſſunt apud Wangnereckium, infra citandum. Vir, inter alia, glorioſæ Virgini devotiſſimus, qui, nonaginta trium annorum natus, varias ab Imperatore Juſtiniano petiit, & obtinuit gratias, quarum una fuit, *ut deiparæ Virginis Templum, ab Elia, Hieroſolymitano Patriarcha ædificari cœptum perficeret*, & ſacris inſtrueret ornamentis. Ita *Surius* ad diem quintam Decembris, qua die non ſolum a Latinis, ſed & a Græcis, tam catholicis, quam hæreticis, ubique terrarum celebratur illius feſtum. Guillelmus Cave, *Hiſtor. Litter. pag.* 296. *ad an.* 484. de iſto Sancto ait: *Scripſit in uſum ſui*

Digitized by Google

Monaſterii Typicum, ſive Ordinem recitandi officium Eccleſiaſticum per totum annum, capita 59. *complectentem, qui in omnibus Monaſteriis Hieroſolymitanis mox obtinuit. Barbarorum incurſionibus depravatum, & pene deperditum, Joannes Damaſcenus magno ſtudio poſtea reſtituit, & renovavit*. In hoc autem Typico, *fol.* 31. *Edit. Venet.* 1545. ad diem nonam Decembris legitur: *Conceptio S. Annæ, Matris Deiparæ*; Activa ſcilicet S. Annæ, quæ eſt paſſiva Beatiſſimæ Virginis. Et de eodem, quod Conſtitutionem vocat, ſequentia habet Simeo Theſſalonicenſis, Dialogo contra hæreſes, nempe: *Etenim Sanctus Pater noſter Saba eam præſcripſit, a Sanctis Euthymio, &. Theoctiſto acceptam. Hi porro a Majoribus, & Homologeta Charitone deſumpſerunt. Sacri vero Sabæ conſtitutionem, ut audivimus, locis illis irruptione Barbarorum vaſtatis, deperditam, S. Pater noſter Sophronius, ſanctæ Civitatis Patriarcha, ſtudio, laboreque reſtituit; & poſt eum rurſus Divinus, & rebus theologicis pertractandis acerrimus Joannes Damaſcenus renovavit, ſcriptoque demandatam tradidit*. Et in Reſponſis ad quæſtiones Gabrielis, Pentapolitani Metropolitæ: *Typicum Hieroſolymitanum, quod, ut ſupra diximus, SS. Sabam, & poſt eum, Theologum Damaſcenum auctores, inſtitutoreſque agnoſcit, quorum alter tempore quartæ Oecumenicæ Synodi, alter inter Sextam, & Septimam, vitam agebat. Qui ambo Typicum compoſuere. Nam cum a Divino Saba compoſitum, Barbarorum incurſione excidiſſet; magnus hic Joannes ab initio illud, ut antiquitus erat, conſcripſit, ordinavitque*. Quæ omnia referuntur a Leone Allatio *Diſſert.* 1. *de Lib. Eccleſ. Græc. pag.* 7. & 8. Et ex his habemus, Conceptionis Feſtum Sæculo quinto apud Græcos jam viguiſſe, & S. Sabam Typicum illud a ſuis Majoribus recepiſſe.

2. Se-

2. Septimo Sæculo claruit S. Andreas, Cretenſis Archiepiſcopus, qui Eccleſiaſticum pro Græcis compoſuit officium ſub hoc titulo: *Die nona Decembris: Conceptio Sanctæ, ac Dei Aviæ Annæ*; quod græce, ac latine a Patre Combefiſio, Ordinis Prædicatorum, vulgatum fuit.

3. Celebratum pariter Sæculo octavo Feſtum noſtrum fuiſſe, docet nos Leo Allatius §. 68. *Prolegomenorum ad Opera S. Joannis Damaſceni*, ubi de Oratione Joannis, Euboenſis Epiſcopi, anno circiter 744. exarata, ſequentia refert: „ Quidquid tamen ſit de eorum ſententia, qui Feſtum Conceptionis ab ipſis Eccleſiæ incunabulis in Eccleſia celebratum fuiſſe autumant... ipſe multo Leone, & Georgio antiquiorem fuiſſe, evidentiſſima ratione me probaturum in gratiam φιλοπαρθένων exiſtimo; cum & ante eoſdem *in Conceptionem Deiparæ* Orationem conſcriptam repererim: fuit illius ſcriptor Joannes, qui nunc Presbyter, nunc Euboeæ Epiſcopus, Orationibus ab eo compoſitis præfigitur:... quantæ ipſe in Eccleſia fuerit auctoritatis, vel illud evincet, Orationes illius in æſtimatione adeo fuiſſe, ut a multis ſub Damaſceni nomine vulgarentur... Hic itaque Oratione, quam *de Conceptione Deiparæ* habuit, cujus illud eſt principium: [illegible]; narrat, ſua ætate Feſtum de Conceptione a multis celebratum fuiſſe, a nonnullis ulla habitum in conſideratione; celebrandum tamen omnino eſſe...: ibi: *Has porro decem Solemnitates non ſine honore, & lætitia agimus. Primam quidem, licet ab omnibus non agnoſcatur, in qua Beati Joachim, & Anna Natalium ſemper Virginis, & Deiparæ Mariæ, nono Decembris die, nuncium acceperunt. Notaque attente, dilectiſſime, non eſſe præter fidem, & fruſtra quod nos ſcriptis mandamus. Nam ſi Templa, nec præter tantæ rei dignitatem dedicamus; quanto magis ferventiori ſtudio, devotione in-*

A 2 „ *fini-*

„ *finita, ac Dei timore ſolemnitas hæc celebranda eſt, in* „ *qua non ex lapide fundamenta jaciuntur, nec manu ho-* „ *minum Dei Templum exædificatur. Sed in ventre, Dei-* „ *para, ac SS. Maria, Patris beneplacito, & SS. & vi-* „ *vificantis Spiritus ope concepta eſt.* „ *In Oper. S. Joan. Dam. Venet.* 1748. *tom.* 1. *verſus finem*. vide infra §. 45.

4. Tres habemus Orationes a Georgio Nicomedienſi Archiepiſcopo, Sæculo nono peractas, quarum prima inſcribitur: *In Oraculum Conceptionis Sanctæ Deiparæ*. Secunda: *Laudatio in Conceptionem S. Annæ, Parentis Sanctiſſimæ Deiparæ*; & tertia: *In Conceptionem, & Nativitatem SS. D. noſtræ*. Antiquitatem Feſtivitatis prima indicat, ibi: *Hodiernam tuam celebri conventu Feſtivitatem agamus, non uti noviſſime adinventam, quinimo uti ordine, ita & ipſa veritate præcipuam.* Secunda vero celebritatem, & motivum Feſtivitatis aſtruit: *Cum itaque hodierna Feſtivitas illuſtrioribus omnibus ſolemnitatibus, miraculorum in ipſa conſummatorum ratione præeat, iiſque ceu fundamentum, ac crepido ſuppoſita, quidquid in illis ſacramentorum diſpenſatum eſt, pro fundamenti ratione in ſe colligat; par omnino eſt, ut tamquam principio, & cauſæ univerſorum bonorum, venerationem ei adhibeamus, impenſiorique eam gaudio celebremus. = Bibl. Max. PP. tom.* 12.. *pag.* 692. *& ſeq.*

5. Imperabat hoc Sæculo in Oriente Leo VI. ſapiens nuncupatus, qui ſermonem etiam conſcripſit *de Conceptione* B. Mariæ. *Baron. in notis ad Martyr. die* 3. *Decembris; & Gerardus Voſſius in not. ad Orat. S. Ephræmi ad B. V. M. pag.* 110.

6. Claruit quoque eodem Sæculo S. Petrus, Argorum Epiſcopus, qui Orationem pariter exaravit *in Conceptionem S. Annæ, quando concepit Sanctam Dei Genitricem*; eamque e Bibliotheca græcorum manuſcriptorum celebris Mo-

naſte-

naſterii S. Salvatoris prope Meſſanam adeptus Pater Plazza publicam reddidit in ſuo Opere *de Immaculata Conceptione pag.* 635. Hæc autem Bibliotheca ea eſt, ex qua funebrem in B. Athanaſium Orationem, ab eodem S. Petro factam, eruerunt Bollandiſtæ *tom.* 2. *Januar. pag.* 1125. & Octavius Cajetanus *tom.* 2. *Vit. SS. Sicul. pag.* 19. *in animadv. ad eamd. Orat. quam* Epitaphium *vocat*.

7. SÆCULO DECIMO juſſu Baſilii Junioris conſcriptum eſt Græcorum Menologium, in quo, quinto idus Decembris notatur: *Conceptio Sanctæ Annæ, Matris Genitricis Dei* = *Apud Ughel. Ital. Sacr. tom.* 10. *col.* 303.

8. SÆCULO deinde UNDECIMO floruit Jacobus Monachus, de cujus Operibus, *tom.* 2. *Appar. ſac. pag.* 81. ait Poſſevinus „ *Jacobi Monachi Sermones quidam manuſcripti extant* „ in Conceptionem BB. Virginis: *Iterum* in ejus Conceptio- „ nem, & Nativitatem: in ingreſſum in Sancta Sancto- „ rum &c. „ Verum Pater Combefiſius, *tom.* 1. *Auctar. col.* 1287. ſuſpicatur, Poſſevinum multiplicaſſe Sermones Jacobi Monachi, *quando forſan*, inquit, *unicus*, & *idem eſt de Nativitate, in qua de aliis Myſteriis loquitur*. Sed, ut obſervat P. Plazza pag. 221., majorem hac in re mereatur fidem Leo Allatius, qui in Diatriba *de Simeonum ſcriptis pag.* 104. inter alias Jacobi Orationes manuſcriptas, præter illam *de Nativitate*, recenſet & aliam *de Conceptione SS. Deiparæ*, cujus initium refert.

9. SÆCULO DUODECIMO, anno videlicet 1166., *Novellam*, ſeu Conſtitutionem Imperialem edidit Manuel Comnenus, in qua inter alia habetur: *Sancimus igitur, ut dies illi feriati ſint, quos in præſenti Conſtitutione nominatim enumerabimus... Ac primum quidem de omnino feriatis eſt agendum... Natalis itaque dies puriſſimæ Dominæ, ac Dei Genitricis, qui eſt* 8. *Septembris, feriatus eſt... Item nonus Decembris, quippe quia* TUNC GENITRI-

CIS

cis DEI NOSTRI CONCEPTIO CELEBRETUR. Theodorus Balſamon, qui, paulo poſt dicti Imperatoris mortem, Patriarcha Antiochenus extitit, *adorandam* vocat illam conſtitutionem in ſuis ſcholiis ad Nomocanonem Photii, ibi in ſcholio ad Titulum 7. = *Cæterum ſi quonam die Judicia ceſſent, exacte diſcere velis; Lege* adorandam *illam divinitus coronati, optimi, ac ſancti noſtri Imperatoris Domini Manuelis Comneni Novellam, menſe Martio, indict.* 14. *anno Mundi* 6674. *emiſſam, atque hæc poſt Proœmium complectentem: Sancimus igitur, ut dies illi &c.* Novellam hanc dicit Thomaſſinus, *vetuſtiſſimum eſſe Monumentorum omnium de Conceptione Deiparæ*; ſed quam falſo id aſſerat, abunde conſtat ex recenſitis Monumentis.

10. Habemus etiam, quod SÆCULO DECIMO TERTIO celebrabatur hoc Feſtum apud Armenos. Narrat ſiquidem Mathæus Paris (anno 1259. mortuus) *in ſua Hiſtoria Anglicana majori*, in Angliam veniſſe anno 1228. Archiepiſcopum quemdam Majoris Armeniæ, eumque in ſuo Monaſterio S. Albani hoſpitio receptum, & a quodam Monacho interrogatum, *ſi in Partibus ſuis Conceptio B. Mariæ celebraretur*, reſpondiſſe: *Celebratur utique*.

11. Tandem antiquitatem noſtri Feſti apud Græcos evidenter probat unanimis in eo celebrando conſenſus omnium Eccleſiarum Orientalium, omniumque Græcorum, tam catholicorum, quam ſchiſmaticorum, & hæreticorum, qui licet in multis, officia divina concernentibus, abinvicem plurimum diſcrepent, in hoc tamen unanimiter omnes conveniunt. Interrogentur Syri, Armeni, Maronitæ, Chaldæi, Cophti, Melchitæ, Albanenſes ritum græcum ſervantes, & omnes alii, qui in dominiis Moſcoviæ, Lithuaniæ, Poloniæ, Venetiarum, & utriuſque Siciliæ commorantur; interrogentur, inquam, *utrum in ſuis partibus, & in ſuis Eccleſiis celebretur immaculata glorioſæ Vir-*

Virginis Conceptio; & voce unanimi reſpondebunt: *Celebratur utique*, & *quidem maxima cum devotione*. Videantur apud Bollandiſtas, *tom.* 1. *Maji*, Ephemerides tum Græcorum, tum & Moſcorum; & apud Poſſevinum, *tom.* 3. *Appar. ſac. pag.* 173., Calendarium Ruthenorum, *quod tam in Moſcovia*, ut ibi notatur, *quam in reliqua Ruſſia eſt in uſu*; & ubique ad diem nonam Decembris invenietur *Conceptio S. Annæ*, activa videlicet, quæ eſt paſſiva Beatiſſimæ Virginis. Quis vero aſſerere poterit, hæreticos Græcos a catholicis, vel catholicos ab hæreticis illam recepiſſe Feſtivitatem? Quis negabit, apud eos inſtitutam eam antiquitus fuiſſe, antequam in tot Sectas, ac veluti ramos dividerentur?

12. Quid autem ea die celebrent Græci, certius diſcere non poſſumus quam ab officio divino, pro eadem Feſtivitate in ipſorum Menæis aſſignato. Continet illud officium, tum antiquum, ſæculo ſeptimo, ut ſupra diximus, a S. Andrea exaratum; tum & varias alias odes, ac orationes, a quibuſdam aliis Patribus Græcis poſtea adiunctas. Ex eo autem ſequentia extraximus, videlicet -- Ode 1. *Annaglorioſa nunc concipit puram, ſeu immaculatam*. Ibidem: *Mons ſanctus, quem prævidit Propheta in ſpiritu, ex quo ſaxum reciſum eſt, Idolorum altaria conterens virtute divina, tu es, Virgo immaculata*. Ode 1. alterius Canonis: *Immaculatam Virginem Deifiliam, Matrem futuram Creatoris, utero excipiens lætabatur Anna*. Et in fine ejuſdem: *In utero geritur, ac formatur Templum Divinum ac ſalutare; viſceribus Matris plantatur ſcala, quæ ad ſuperiora mortales omnes ſuperintroducit*. Ode 1. tertii Canonis: *Immaculata hodie Chriſti purpura ſplendide annunciatur, de ſterili utero ex gratia contexta*. Poſt Oden tertiam: *Chorus propheticus jamdiu prædicavit Virginem labis expertem, puram, ac Deifiliam, quam Anna ſterilis*, &

infœcunda concepit. Hanc hodie, ceu ſolam omni ex parte immaculatam, qui per ipſam ſalvati ſumus, cordis exultatione Beatam dicamus. Ibidem: *Sacer Joachim, Annaque legalibus Sacerdotibus dona obtulerunt, repulſique ut infœcundi, ac ſteriles, univerſorum Largitorem oratione pulſarunt; ipſeque, exauditis precibus, veræ vitæ portam illis largitur. Ejus nos Sanctam Conceptionem honore proſequamur.* Ode 4. in ſecundo Canone: *Concipit eam, quæ ſola eſt pura.* Ode 5. Canonis quarti: *Sapientiæ Dei occulta vere nobis hodie manifeſtantur Myſteria, cum Virginis nulla labecula notatæ, ac ſolius Matris Dei annunciatur Conceptio.* Ode 6. Canone ultimo: *Ecce divinarum gratiarum fons ſpiritualis, per promiſſionem Creatoris, & gratiæ relaxatur, ſcaturiens gratia in arida matrice.* Ode 8. in ſecundo Canone: *Rubus incombuſtus, aurea lucerna, animatus Domini Dei Thalamus, Virga pretioſa in utero Matris ipſam parturientis incipit germinare.* Ode 9. tertii Canonis: *Veluti aſtra duo maxima, tuliſtis auroram lucidiſſimam, quæ oriri faceret magnum ſolem Mundo.* Hic addi poteſt Ode, quam iidem ex D. Andrea Cretenſi cantant die 8. Septembris: *Qui ſignas abyſſum, atque aperis; qui aquam in nubibus ſubvehens, pluviam tribuis; ipſe, Domine, e Sanctæ Annæ ſterili radice fructum ſine macula, Dei Genitricem virgam efflorere feciſti.* Hæc a ſeptimo, & aliis proxime ſequentibus ſæculis indeſinenter cantare non ceſſant Græci, quæ immaculatam ab eis celebrari Beatiſſimæ Virginis Conceptionem aperte demonſtrant; imo & litteraliter accepta inſinuant celebrari activam S. Annæ Conceptionem, relative tamen ad paſſivam Beatiſſimæ Virginis: *Anna concipit hodie puram = Utero excipit immaculatam Virginem Dei filiam = In utero formatur Templum divinum, plantatur ſcala* &c. = *Immaculata Chriſti purpura, de ſterili utero ex gratia contexta = Concepit Anna*

na Virginem, labis expertem, puram, ac Deiſiliam, omni ex parte immaculatam, ſolam puram = Divinarum gratiarum Fons nunc relaxatur, ſcaturiens gratia in arida matrice = Animatus Dei Thalamus, lucerna aurea in utero Matris incipit germinare = E S. Annæ ſterili radice fructus ſine macula effloret.

13. Antiquum a Sancto Andrea exaratum officium, latine reddidit Pater Combefiſius, prout iam diximus, ſed parum fideliter. In eo enim Beatiſſimæ Virginis Conceptionem ſemel, & iterum *Sanctam* nominat Sanctus Andreas: τὴν ἁγίαν σύλληψιν. & qualibet vice latine dumtaxat reddidit *Conceptionem*, ſilentio præteriens adjectivum τὴν ἁγίαν; *pag.* 253., & 256. E contra vero in Encomio Nativitatis, & in ejuſdem officio, quotieſcumque idem Sanctus τὴν ἁγίαν vocat B. M. γέννησιν *Sanctam Nativitatem* ſemper traduxit, nec vocem ἁγίαν in ſuis traductionibus prætermiſit, niſi quando *Conceptioni* Deiparæ eam adjectam reperiit. Similiter ubi cantatur, quod Anna concepit *Virginem labis expertem, puram, ac Deiſiliam:* τὴν ἄμωμον, ἁγνὴν, καὶ θεόπαιδα Κόρην: ipſe propoſitionem obſcuravit, & larva texit dicens, quod Anna concepit *intemeratam, caſtamque, ac divina progenie puellam*. In Encomio Nativitatis vocem θεόπαιδα latine vertit *Deiſiliam*, ibi *pag.* 4. = *Quæ ſine filiis, & ſterilis erat*, DEIFILIAM *Virginem ſuſcepit Filiam*. Sed in officio Conceptionis eadem vox alio modo, juxta ipſum, traduci debet. Tandem Ode 1. ejuſdem officii habetur: *Anna glorioſa nunc concipit puram:* Ἡ Ἄννα ἡ ἔνδοξος νῦν συλλαμβάνει ἁγνήν; ipſe vero traduxit: *Eam hodie Anna glorioſa concipit*; & in aliis locis eamdem vocem τὴν ἁγνὴν ſemper interpretatur *caſtam*. Unde juxta ipſius traductionem, vel ſupprimenda foret in officio Conceptionis vox ἁγνὴ, ut in Ode 1.; mox citata, dicendo dumtaxat *eam*; vel dici deberet: *Anna concipit Puellam caſtam: concipit eam, quæ caſta eſt*. Similiter iſta

 ver-

verba: ὅθεν συλλαμβάνει τὴν μόνην ἁγνήν. ſic vertit: *Unde caſtam illam ſingulariter concipit*; quæ tamen verti debent: *Unde concipit eam, quæ ſola eſt pura*; quaſi ibi diceretur: *Concipit eam, quæ ſola cum puritate concepta eſt*. Scio iſtam vocem græcam ἁγνήν indifferenter ſignificare *caſtam*, *puram*, *mundam*, *labis expertem*; Sed quis non videt, agendo de Puella quæ concipitur, & de feſto hujuſmodi Conceptionis, ridiculam fore eam loquendi formulam: *Anna concipit Puellam caſtam? Puellam, quæ caſta eſt?* Adſunt Romæ Græci quidam Orientales, qui hoc Conceptionis officium idiomate Arabico recitant. Eos conſului, & ſcire volui qua voce arabica in eo utantur, quotieſcumque in græco reperitur vox ἁγνή. Inveni, eos dicere *Alnachie*, *Belnachie*, quod ſignificat dumtaxat apud ipſos *puram*, *mundam*, *lucidam*. Nullibi vero in eodem officio voce utuntur *Aafiſe*, quæ tamen ſignificaret *caſtam*, *pudicam*. Deinde licet in officio græco pluries habeatur vox ἁγνή; habentur tamen in recenſitis, & aliis Odis plures aliæ voces, quæ nullo modo *caſtam* ſignificant. Vocatur enim ibi Beatiſſima Virgo in ſui Conceptione ἄμωμος, πανάμωμος, ἄχραντος, ἄσπιλος; quæ voces, juxta omnia Dictionaria græca, expreſſe verti debent: *Cujuslibet labis expers*: *Immaculata*: *Omni ex parte, & omnibus modis immaculata*.

14. Μῶμος verbi gratia ſignificat *probrum*, *maculam*, *labem*, *infamiam*; unde ἄμωμος idem eſt ac *omnino immunis a macula*, *a labe*, *ab infamia*; & apud Gaſparum Svicerum, tom. 1. Theſauri Eccleſ. e Patribus græcis concinnati, D. Chryſoſtomus ſequentia habet: *Is eſt* ἄμωμος, *qui liber eſt ab omni crimine*, *ſcelere*, *ſordibus*; *qui extra omnem maculam*, *iniquitatem*, *&* *peccatum eſt conſtitutus*. Si autem addatur particula παν, & dicatur πανάμωμος, tunc excluditur a ſubjecto quæcumque excogitabilis labes, infamia, & macula. Ναὶ (inquit Robertus Conſtan-

tinus

tinus in ſuo Lexicon) πᾶν *autem vocant quod quocumque modo totum eſt: Omni ex parte: Quidlibet: Nihil non: Res tota*. Et Henricus Stephanus in Theſauro linguæ græcæ: ἄμωμος, inquit, *omni culpa, & reprehenſione carens:* πανάμωμος. *quod eſt omnino* ἄμωμος, quaſi vocem latinam non invenerit, quæ ſufficienter græcam πανάμωμος exprimeret. Non enim ſufficit dicere *immaculatiſſimam*; ſicuti παντοκράτωρ non ſignificat *potentiſſimum*, ſed *omnipotentem*, qui ſunt duo termini valde diverſi. Et ſicuti Deus non diceretur παντοκράτωρ, nec παντοτόκος, *omnipotens* nempe, & *omniparens*, ſi vel minimum ens extitiſſet in rerum natura, quod vel ab ipſo productum non fuiſſet, vel ipſius potentiæ non ſubjaceret; ita nec BB. Virgo ὑπεράμωμος, παναμώμητος, aut πανάχραντος dici valeret, ſi excogitabilis eſſet quædam peccati macula, qua unquam fuiſſet infecta. Quapropter iſta Epitheta, & alia ſimilia, quæ de BB. Virgine a Sanctis Patribus dicuntur, nulli omnino alteri Sancto, quantacumque polluerit ſanctitate, proprie tribui poſſunt. Omnes enim peccato fuerunt infecti. Et licet *per Baptiſma innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti fuerint*, teſte Tridentina Synodo *ſeſſ.* 5., iis tamen ignobilibus, & obſcuro loco natis aliqualiter comparari poſſunt, qui licet a Principe jure nobilitatis donati poſtea fuerint, *ſimiles nihilominus remanent* (inquit Baldus) *ægro curato a vulnere, cujus aliqua ſemper remanet cicatrix*; vel iis Libertis, qui licet vindicta liberi facti fuerint, *in illis tamen* (ajebat Marcianus Imperator) *ſemper remanet nota apud ingenuos*. Et in hoc ſenſu intelligi poteſt ille Sacræ Scripturæ locus: *Mundans non facit innocentem*: (*Naum cap.* 1. *v* 3.) licet enim faciat, quod hic & nunc peccato coinquinatus is amplius non ſit, qui fuit mundatus, non tamen facit quod peccatum non habuerit, prout obſervat Doctor Angelicus in *Pſalm.* 31. Cum igitur

ſola Maria, in ordine gratiæ, concepta fuerit ingenua, & nobilis; cumque ſola præſervata fuerit, & non mundata: *Caro enim Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit*, inquit S. Petrus Damiani *tom.* 2. *fol.* 97. *Edit. Venet.* 1743. *Serm. Aſſumpt.* qui a quibuſdam S. Ildephonſo tribuitur; & ut ait Georgius Nicomedienſis, infra citandus: *Turbidi Luti nullæ in ea deprehenſæ ſunt reliquiæ*; ſola conſequenter & in Conceptione, & poſt Conceptionem, proprie dici poteſt πανάμωμος, παναμώμητος, πανάχραντος; ſola videlicet, quæ ſemper fuit non ſolum ſine peccato, ſed & ſine vel minimo peccati rancore, vel minima peccati cicatrice, vel minima infamia.

15. Nec reſpondeatur, dicta Epitheta ideo BB. dumtaxat Virgini vindicari, quia ipſa uberioribus, abſque comparatione, quam ullus alius Sanctus, ditata fuerit gratiis. Talis, inquam, reſponſio nullius foret momenti. Illa enim epitheta per ſe, & directe non ſignificant gratiam, nec gratiarum abundantiam, ſed præciſe immunitatem a quocumque opprobrio, a quacumque infamia, a quacumque vel excogitabilis maculæ umbra. Audiamus P. Paulum Segneri in ſua de immaculato conceptu panegyrica oratione, & clare videbimus cur BB. Virgini tribui proprie non poſſent glorioſa illa epitheta, ſi peccato originali fœdata unquam fuiſſet „ il peccato originale, inquit dictus Pater, è macchia di origine, la „ quale nella Vergine avrebbe, non ſo come, offuſcate „ tutte le ſue glorie ſeguenti ec. E qual ſua grandezza „ non perderebbe di luſtro con queſta macchia? Fingaſi, „ ch'Ella fu concetta in peccato, e poi mi ſi dica: „ Che ſi afferma di Lei? Che Ella è Reina del Cielo? „ Sì, ma prima fu ſuddita dell'Inferno. Che Ella è Madre „ di grazia? Sì, ma prima fu Figlia d'Ira. Che „ Ella è Avvocata de' Peccatori? Sì, ma prima fu com-

„ pagna

„ pagna loro nel peccato. S'ella è Genitrice del Verbo;
„ non è anche vero, che prima gli fu nimica? La ſpo-
„ sò lo Spirito Santo, ma prima la ſoggettò il Tiran-
„ no Tartareo. L'addottò il Padre Eterno, ma prima
„ la poſſedè il Ladrone infernale. Dite quanto ſapete;
„ ſe la Vergine fu d'origine infetta, baſta queſta ſua
„ prima ignominia ad offuſcare tutte le ſue ſuſſeguenti
„ prerogative.

16. Ἄχραντος, juxta omnia Dictionaria, idem eſt ac *nulla aſperſus macula. Nulla vel labecula notatus*. Et Leo Allatius, ſæculi proxime elapſi eruditiſſimus Græcus (*L'un des plus ſçavans hommes du 17. Siecle*, inquit Dominus Ladvocat in ſuo Dictionario) in ſuis notis ad Commentarium in Hexæmeron, quod S. Euſtathio tribuit, pag. 283. hæc verba τῆς ἀχράντου Μαρίας ſic explicat, *Quæ tota pulchra eſt, nec ullam admittit* Omnino *maculam*. Cum igitur Græci cum S. Andrea Cretenſi cantant, quod *Deus e Sanctæ Annæ ſterili radice* ἄχραντον *fructum efflorere fecit*; aſſerunt per hæc verba, e Sanctæ Annæ ſterili radice *fructum* effloruiſſe, *qui totus pulcher erat, nec ullam* Omnino *admittebat maculam*, in illo videlicet inſtanti, quo Deus illum efflorere faciebat e Sanctæ Annæ ſterili radice. Idemque dicendum de Ode quinta quarti Canonis, ſupra relata, in qua habetur: *Annunciatur hodie Conceptio Virginis* τῆς ἀχράντου, Virginis nempe *totaliter pulchræ, nec ullam* in dicta ſua Conceptione *admittentis* Omnino *maculam*. Sæpe etiam in Græcorum Menæis, ſeu Officiis Divinis, Beatiſſima Virgo non ſolum ἄχραντος, ſed & πανάχραντος decantatur; unde ſi ſimplex vox ἄχραντος idem ſit ac *tota pulchra, & nullam* Omnino *admittens maculam*, ex ſupra dictis de voce πανάμωμος, judicet unuſquiſque quid vox πανάχραντος ſignificare debeat. A quibuſdam Græcis, & quidem eruditis petii, quid vere intelligerent per Odem primam tertii Canonis, ſupra relatam, videlicet:

Ἡ πορφύρα σήμερον Χριστοῦ λαμπρῶς καταγγέλλεται ἐκ στειρωτικῆς ὑφανθεῖσα χάριτι νηδύος ἡ ἄσπιλος: *Immaculata hodie Chriſti purpura ſplendide annunciatur, de ſterili utero ex gratia contexta*, quid nempe proprie ibi ſignificet: Ἡ πορφύρα ἡ ἄσπιλος. Reque ab eis mature examinata, unanimiter ſequentia mihi dixerunt. Cœnoſam ſuppone Lacunam, hominum multitudine circumſeptam, in quam ex improviſo ingens prolabitur ſaxum. Luto aſperguntur omnium circumſtantium veſtimenta, omneſque iſti homines *Spiloſi*, ſeu Luto aſperſi, & infecti dicuntur. E contra vero Beatiſſima Virgo, quæ *Purpura*, & veluti *pretioſum Chriſti Veſtimentum* futura erat, in ſterili B. Annæ utero *ex gratia fuit contexta*; gallice: *Tiſſue de grace*; hiſpanice: *Texida de gracia*; italice: *Teſſuta di grazia*; ὑφανθεῖσα χάριτι; & nulla vel minima Luti labe fuit conſpurcata; ac proinde ἄσπιλος in ſua Conceptione a nobis decantatur; & cum S. Andrea Cretenſi τῷ ὅλῳ φυράματι ἡ μὴ φυραθεῖσα; *univerſali fermento non fermentata*. Sicuti etiam die feſto Conceptionis cantamus: *Hodie divinarum gratiarum fons relaxatur, in arida matrice ſcaturiens gratia*: Νῦν θείων χαρίτων πηγὴ ἀναστομοῦται χάριν ἐν ἀνύδρῳ μήτρᾳ ἐκβλύζουσα; per hoc indicantes, Beatæ Annæ uterum, in quocumque ſui receſſu, gratia ſcatuiſſe in primo inſtanti Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, quando ſcilicet Deus in ejus Corpus infudit Animam, tot gratiis jam exuberantem.

17. Ab eiſdem ulterius quæſivi, quid ſignificet Salutatio Angelica: χαῖρε κεχαριτωμένη: *Ave gratia plena*; de qua infra Articulo 16. Et reſponderunt, quod ſicuti iſta verba; *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*; ſunt de futuro, ita vox κεχαριτωμένη tempus præteritum denotat, cum ſit participium præteriti temporis ſignificans, Beatiſſimam Virginem ſemper fuiſſe gratia plenam, ſeu nunquam caruiſſe plenitudine gratiæ; ac ſubjunxerunt, hanc vocem melius explicari non poſſe, niſi dicendo: *Ave, quæ ex gratia totaliter compacta*,

ſta, *ſeu contexta fuiſti*; prout poſt Andruzzi obſervavit R. P. Joannes de Luca *Diſſert. de Immac. Concept. pag.* 59. *edit. Neapol.* 1739. Sic enim clare exprimitur, Beatiſſimam Virginem fuiſſe παναγιωτάτην, ſeu eam nec per minimum temporis punctum plenitudine gratiæ unquam caruiſſe, cum ex Chriſti meritis gratia fuerit veluti proprietas ejus, & ab ea inſeparabilis. Habemus in Scriptura ſacra, Cœlos in conſpectu Dei non eſſe mundos: *& Cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus.* = *Job. cap.* 15. *v.* 15. vel juxta divi Hieronymi verſionem: *Aſtra non ſunt munda in conſpectu ejus.* E contra vero Beatiſſima Virgo ſemper munda fuit, *tota pulchra*, *Dei amica*, & *nulla* unquam *in ea fuit macula*. Quapropter S. Andreas Cretenſis *Orat.* 2. *in Dormit. S. Mariæ*, ait, quod *Cœlorum naturam puritate ſupergreſſa eſt*. S. Epiphanius, infra citandus, quod *natura formoſior eſt ipſis Cherubim*, *Seraphim*, *& omni exercitu Angelorum*. Sanctus Thomas *tom.* 17. *Opuſc.* 61. (ſi ſit ipſius) *fol.* 89. *col.* 1., *&* 2. *edit. Rom.* 1570., Angeli diffinitionem ex Dionyſio affert, videlicet: *Angelus eſt imago Dei*, *manifeſtatio occulti luminis*, *Speculum Clarum*, *Clariſſimum*, *Immaculatum*, *incoinquinatum*; *incontaminatum*; *totam*; *ſi conveniens eſt dicere*, *ſuſcipiens in ſe pulchritudinem omniformis deiformitatis*, *munde reſplendere faciens in ſe bonitatem ſilentii*; & ſtatim proſequitur: *Fecit ergo ſummus artifex*, *in oſtentationem pleniorem artis ſuæ*, *Speculum unum*, *Clariſſimo Clarius*, *Seraphino tersius*, *et purius*, *& tantæ puritatis ut purius intelligi non poſſet*, *niſi deus eſſet*; *Perſonam ſcilicet Glorioſiſſimæ Virginis*. (vide infra §. 104.) & Alcuinus, *Serm. de Nativ. B. M. V.*, ſic eam affatur: *Tu pulchra es ut Luna*, *imo & pulchrior Luna*, *quia tota pulchra es*, *& macula non eſt in te*, *neque viciſſitudinis obumbratio*. Fuit ſemper πανάμωμος, παναμώμητος, πανάχραντος. Plena erat gratia priuſquam Spiritus Sanctus pro incarnationis myſterio ſuperveniret in

eam,

eam, priuſquam virtus Altiſſimi obumbraret ei. *Nubecula fuit*, 3. Reg. cap. 18. v. 44., *quæ* in ſua Conceptione *aſcendebat* quidem *de* hujus mundi *Mari* amaro, & vitiorum pondere preſſo; ſed ipſa levis erat, & dulcis; *Nubes diei*, & lucida, non obſcura, qualem decebat, *ut in ea appareret gloria Domini*. Exodi 16. 18. = Paradiſus fuit, non terreſtris, ſed divinus. Porta erat, ſed *Porta ad Orientem vergens, ſolius Dei ingreſſui ſervata*. Ezech. 44. omnibus hominibus clauſa, & a fortiori Diabolo.

18. Sicuti latini in ſuis Eccleſiaſticis officiis SS. Trinitatem qualibet die, & quolibet momento laudant, dicentes: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; ita & Græci in ſuis pariter Officiis Hymnos, & Odas cujuslibet Sancti cum inſigni aliqua ad Beatiſſimam Virginem apoſtrophe, ſeu ſtropha terminant, quam *Theotocium* vocant. Quingenta autem hujuſmodi Theotocia, in Menæorum Græcorum Libris ſparſa, in unum collegit, Latine traduxit, & quibuſdam illuſtravit notis Pater Simon Wangnereckius Opuſculo, cui titulus: *Pietas Mariana Græcorum, officiis, jam tum quotidie uſurpari conſueta; & poſt tot demum ſæcula, nunc primum ex antiquiſſimis, ac Latine nunquam excuſis, divinorum Græciæ officiorum Codicibus, quos primus collegit S. Sabbas, reparavit autem, & auxit poſt Sophronium Patriarcham Hieroſolymitanum S. Joannes Damaſcenus, in Latinum Sermonem traducta. Monachii* 1647. Quædam ex dictis Theotociis hic afferamus, quæ quolibet anno a Græcis decantantur, videlicet:

Pag. 193. Salve o cadentis Mundi Erectrix, nulli unquam culpæ ſubjecta! *Ex Menæis 2. januar. Ode 5. de S. Sylveſtro.*

Pag. 200. In te, quæ nulli unquam culpæ affinis fuiſti, ſpem omnem meam repono. 3. *Januar. Ode 3. de S. Malachia.*

Pag.

Pag. 201. Nemo, ut tu, Domina, inculpatus eſt æque, nec præter te intaminatus quiſquam. O nævo nulli ſubjecta! *Ead. die Ode* 3. *de S. Gordio.*

Pag. 322. O ſemper & ubique inculpatiſſima Numinis Mater! 22. *Januar. Ode* 9. *de S. Anaſtaſio.*

Pag. 358. Qui unus, & unicus Cœlum extendit, illud quoque aliud Cœlum, & quidem animatum elaboravit, te nimirum, O Deipara! 26. *Januar. Ode* 6. *de S. Xenophonte.*

Pag. 386. Salve Mons Dei, in quo ante omnia Sæcula complacuit habitare Verbo Divino. Salve Fons integritatis. Salve munditiarum omnium Promptuarium. 27. *Jan. Ode* 7. *de B. Virgine.*

Pag. 407. Ex te ſola, tamquam puriſſimo lilio, in medio ſpinarum invento, uterum incolens tuum, Sponſus ille tuus proceſſit. 29. *Januar. Ode* 6. *de translat. S. Ignatii.*

Pag. 449. Tu quidem, o Virgo, illud divinæ originis Verbum, quod prius incorporeum fuerat, corpore humano indutum, peperiſti. Nam ab æterno propter ſplendorem integritatis, & pulchritudinem virginalem, ac demum propter chariſmata, ſeu gratiæ dona, quæ ab omni te nævo immunem fecerunt, manifeſte ſola fuiſti digna tanti partus honore. 12. *Februarii Ode* 1. *de S. Meletio.*

Pag. 463. O a cunctis ſordibus incontaminata, & ſuper omnes inculpatos inculpatiſſima Domina! 23. *Febr. ante initium Odes* 4.

Pag. 475. Salve Sacroſanctum Paradiſi Lignum, ab ipſo Deo plantatum! Salve Extirpatrix diabolorum! Salve o Gladie utrinque acute, hoſtis noſtri caput abſcindens! 5. *Mart. in Veſper. de S. Conone.*

Pag. 534. Deus providentia ſingulari perfecit, ut Sacra Virgo, ab ipſo vitæ ſuæ principio, tam omnino exiſteret pura, quam eſſe puram decebat illam, quæ tanto Bono, id eſt Chriſto digna exiſteret. 25. *Mart. in Homil. de Annunciat.*

Pag. 535. Nulla hominis profani manus animatam Dei Arcam attingat. 25. *Mart. Ode 9. de Annunciat.*

Pag. 602. Animatus ille Domini Thalamus, qui inter confuſos ſpinarum acervos, ad fulgentis lilii morem efflorescit; hic, inquam, animatus Domini Thalamus dignus eſt omnibus, quibus per nos afficitur laudibus. 25. *Junii Ode 6. de S. Febronia.*

Pag. 624. Verbum Divinum, carne de intaminatiſſimis ſanguinibus tuis accepta, Nos . . . plane divinitatis compotes fecit. [illegible] 15. *Jul. Ode 8. de SS. Quirico, & Julitta.*

Pag. 635. O Joachime, afflatu divino decore! Tu quoque Anna divinitus clara! Vos gemini eſtis Lychni, a quibus orta eſt Lampas, circa quam nullum umbræ veſtigium cernimus. Vos quoque abundanter implevit Dei gratia, id eſt Genitrix Dei. 25. *Jul. in Veſp. de S. Anna.*

Pag. 646. Equidem videbaris, o Virgo, eſſe Filia Adami collapſi; at re ipſa eras tu Genitrix Dei, eumdem reſtituentis in integrum. 12. *Aug. Ode 7. de SS. Photio, & Aniceto.*

19. Plurima alia, immaculatam BB. Virginis Conceptionem clare deſignantia, videri poſſunt apud eumdem Wangnereckium, qui *pag.* 322. notat quod „ in voce „ [illegible] latine reddenda, multiplex ſignificatum univer- „ ſale conſiderandum occurrit, cum Menæa hoc epithe- „ ton per excellentiam Virgini Deiparæ plus millies tri- „ buant. Primo conſideranda eſt univerſitas temporis,

„ quia

Digitized by Google

„ quia Virgo eſt πάντα τὸν χρόνον ἄμωμος, nempe omnibus omnino „ temporibus inculpata; etiam illo momento, quo ſa„ cratiſſima ejus Anima fuit creata. Secundo univerſi„ tas loci; quia ἐν παντὶ τόπῳ ἄμωμος. quaſi dicas, ubique in„ culpata, hoc eſt non ſolum in Cœlo, aut Terris, „ ſed in ipſo quoque utero Matris. Tertio univerſitas „ culpæ; quia ἐν παντὶ σφάλματι ἄμωμος, id eſt in omni genere „ culpæ inculpata, ne culpa quidem originali excepta. „ Denique conſideranda eſt univerſitas Creaturarum; quia „ Virgo eſt ὑπὲρ τὰ πάντα ἄμωμος, ſuper omnes omnino creatu„ ras inculpata. Eadem eſt ratio ſignificationis in voce „ πανάχραντος, aliiſque ſimilibus, quas perpetuo Menæa de „ Maria uſurpant; de aliis autem Cœleſtibus, aut nun„ quam, aut raro; hæc ut ipſa raritas, ſi quid de aliis „ ſimile dicant, exaggerationem eſſe convincat. „ Poteſt addi, quod ſi aliquando, licet raro, hæc epitheta quibuſdam aliis Menæa tribuant, potius illa applicant cuidam virtuti, in gradu heroico ab eis habitæ, quam ipſorum perſonis. Ait etiam Wangnereckius *pag.* 464. „ Quo„ modo autem Virgo, ſecundum Theophanem, eſt „ ὑπεράμωμος. id eſt ſuper omnes inculpatos inculpatiſſima, „ ſi peccatum originis habuit, quo caruerunt in creatio„ ne ſua Protoplaſti? „ Addere poterat; & omnes Hierarchiæ cœleſtes? Tandem obſervari etiam poteſt, quod in officio Conceptionis Græci cantant: *In utero geritur, ac formatur Templum divinum: Animatus Dei Thalamus in utero Matris ipſam parientis incipit germinare: Anna excipit in utero immaculatam Virginem Deifiliam.* Quæ quidem Propoſitiones primum inſtans Conceptionis, de qua celebratur Feſtum, explicite ſignificant. Et per annum pariter ab eis cantatur, quod *Deus Cœlum animatum*, nempe BB. Virginem, *elaboravit*; quod ipſa eſt *Sacroſanctum Paradiſi Lignum, a Deo plantatum*: Quod ipſa eſt *anima-*

tus Domini Thalamus, qui inter confuſos ſpinarum acervos, ad fulgentis Lilii morem effloruit. Expreſſiones omnes, quæ idem omnino exprimunt, ac aliæ.

20. Si autem officia divina, a Græcis tot ſæculorum ſpatio uſque ad præſens recitata, evidenter demonſtrant, ipſos Feſtum immaculatæ Conceptionis, in primo ſuo inſtanti ſanctiſſimæ ſemper celebraſſe; non minus ipſorum mens erga Sacrum Myſterium, ejuſque Feſtivitatem apparet ex Concionibus, quas de BB. Virgine ad Populos quolibet ſæculo habebant, in quibus ſimiles, vel æquivalentes ſparſim leguntur propoſitiones.

21. Sæculo tertio: Origenes, Homil. 1. ex decem in diverſos locos novi Teſtam. in Cap. 1. Math. pag. 274. part. 2. ejus Oper. Edit. Paris. 1604. = *Hujus itaque unigeniti Dei dicitur hæc Mater, Virgo Maria, digna Dei, immaculata Sancti immaculati, una unius, unica unici... quæ neque perſuaſione Serpentis decepta eſt, neque ejus afflatibus venenoſis infecta*.

22. Sæculo quarto: S. Joannes Chryſoſtomus, Homil. in Chriſti Nativ. tom. 6. pag. 496. Edit. Paris. 1624. = *Quemadmodum Artifex, inventa materia utiliſſima, vas pulcherrimum fabricatur; ita Chriſtus, invento Virginis Sancto Corpore, & Anima, Templum ſibi conſtruxit animatum*..

23. S. Epiphanius, Cypri Epiſcopus, Serm. de Laudib. S. M. D. tom. 2. pag. 291. Edit. Colon. 1682. de B. Virgine ait = *Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtit. Natura formoſior eſt ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelorum; cui prædicandæ, Cœleſtis, ac terrena lingua minime ſufficit, imo vero nec Angelorum*. Si BB. Virgo fuiſſet ſicuti nos omnes *naturâ filia iræ*, quomodo dici poſſet *naturâ formoſior Cherubim, & Seraphim?* Putat Petavius, iſtum Sermonem non eſſe ſancti

Epi-

Epiphanii, ſed alterius Epiphanii, etiam Cypri Epiſcopi, qui claruit anno 870; Quæ ſi ſubſiſterent, ad Sæculum nonum amandanda foret iſta auctoritas.

24. Sæculo quinto: S. Cyrillus, Epiſcopus Alexandrinus, Homil. Encom. in S. M. D. tom. 5. part. 2. pag. 309. Edit. G. L. Paris. 1638. = *Salve Maria Deipara, per quam Baptiſma Sanctitatis tremendum, & Jordanicum effulſit. Salve Maria Deipara, per quam Joannes, & Jordanes ſanctificantur, & Diabolus rejicitur.* Quidam aliam citant auctoritatem ex lib. 6. Comment. in Joan. Cap. 15. At, ut optime notat Pater Plazza, iſte Liber non eſt S. Cyrilli, ſed Judoci Clictovei, qui cum ex duodecim S. Cyrilli Libris ſuper Joannem, quatuor intermedii non invenirentur, commentatione ſua illos ſupplevit, prout obſervari poteſt in Edit. Paris. Operum ejuſdem ſancti, an. 1573., & 1605.

25. Sanctus Amphilochius, Sidæ Epiſcopus, Orat. 4. in S. Deip. & Simeonem = *Cedo percontantibus nobis* (Neſtorium affatur) *utrumne vel ſenſu judaico, ut virum, ita & Adæ Conjugem, intemeratis Opificis manibus fictam, dicenti Legi Divinæ aſſentiris? Et ſi quidem negaveris, nonne propalam a nobis, & ſcripturis extraneus exiſtis? Sin autem affirmaveris; Quid, ſtulte, a veritate diſſentis, Deique placitum in SS. Virgine ad communem ſalutem provide diſpoſitum detrectas, atque renuis? Qui enim antiquam illam Virginem* (Evam) *ſine probro condidit; ipſe & ſecundam* (Mariam) *ſine nota, & crimine fabricatus eſt. Quippe quod eſt de foris pulchre fecit, etiam quod intus eſt, ad domicilium Animæ ſancte perornavit...... quamquam quod ſpectat ad fictionem, complectuntur, & tradunt Divinæ Scripturæ. Nihil quippe quod Deo ſit amicum, ignominiam, aut probrum habet. Apage:* Confeſſio enim, & magnificentia *Divinum ejus, & laudatiſſimum Opus.*

Opus. = Pag. 42. & 43. ejus operum, a Combeſiſio editorum. = Hæc S. Amphilochius, qui aſſerit, Deum *ſine nota*, *&* *crimine* fabricaſſe Mariam; *pulchre feciſſe* quod erat in ea de foris, & *ſanƈte* etiam *perornaſſe* quod intus erat. Quæ omnia ſequentibus verbis probat, nempe: *Nihil quippe quod Deo ſit Amicum ignominiam, aut probrum habet*; nec non & Prophetæ verbis: *Confeſſio*, *&* *magnificentia opus ejus*.

26. Sanƈtus Proclus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Homil. ad Patres Concil. Epheſ. = *Clemens Deus ex Muliere naſci non erubuit*; *quod enim agebatur*, *vita erat*. *Nullam inde ille contrahit labem*, *quod intra viſcera*, *quæ citra omnem dedecoris notam condiderat*, *inhabitat*. Apud Labbe tom. 3. Concil. col. 579. = Et Orat. 6. quæ eſt Laudatio S. Dei Genitricis = *Non meminerat* (de S. Joſepho loquitur, nondum Myſterii Incarnationis conſcio) *non meminerat*, *potuiſſe eam effici Dei Templum*, *quæ ex* Mundo *erat formata* Luto. *Latebat eum*, *ex Virginali rurſus Paradiſo*, *intemeratis Domini manibus*, *plaſmari ſecundum Adam*. Putant aliqui, iſtam Orationem Sanƈto Proclo tribui non poſſe. Inſulſum enim, inquiunt, continet dialogum, Deiparam inter & S. Joſephum. Sed ubique reperitur inter Opera iſtius Sanƈti, nempe tom. 6. Bibliot. Max. PP. pag. 597., in Analeƈtis ejus G. L. pag. 225., & in Auƈtario Patris Combeſiſii, qui tom. 1. col. 476. de eadem Oratione ait: *Ad Romanum unum Codicem*, *ex quo ſingulari Riccardus ediderat*, *acceſſit alter Regius*, *ex quo multa emendata ſunt*. Quod autem ſpeƈtat ad Dialogum qui obiicitur; plures alii fere ſimiles ſparſim leguntur in Patrum Græcorum Homiliis, prout videri poteſt in Bibliot. Max. Patrum, & in alia Combeſiſii.

27.

27. Joſeph Simonius Aſſemanus, Syrus Maronita, Bibliot. Orient. tom. 1. pag. 310. loquens de operibus Sancti Jacobi, Sarugenſis Epiſcopi, qui EODEM SÆCULO QUINTO florebat, ait: „ De Sancta Virgine Dei Genitrice Maria ſermones tres. Primus incipit: *Bone, cujus oſtium malis, & peccatoribus patet*... Mariam ab omni peccati labe immunem eſſe, hoc argumento Jacobus probat: *Si qua macula, aut defectus animæ ejus ineſſet, aliam ſibi Matrem quæſiviſſet, quæ omnis labis expers eſſet*.

28. Sanctus Chryſippus, Presbyter Hieroſolymitanus, Homil. de S. M. D., ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Obliviſcere populum tuum*: BB. Virgini ait: *Populus a quo cognationem contraxiſti, nequam eſt, ignominiam tibi affert*. *POPULUS INIQUUS TIBI GERMINI MACULÆ EXPERTI NATURA JUNGITUR, & cultura ſpinarum ferax roſam tuam producit*. Verba, majuſculis litteris exarata, in Bibl. Max. PP. tom. 11. pag. 1044., & in Bibliot. G. L. VV. PP. tom. 2. pag. 427., iſto alio modo habentur, videlicet: *Populus imprudens tibi irreprehenſæ naturæ propagini familiaritate junctus eſt*. En textus græcus: [illegible].

29. SÆCULO SEXTO: S. Anaſtaſius Sinaita: *Et quis . . . audebit dicere, quod ea* (B. Virgo) *quæ eſt ejuſdem ſimul cum Deo eſſentiæ, quoad carnem attinet, non ſit ad imaginem, & ſimilitudinem ejus, qui eſt ex ipſa natus? Quomodo enim eſt Mater hujuſmodi Filii, non ferens in ſe INTEGRAM, & ILLÆSAM fœtus ſui imaginem?* Bibl. Max. PP. tom. 9. pag. 885.

30. Heſychius, Presbyter Hieroſolymitanus, Homil. 2. de S. M. V. ſuper illa Iſaiæ verba: *Ecce Virgo in utero concipiet*; ait: *Quænam? Mulierum egregia, e Virginibus electa, præclarum naturæ noſtræ ornamentum, gloria luti noſtri, quæ Evam pudore, & Adamum commінatione liberavit, audaciam Draconis excidit; quam concupiſcentiæ*

fumus

fumus non attigit, neque vermis voluptatis eam læſit: Bibl. Max. PP. tom. 12. pag. 187., & Bibliot. G. L. VV. PP. tom. 2. pag. 425.

31. Sæculo septimo: Sanctus Andreas Cretenſis, Encom. in Nativ. SS. Deiparæ: *Hodie omnium Creatoris creatum delubrum ædificatum eſt; ac creatura, nova, decentique ratione, novum Auctori paratur hoſpitium . . . Hodie ex nobis pro nobis Deo Adamus primitias offerens, Mariam primitias facit;* ET EX EA UNIVERSALI FERMENTO NON FERMENTATA, FIT PANIS AD GENERIS INSTAURATIONEM. Combefiſius hanc ultimam partem, majuſculis litteris exaratam, pag. 4. ſic refert: *Iiſque, quæ de tota conſperſione nihil inquinamentum ſenſerunt, in panem formantur ad recreationem generis;* ac poſtea in notis ad dictum locum, not. 7. pag. 288. infert *nil aliud dicere voluiſſe Cretenſem, niſi ſolum Chriſtum de tota conſperſione nihil inquinamenti ſenſiſſe*. Ut autem omnibus, linguam græcam callentibus, vera, & ſincera clare appareat Sancti Andreæ mens, utrum videlicet in iſto loco Chriſtum Dominum, an vero BB. Virginem ab univerſali conſperſione excludat; genuinum idiomate græco illius textum, prout apud Combefiſium legitur, hic afferemus, nempe: Σήμερον ἐξ ἡμῶν ἀντὶ ἡμῶν ἀπαρχὴν, ὁ Ἀδὰμ τῷ θεῷ προσφέρων, τὴν Μαρίαν ἀπάρχεται· καὶ τοῦ ὅλου φυράματος, ἡ μὴ φυραθεῖσα, ἡ ἄρτος ἀρτοποιεῖται πρὸς τὴν τοῦ γένους ἀνάπλασιν. Quæ quidem mens ulterius apparet ex iis quæ paulo inferius ſubdit idem Sanctus: *Hactenuſque ſiccatis genitalium organorum meatibus, infuſo fœcunditatis humore, ex non genitalibus genitales, ac fœtificos reddidit; ac jam ex infœcundis, arentibuſque, ceu irriguis arboribus, perquamglorioſus fructus* (καρπὸς εὐκλεής) *Virgo hæc, omnibus modis maculæ expers* (παναμώμος) *nobis germinavit*.

32. Sæculo octavo: S. Joannes Damaſcenus, Orat. 1. de Nativ. B. V. fol. 330. = *Natura gratiæ cedit, progredi non ſuſtinens. Quoniam itaque futurum erat, ut Dei* Ge-

Genitrix Virgo ex Anna naſceretur, Natura gratiæ ſetum antevertere minime auſa eſt. Verum tantiſper expectavit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet. Siquidem oportebat, eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata ſunt, paritura erat . . . O beatos Joachimi lumbos, ex quibus prorſus immaculatum ſemen effluxit! O præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis, ex ea auctus, atque formatus fuit fetus Sanctiſſimus .... Beatus venter, in quo Deus ſanctificationis Arcam, hoc eſt eam, a qua ipſe ſine ſemine conceptus eſt, fabricavit. (vide infra §. 45.)

33. Joannes, Euboenſis Epiſcopus, Oratione de Conceptione Deiparæ, jam relata §. 3. = *Si Templa, nec præter tantæ rei dignitatem dedicamus; quanto magis ferventiori ſtudio, devotione infinita, ac Dei timore ſolemnitas hæc celebranda eſt, in qua non ex lapide fundamenta jaciuntur, nec manu hominum Dei Templum exædificatur; ſed in ventre, Deipara, ac Sanctiſſima Maria, Patris beneplacito, & Sanctiſſimi, & vivificantis Spiritus ope concepta eſt. Chriſtus Dei Filius, qui Lapis angularis eam extruxit, in qua poſtea & ipſe inhabitavit, ut Legem, & Prophetas, ad nos ſervandos adveniens, adimpleret.* Theodorus, Patriarcha Hieroſolymitanus, Epiſtola, in ſeptima Synodo generali lecta, & approbata, de Beatiſſima Virgine ait = *Quæ vere Dei Mater eſt, & ante partum, & poſt partum Virgo, atque omnis intelligibilis, ac ſenſibilis naturæ gloria, & claritate creata ſublimior.* Apud Labbe tom. 8. Concil. col. 830. = Non dicit Theodorus, quod Beatiſſima Virgo paulo poſt creationem facta fuerit ſublimior; ſed expreſſe quod fuerit *creata ſublimior*.

34. Sanctus Germanus, Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, Orat. 1. in Præſent. B. M. V. Beatam Annam ſic loquentem inducit: *Tandem clemens Dominus, ac ad*

miſerandum promptus, amborum inflexus precibus, Angelum ſuum miſit, qui nobis hujuſce meæ filiæ Conceptionem annuntiaret. Statim ergo, iubente Deo, Natura fetum ſuſcepit; neque enim ante gratiam divinam auſa erat ſuſcipere. Verum cum illa prior ingreſſa eſſet, matrix hactenus clauſa portas ſuas aperuit, ſuſceptumque a Deo pignus apud ſe retinuit, donec ejus ipſius nutu quod conceptum erat in lucem prodiit. Bibl. Max. PP. tom. 13. pag. 62. & Bibl. Combef. tom. 8. pag. 487. = Idem Orat. 2. in Præſent. = *Ave Summi Regis Sacroædificatum immaculatum, puriſſimumque Palatium.* Eod. tom. 8. pag. 491. = Idem Orat. in Annunciat. *Ave gratia plena, Urna manna habens tota aurea, Tabernaculumque purpuræ revera opere, quod novus ille Beſeleel auro intextum, variumque effinxit.* Apud. Combefiſ. tom. 1. Auctar. col. 1423. Digna ſunt obſervatione illa præſertim Sancti Germani verba: *Summi Regis Sacroædificatum immaculatum, puriſſimumque Palatium = Tabernaculum, quod novus Beſeleel auro intextum effinxit.*

35. Sæculo nono: Leo VI. Imperator, Sapiens cognominatus, Orat. 3. in Annunciat. *Tu, inquam, quæ tamquam Lilium in medio confuſiſſimi, ac perturbatiſſimi humanæ naturæ paſſionum agri, effloruiſti .... Cum adhuc in paternis lumbis contineveris, Progenitor tuus clamabat:* Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere Populum tuum, & Domum Patris tui. *Audiſti vero, o Filia, commonitionem, & oblita es Populi tui, & Sortis, & Domus paternæ; Sortis videlicet illius, quam tua Progenitrix toti Generi diſtribuit, immenſo illo dolorum cumulo, quaſi hæreditatis vice dato, & nihil horum in Domum tuam intuliſti. Propterea dilexit Te Rex ob Animæ tuæ pulchritudinem, Sponſamque ſibi delegit.* Tom. 1. Auctar. Combefiſ. col. 1636. & 1637. Notandum

hic,

Digitized by Google

hic, quod Beatiſſima Virgo nihil in Domum Suam intulit, nihilque recepit *Sortis illius, quam Eva toti Generi diſtribuit, & propterea dilexit eam Rex ob Animæ ſuæ pulchritudinem, Sponſamque ſibi delegit*.

36. Georgius Metropolita Nicomedienſis, Orat. 1. in Oraculum Conceptionis S. Deiparæ: *cum hodie texitur Regia Purpura, futurus nunciatur omnium Regis adventus*. Bibl. Max. PP. tom. 12. pag. 692. = Idem Orat. 2. = *Naſcitur Virgo ex Sterili; Deus ex Virgine corporaliter gignitur; ambobuſque novam Deus creaturam molitur*. Ibidem pag. 695. = Idem Orat. 4. in Præſentat. = *Sibi quippe Verbum ex eorum* (Joachim, & Annæ) *maſſa Tabernaculum extruens; ex eodem, altiori ſupra intellectum ratione, humanæ naturæ maſſam aſſumpſit .... Triennem illam offerunt in Templo .... Vas illud impollutum ... Hodie Columba illa irreprehenſibilis in Templi penetralia evolans, malitiæ aucupem devitavit .... Neque enim decebat, ut Tabernaculum illud mundiſſimum in Mundi ſordibus verſaretur ... Decebat, ut incontaminatus Theſaurus, immunis ab humanarum conſuetudinum contagio cuſtodiretur*. Ibidem pag. 705. = Idem Orat. 5. in Præſent. = *Eſt hæc Regina, quæ aſtitit a Dextris Dei; quæ, inquam, decori proxima, ac Splendori, formoſa per naturam, & in quam reprehenſio non cadit ... Vera illum ſignatum Fontem, ex quo emanant puriſſimi latices, ac Orbem univerſum irrigant; in quo turbidi luti nullæ ſunt deprehenſæ reliquiæ*. Ibidem pag. 706. = Hic notandum, quod Beatiſſima Virgo *per naturam formoſa* dicitur, & quod *in eam non cecidit reprehenſio, nec in ea turbidi luti ullæ ſunt deprehenſæ reliquiæ*.

37. Sanctus Petrus, Argorum Epiſcopus, de quo ſupra §. 6., Orat. in Conceptionem Sanctæ Annæ, quando concepit Sanctam Dei Genitricem = *Roſa fragrantiſſima*

in ſterili terra hodie plantatur = Fundamenta nunc jaciuntur puriſſimi Chriſti Templi = Nunc in utero arido Divinus plantatur Paradiſus = Levis Nubes componitur = Præparatur Porta, unius Dei ingreſſui ſervata = In ventre Annæ Mons hodie aſſurgit, in quo inhabitare Deo placebit = Generis noſtri Flos oritur = Palatium puriſſimum Deo præparatur = Arida tellus (Anna videlicet) *Dei Paradiſum irrigat.*

38. Sæculo undecimo: Joannes Geometra, Orat. 3. in Virg. Deipar.

Gaude concretum ſublimi corpus olympo,
Et vitii noſtri crimine Virgo carens . . .
Gaude primævi libera labe Patris . . .
Salve Ædes Sacra, pulchre ſtructa, immenſa, Nutrix
Altoris cunctorum, atque Patris Genitrix.

Bibl. Max. PP. tom. 27. pag. 472.

39. Jacobus Monachus, Orat. in S. M. Nativit. = *Viderunt te* (Prophetæ) *Thronum Cherubicum, Regalem Thalamum, ſupercæleſte Cælum, Templum præſanctum, multis Tabernaculum nominibus celebre. Viderunt te Urnam Spiritus auro conflatam.* Tom. 1. Auctar. Combefiſ. col. 1282.

40. Sæculo decimo tertio: Joannes Hieroſolymitanus, lib. de inſtitut. primorum Monachorum ad Capraſium, cap. 32. ſuper illa tertii Regum verba: *Ecce Nubecula parva, quaſi veſtigium hominis, aſcendebat de Mari*; ait, revelatum tunc fuiſſe Eliæ, *quod quædam Infantula, ſcilicet B. Maria, per illam Nubeculam ſignificata, & inſtar illius Nubeculæ per humilitatem parva, naſceretur de humana natura peccatrice, deſignata per Mare. Quæ Infantula jam in ſuo ortu* (ipſum loqui de

ortu

ortu in utero, ſeu de Conceptione liquet) *eſſet munda ab omni peccatorum ſorde, quemadmodum Nubecula illa fuit de Mari amaro, ſine tamen aliqua amaritudine. Licet namque Nubecula illa eſſet originaliter ejuſdem naturæ cum Mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriuſque proprietatis. Mare quippe ponderoſum eſt, & amarum; ſed Nubecula illa levis fuit, & dulcis. Sic quamvis in quolibet alio homine natura humana inſtar Maris ſit in ſua origine ita amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere preſſa, ut fateri cogatur:* Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me: *Beata tamen Maria de hoc Mari, id eſt natura humana, aliter fuit orta; quia in ſuo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, ſed inſtar illius Nubeculæ fuit levis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem chariſmatum. Ipſa enim in ſuo ortu fuit Nubes illa de qua per Moyſen figurate eſt ſcriptum:* Ecce gloria Domini apparuit in Nube. (Bibl. Max. PP. tom. 5. pag. 880. & P. Plazza pag. 92.)

41. Sæculo decimoquarto: Manuel II. Paleologus, Orat. de Venerab. Dei Genitricis Dormitione: *Simul ac nata fuit, dixerim quoque, ſimulatque concepta B. Virgo, ſua illam gratia implebat qui ſibi futuram præſtituerat Matrem; imo vero cum illa erat ipſe, antequam eſſet nata. Factum quippe, & compactum eſt illi corpus temporibus ſuis, ut loquitur Paulus, de Sanguinibus immaculatæ. Nunquam tamen non fuit illi conjunctus ſtatim atque in ſterilis Matris utero cœpit eſſe. Cur enim aliter ſit ſentiendum?* Apud Maracc. Cæſar. Marian. cap. 4. §. 2.

42. Sæculo Decimo quinto: Iſidorus, Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, in Feſto Præſentationis. = *Decebat, illius congreſſus, qui concipiendæ Virginis cauſa fuit, primordialem, & antecedentem cauſam non eſſe aliud,*

quam

quam Dei congreſſum, ut, qua fieri poſſet, ſola puriſſima propheticum quoque illud evitare poſſet: In iniquitatibus conceptus ſum; *poſſetque de ſeipſa affirmare:* ſolam non in peccatis concepit me Mater mea. *Nimirum hoc etiam numerando inter illa, quæ dictum illud complectitur:* Quia fecit mihi magna qui potens eſt. *Quod quidem Parentes ſuo facto oſtenderunt; e congreſſu enim habito cum Deo, devenerunt ad congreſſum qui ſuſcipiendæ prolis origo eſt. Optime igitur, & conſequenter hoc etiam ad miraculorum ejus cumulum acceſſit*. Bibl. Combefiſ. tom. 8. pag. 507. & apud P. Plazza pag. 113. qui ibidem ſequentia notat, videlicet: „ quod ſi forte apud eumdem Iſidorum, *Orat.* „ *in Dormit. Deip.*, aliquid contrarium offenderis; lege „ Hippolytum Maraccium, nota 20. ad iſtam Orationem, „ & Raynaudum in Diptychis Marianis pag. 140. & 141. „ tom. 7., ſuppoſititium id eſſe probantes.

43. Sufficient, puto, hæ Patrum græcorum propoſitiones, ad præſens extractæ, ut cuilibet innoteſcat, ipſos conſtanter, & unanimiter tenuiſſe, glorioſiſſimam Virginem Mariam abſque originali peccato fuiſſe conceptam; imo & immaculatam, ac Sanctiſſimam fuiſſe formatam, fabricatam, & conditam. Scio, varios Patres græcos Chriſtum Dominum, & quidem *ſolum* ab Originalis peccati contagio exemiſſe, præſertim dum generaliter de eodem peccato tractarunt. Sed ad hoc reſpondet Clictoveus, *lib.* 2. *de purit. Concept. B. V. cap.* 15. ibi: „ Sacri „ Auctores cum Dominum noſtrum eximunt ab originalis peccati contagio; ſub ipſo, & ſacratiſſimam ejus „ Matrem intelligunt, atque comprehendunt; & ideo „ non curant ampliorem, & expreſſiorem ipſius Virginis exceptionem explicare. Quandoquidem eodem potiuntur privilegio, & ejuſdem cenſentur juris Rex & Regina, ſponſus, & ſponſa, Filius, & Mater. „ Hæc

Cli-

Clictoveus, jure quidem, ac merito, ut enim ait S. Leo Magnus, *Serm.* 5. *de Nativ.*, Chriſtus eſt *unum cum Patre in ſubſtantia, quæ nunquam fuit minor Patre; unum cum Matre in corpore quod creavit.* & S. Joannes Chryſoſtomus, *Orat. de Nativ. S. Joan. Bapt. apud Surium tom.* 3. *pag.* 907. de Chriſto ait: *Merito is quoque, qui eſt natus, Matri talia præbuit privilegia. Quæ enim habuit Solus, ea illi quoque Soli dedit.* Deinde ſolus Chriſtus ſub lege peccati non fuit comprehenſus; ſolus conſequenter *de jure* ab eodem fuit exemptus; unde S. Hieronymus, vel, ut alii volunt Sophronius, *Epiſt. de Aſſumpt.* aſſerit quod *Mariæ ſimul tota ſe infudit plenitudo gratiæ; quodque in ea totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit,* QUAMQUAM ALITER. Cohærenter etiam ad humanas Leges, nempe: *Auguſta, licet Legibus ſoluta non ſit; Princeps tamen* EADEM *privilegia illi concedit, quæ ipſe habet.* = *Ulpianus L.* 1. *ff. de Legibus.* Solus igitur Princeps (Chriſtus) Legibus peccati originalis ſolutus fuit. Solus in eis non fuit comprehenſus; ſed, *licet Auguſta* (Maria) *eis ſoluta non fuerit,* Princeps tamen eadem privilegia illi conceſſit, quæ ipſe habebat. Scio pariter, Patres græcos pluries aſſerere, Beatiſſimam Virginem *ſanctificatam, mundatam, purgatam, & liberatam* fuiſſe; quæ omnia nihil in caſu de quo agitur probant. Ipſemet enim Chriſtus, *Joan.* 10. *v.* 36. ſanctificatus etiam dicitur: *Quem Pater ſanctificavit.* Et doctor Angelicus, objecta ſibi quadam auctoritate, quæ ſuo tempore Sancto Ambroſio tribuebatur, nempe: *Superveniens in Virginem Spiritus Sanctus .... mentem illius .... ab omni vitiorum ſorde caſtificavit;* ſic in 3. *diſt.* 3. *qu.* 1. *art.* 2. reſpondet: *dicendum, quod caſtificatio a ſordibus vitiorum, non intelligitur remotio exiſtentium, ſed impedimentum futurarum ſordium.* Et 3. *part. art.* 3. *ad* 3. reſpondens

ſimili

ſimili fere ſancti Damaſceni auctoritati, ait: *Et ideo dicit Damaſcenus, quod Spiritus Sanctus ſupervenit Virgini purgans ipſam, id eſt præſervans ne cum peccato originali conciperet*. Ac tandem *in Expoſit. Orat. Dominicæ*, ad illa verba: *Sed libera nos a malo*; ait quod Chriſtus *hic docet petere præſervationem a malis*.

44. Ut autem clarius intelligantur tum Patrum græcorum dicta, ſuperius relata, tum & ea, quæ in Officiis Divinis, ab eiſdem Græcis, ut ſupra, recitantur: abs re non erit, aliquid de Conceptione hominis in genere, ac de Conceptione Beatiſſimæ Virginis in particulari hic dicere. Siquidem per hominis Conceptionem non intelligitur, nec intelligi poteſt imperfecta fetus formatio. Alias falſum foret Prophetæ dictum: *In iniquitatibus conceptus ſum*: *In peccatis concepit me Mater mea*; cum fetus imperfectus, & nondum animatus, tam peccati, quam gratiæ ſit incapax. Sed debet intelligi primum inſtans quo fetus, rite organicus, ab Anima rationali informatur; Primum inſtans, quo vere dici poteſt: *Conceptus eſt Adæ Filius*: *Incipit exiſtere homo*; in quo quidem inſtanti homo a peccato originali inficitur, ex eo quod per naturalem generationem, ſeu per ſexuum commixtionem, originem ſuam trahat ex Adamo. Corpuſculum Beatiſſimæ Virginis Mariæ formatum fuit per naturalem generationem, ſicut alia hominum corpora; ſed cum ipſa ab æterno ordinata fuiſſet, ut Filia, Sponſa, & Mater Dei in tempore foret; ut foret ejus Tabernaculum, & Templum Divinum; conſequens erat, ut Anima ipſius, in primo ſuæ Creationis inſtanti, gratiarum abundantia repleretur, nec evaderet Dæmonis Filia, Serva, aut Tabernaculum ejus. Statim ac igitur illius Corpuſculum rite organicum extitit, Anima illius fuit creata; & omnium gratiarum cumulo donata, in illud infuſa eſt; Unde ſicuti

cuti de aliis hominibus Prophetæ dictum verificatur, nempe: *In iniquitatibus conceptus ſum: In peccatis concepit me Mater mea*; ita, ſed e contrario Beatiſſima Virgo cum veritate dicere potuit: *In gratia concepta ſum*, *In gratia concepit me Mater mea*. Fetus enim animatus, ſeu homo ex Corpore, & Anima compoſitus, terminus eſt adæquatus Conceptionis activæ Parentum; & ſicuti de iis ordinarie dicitur, quod generant Prolem peccato coinquinatam; ita de Sanctis Joachim, & Anna dici debet, quod generarunt Immaculatam, & Sanctiſſimam Puellam.

45. Quibus præmiſſis, facile intelliguntur omnia, quæ ſuperius de immaculata Conceptione dicta ſunt. Et incipiendo a Conceptionis Officio, in quo Græci cantant (ſupra §. 12.): *Immaculata Chriſti Purpura hodie annunciatur, de ſterili utero ex gratia contexta: Divinarum gratiarum Fons nunc relaxatur, ſcaturiens gratia in arida matrice*. Supponamus bombycem ab Erucis, ſeu Vermiculis cum albedine perfecta productam. Pannus ſericus, qui ex ea contexitur, non improprie dici poteſt *ex albedine*, id eſt *ex bombyce alba* contextus. Et licet albedo ſit quid accidentale in panno, verum eſt tamen dicere, quod iſte pannus, imo & ipſa bombyx qua textus eſt, nec per unicum inſtans abſque albedine fuerunt. Sic in præſenti caſu loqui debemus. Creavit Deus BB. Virginis Animam *perfecte albam*, id eſt gratiarum abundantia cumulatam: Ex iſta Anima veluti e trama, contexta fuit ſacra Chriſti Purpura, nempe Maria; contexta videlicet *ex gratiis*, id eſt, ex Anima gratiis in ipſa ſui creatione repleta. Unde verificatur etiam ſecundum, videlicet quod in ipſo Conceptionis Beatiſs. Virginis inſtanti, *gratiarum Fons relaxatus eſt*, *in arida matrice gratia ſcaturiens*. Idem enim fuit, adeſſe Mariam, *Matrem Divinæ Gratiæ*, in S. Annæ viſceribus, & adeſſe in eis

gratiarum ſcaturiginem. Similiter *Natura fœtum Gratiæ antevertere minime auſa eſt*, ut dixerunt Sæculo Octavo S. Joannes Damaſcenus, & S. Germanus, necnon ſæculo decimo quinto, Iſidorus Theſſalonicenſis; Mariam enim non generarunt ejus Parentes, niſi prius acceſſerit ejus Anima, gratia jam plena. *Semen* Joachim *immaculatum* vocatur, & *Fœtus*, qui in B. Annæ vulva formabatur, *Sanctiſſimus* dicitur; quia ſtatim ac utrumque ad illum pervenit ſtatum, in quo compoſitum ex eo, & ex Anima, ſanctum, vel maculatum dici poterat, immaculatiſſimum repertum eſt. Deinde Deus dicitur *Sanctificationis Arcam*, *Templum ſuum puriſſimum*, *Paradiſum cœleſtem*, & *Lignum vitæ* tunc condidiſſe, fabricaſſe, & reſpective plantaſſe. Hæc enim omnia, & ſimilia Nomina, & Elogia, ratione ſolius gratiæ ſanctificantis, BB. Virgini competebant; ac proinde cum ſolus Deus Animam illius tot gratiarum donis repleverit; ita jure, ac merito dicitur *condidiſſe*, & *fabricaſſe Tabernaculum*, *Paradiſum*, & *Sanctificationis Arcam*. Eodem modo benigne interpretari poſſumus Joannis Euboenſis verba, videlicet quod *Sanctiſſima Maria*, *Patris beneplacito*, & *Sanctiſſimi*, *ac vivificantis Spiritus ope concepta eſt*. Ibi enim de Sanctiſſima Maria loquitur Joannes, prout *ipſa Dei Templum* tunc *ædificabatur*, ibi = *Nec manu hominum Dei Templum exædificatur*; eodem ſenſu quo S. Joannes Damaſcenus B. Annæ dicebat (ſupra §. 32.) *Beatus venter*, *in quo Deus ſanctificationis arcam fabricavit*; ac per conſequens non præciſe ut Puella, dicitur concepta ope Spiritus Sancti, ſed reduplicative, ut *Dei Templum*, in quantum abſque ullo in Adæ Filiis exemplo, a Spiritu Sancto habuit, quod in primo ſuæ Conceptionis inſtanti *Templum Dei* eſſet, & quod abſque peccato, & plena gratia a ſuis Parentibus conciperetur. Deinde ſummope-

re

Digitized by Google

re curabant Græci, ne ſuper hoc aliquis apud eos ſerperet error; prout videri poteſt ſæculo quarto apud Epiphanium, *lib.* 3. *adverſ. hæreſ.*, *hæreſ.* 79., ibi = *Quamvis autem ex Mariæ hiſtoria, ac traditione illud habeatur, Joachimo ejus Patri divinitus hoc nunciatum fuiſſe*: uxor tua concepit; *non ita tamen accipiendum eſt, quaſi hoc citra nuptialem conſociationem, ac virilem ſatum acciderit*. Et ſæculo decimo, in Baſilii Menologio; quinto idus Decembris: *Concepit igitur Anna Mariam, non ut quidam dicunt Septimeſtrem, aut ſine viri opera*.

46. Ipſamet Eccleſia, & Summi Pontifices Verba Eccleſiaſtici: *Ego ex Ore Altiſſimi prodivi, Primogenita ante omnem Creaturam*: ſæpe ſæpius BB. Virgini applicant, abſque eo quod ſentiant, eam Spiritus Sancti ope fuiſſe conceptam. Ea verba Deiparæ applicant, non ex eo quod Deus Animam illius creaverit, alias omnibus hominibus applicari poſſent; imo nec ex hoc præciſe quod Anima illius cum gratia creata fuerit; Angeli enim, quorum plurimi ceciderunt, in gratia creati ſunt, & tamen non dicuntur ex Ore Altiſſimi prodiiſſe. Hæc igitur BB. Virgini applicantur verba, tum ob gratiarum abundantiam, quibus Anima ejus in ſuæ creationis inſtanti fuit cumulata; tum & ob confirmationem in gratia, ſeu impeccabilitatem, ut ita dicam, quam in eodem inſtanti a Deo recepit. Quidquid enim ex Ore Altiſſimi prodit, *vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor eſt Lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis, & imago bonitatis illius*; Sap. 7. 25.; ſive hæc omnia ab intrinſeco proveniant, prout in Verbo Incarnato; ſive ab extrinſeco, & ex mero privilegio, ut in BB. Virgine. Et ſic habemus etiam quomodo BB. Virgo dicatur ὑπέραγνος, *ſuper*

 omnes

omnes puros puriſſima, & ὑπεράμωμος, *ſuper omnes inculpatos inculpatiſſima*. Primum nempe, quod eſt quid poſitivum, ob gratiarum abundantiam, quibus nulla alia pura Creatura ditata fuit. Secundum vero, quod eſt negativum, ob confirmationem in gratia, quam in primo ſuæ creationis inſtanti ſola pariter obtinuit. Unde non ſolum in illo inſtanti ſine peccato extitit, ſicut Angeli, ſed ulterius in eodem inſtanti nullimode obnoxia fuit peccato, quod de Angelis dici non poteſt. *Filius*, inquit S. Franciſcus Saleſius, tract. de amore Dei part. 1. lib. 2. cap. 6. *corde vere filiali Matrem ſuam prævenit in benedictionibus dulcedinis, eamque præſervavit non ſolum a peccato, ut Angelos, ſed etiam* AB OMNI PECCATI PERICULO. Et hic notandum occurrit, quod ſine iſta veluti impeccabilitate poſſet forſan dici BB. Virgo πανάμωμος, ad hoc enim ſufficeret, quod nullo unquam qualicumque peccacato infecta fuiſſet; minime tamen dici valeret ὑπεράμωμος, ſeu *plus inculpata, quam cæteri inculpati*. Omnes enim Sancti Angeli abſque ulla vel minima umbra peccati ſemper extiterunt; & in hoc genere negativo BB. Virgo eos dumtaxat per hoc ſuperat, quod confirmationem in gratia receperit in ipſa creatione ſuæ Animæ, ac, mediante hoc privilegio, fuerit ab eodem primo inſtanti quodammodo impeccabilis. Tandem, & hoc repetere non piget, licet ſolus Deus Animam BB. Virginis in ſuæ Creationis inſtanti, gratiis repleverit, hoc non impedit, quin Sancti ejus Parentes Joachim, & Anna cum veritate dicantur concepiſſe immaculatam Virginem, Templum, Tabernaculum, & Paradiſum Divinum. Nam, ut jam diximus, terminus adæquatus Conceptionis activæ Parentum eſt homo, ex Corpore, & Anima rationali compoſitus; & ſicuti Parentes dicuntur hominem generare, licet ſolus Deus Animam illius creaverit;

ita

Digitized by Google

ita & in caſu noſtro Joachim, & Anna dicuntur generaſſe Mariam puriſſimam, & immaculatam, licet ſolus Deus illius Animam gratia repleverit, illam creando, & in Corpus infundendo. Sic etiam id verificatur quod in Conceptionis officio apud noſtros Latinos dicitur, videlicet *Conceptionem* BB. Virginis, quæ fuit *ex Semine Abrahæ*, & *ex ſtirpe David*, fuiſſe *claram*, *digniſſimam*, & *ſanctam*; quæ omnia falſa forent, ſi Animatio Corporis BB. Virginis vel per unicum inſtans præceſſiſſet Sanctificationem Animæ illius.

47. Objiciunt aliqui, quod Græci die 23. Septembris Conceptionem S. Joannis Baptiſtæ celebrant, licet ea nec ſancta, nec immaculata fuerit. Sed audiamus ſuper hoc Bollandiſtas in Præfatione ad Tomum primum Maji, in qua Græcorum, & Moſcorum Ephemerides referunt, ibique ad diem 9. Decembris Ephemeridum Moſcorum, *pag.* 58. *Edit. Venet.* 1737., ſequentia habent, videlicet: „
„ Non erit fortaſſis otioſum obſervare diverſitatem phra-
„ ſis, qua utuntur Græci, & poſt eos Moſci, agentes de
„ Joanne, & Maria. Siquidem die 23. Septembris, illius
„ σύλληψιν, id eſt Conceptionem, celebraturi, non dicunt
„ Conceptionem *S. Eliſabeth*, ſed *Joannis*; hic vero non
„ *Mariæ*, ſed *Annæ*; quaſi voluerint inſinuare, hanc qui-
„ dem in ipſo ſuo principio, ſeu in ipſo generationis
„ actu, quatenus ad eum Anna, virile ſemen excipiendo,
„ cooperata eſt, Sanctam fuiſſe; illam vero nullam in ſe
„ habuiſſe ſanctitatem, ſed ab eo qui poſtmodum eſſet
„ ſanctificandus in utero, veluti per denominationem ex-
„ trinſecam meruiſſe, ut ejus memoria in Eccleſiis reco-
„ leretur. Et hanc utriuſque Feſti diverſitatem ipſa Ico-
„ num diverſitas exprimit, dum hic ipſe conjugalis con-
„ greſſus, quatenus honeſte poterat, exprimitur, prout
„ etiam in Menæis excuſis videre eſt; iſthic ſola appari-

„ tio

„ tio Angeli, ſtantis ad dextrum cornu Altaris, & Za-
„ chariam edocentis, qualis ex eo filius naſciturus eſſet. „
Hæc Patres Henſchenius, & Papebrochius, qui diverſitatem oſtendunt objecti Feſtivitatum Conceptionis S. Joannis, & Conceptionis Beatiſſimæ Virginis; tum ex diverſis titulis, quibus in Græcorum, & Moſcorum Calendario exprimuntur; tum & præſertim ex diverſo modo, quo una, & alia Feſtivitas in Iconibus ab eis indicatur. Qualibet enim menſis die non ſolum notatur, ut apud nos, Feſtum quod agitur; ſed ulterius adeſt Imago, Sanctum, vel Myſterium repræſentans, cujus Feſtivitas celebratur. Qui uſus, decimo Sæculo, nempe tempore Baſilii junioris, introductus jam vel erat, vel fuit. *Baronius croit*, inquit D. Ceillier *tom.* 20. *pag.* 221., *que ce fut L'Empereur Baſile le Macedonien, qui prit ſoin de faire écrire le Menologe, & DE L'ORNER DES IMAGES DE TOUS LES SAINTS, dont il y étoit fait mention; mais on convient aujourdhui que c'eſt L'Ouvrage de Baſile Porphyrogenete, qui commença a regner en* 975. Cum igitur Imago diei nonæ Decembris expreſſe repræſentet Conceptionem S. Annæ; alia vero diei 23. Septembris repræſentet dumtaxat apparitionem Angeli, Zachariæ annunciantis, quod haberet Filium, *qui magnus foret coram Domino, quique Spiritu Sancto repleretur ex utero Matris ſuæ*; Evidens eſt, multo diverſum eſſe unius diei Feſtum a Feſto alterius. Videantur etiam iidem Bollandiſtæ *tom.* 4. *Junii pag.* 701. & 709. Hoc unum tamen moneo, parum firmamenti, ac virium habere argumentum, e diverſis unius, ac alterius Feſti titulis deſumptum, cum in Baſilii Imperatoris Menologio legatur: *Conceptio S. Eliſabeth, Genitricis S. Joannis Baptiſtæ*.

48. Majorem ſine dubio vim, & efficaciam illud habet argumentum, quod ex Officiorum diverſitate deſumitur, quæ a Græcis in dictis diebus recitantur. Siquidem

die

die 23. Septembris Veſperas incipiunt, ſequens cantantes Thropharium: *Cum Sacerdotale Miniſterium Divus Zacharias exerceret, & intra Diviniſſimum Templum verſaretur, offerretque Populi preces benefactori, ac miſericordiſſimo, Divinum Angelum vidit, ſibi clamantem: Oratio, ac deprecatio tua exaudita eſt; bono animo eſto, ſenex, neque mihi fidem neges, habebis enim divinum puerum Præcurſorem, natos mulierum longe ſuperantem, in Eliæ virtute Chriſto præcedentem*. Deinde ad Matutinum = *Eliſabeth a ſterilitate liberata eſt ... Præcurſor Joannes in utero exultat, eum, qui in Virginali utero erat, Deum præcognoſcens, ac dominum, ob noſtram ſalutem incarnatum*. Ode 1. = *Sacer Zacharias, Templum ingreſſus, Angelum vidit, ſibi filium clare nunciantem: Poſt ſenectutem, Sacerdos, habebis Præcurſorem*. Ode 5. = *In Templum eunti, ac legales creatori oblationes offerenti Prophetæ apparuit Angelus Sanctus, divinam Præcurſoris annuncians Conceptionem*. Ibidem = *Quomodo id mihi poteſt accidere? Sum enim ſenex, ut vides, ſterilemque habeo conjugem* (*inquit ad Archangelum Zacharias*); *Naturæ adverſantes obtrudis mihi ſermones*. Ibidem = *Ad Saram Abraami oculorum tuorum intende aciem, o homo; vide quod & ipſa in ſenectute Iſaac peperit, ac meis dictis merito fidem habeas; Reſpondit ad Senem Magnus Angelus*. Ode 6. = *Dubia ſum mente, tuiſque ſermonibus diffido* (*Archangelo inquit Sacerdos*); *Populi quippe ſalutem, non de meis lumbis fructum quæſivi*. Ibidem = *Creator naturæ, Angelorum Rex* (*contra reſpondit Miniſter*) *voluit ut pareres; meis, homo, verbis fidem ne deroges*. Ibidem = *Species tua ignea eſt, aſpectuſque tremendus, & vero etiam mirabilis ſermo tuus; nihilo tamen minus non credam tibi, alienigena verba naturam ſuperantia loquenti*. Ode 7. = *Quod meis verbis fidem non habueris, taciturnitatem accipe manifeſtiſſime; cumque ortam*

jam

Digitized by Google

jam videris Verbi Vocem, vocem recipe, benedictus, exclamans, es Deus Iſrael. Ibidem = *Exultibus tamquam verbis uſus Chriſti Magnus Præcurſor, Te, Jeſu, Patrum Deus, in utero Virginali adoravit, qui in ventre Eliſabeth geſtabatur*.

49. Hæc, & ſimilia, quæ a Græcis die Feſto Conceptionis S. Joannis Baptiſtæ cantantur, evidenter demonſtrant, dicta die ab eis celebrari tum apparitionem Angeli ad Zachariam, juxta id quod exprimitur in Icone, de qua ſupra; tum Dei beneficium, qui contra naturæ leges fecit, ut a parentibus ſterilibus Præcurſor Salvatoris conciperetur; tum tandem & exultationem ejuſdem Præcurſoris, in utero ſuæ Matris peractam. Econtra vero ad ſuperabundantiam vidimus, Conceptionis officium apud Græcos evidenter demonſtrare, celebrari ab eis puriſſimam, & immaculatam Beatiſſimæ Virginis Conceptionem. Vidimus pariter, iſtam devotionem apud eos a quinto ad minus Sæculo viguiſſe. Unde ſi ea ſubſiſterent, quæ narrat Cardinalis Raſponus *lib. 3. de Baſil. Lateran. cap. 12.*, tempore videlicet Hilari Summi Pontificis, exaratas quinto Sæculo fuiſſe quaſdam inſcriptiones, quæ antiquitus ad Altare Immaculatæ Conceptionis in Sancti Joannis Baptiſterio Romæ legebantur, nempe = *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus = Chriſtum ejus filium adoremus Dominum = Gyrum Cœli circuivi ſola, & in profundum abyſſi penetravi &c.* Jure, ac merito inferri poſſet, dictum Summum Pontificem e Græcia, quo a Sancto Leone miſſus fuerat, Romam attuliſſe hujuſmodi inſcriptiones. Sed quidquid ſit de hoc, certum ſaltem videtur, Sixtum IV. Invitatorium Officii proprii Immaculatæ Conceptionis, quod incipit *ſicut Lilium*, & primum ejus Reſponſorium ex dictis inſcriptionibus deſumpſiſſe.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De eodem Feſto in Hiſpania.

30. A Sancto Ildephonſo, Toletano Epiſcopo, inſtitutam fuiſſe in Hiſpania Sæculo ſeptimo eamdem Feſtivitatem, tenet Edmundus Martene, *De antiq. Eccl. Rit. tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 31., idemque ſenſerunt Dacherius, & Mabillonius in notis ad vitam ejuſdem S. Ildephonſi, *in Actis SS. Sæc.* 2. *Benedict. pag.* 1093. *edit. Paris.* 1669., ibi: „ Quam vetus ſit obſervatio Feſti „ Conceptionis B. M. in Hiſpania, diſcimus *ex Lib.* 12. „ *Leg. Wiſigoth. tit.* 6., ubi Ervigius Rex Lege lata præ- „ cipit, ut a Judæis obſerventur Feſta Chriſtianorum, „ in his Feſtum S. M. V., quo glorioſa Conceptio „ ejuſdem Genitricis Domini celebratur. Et tamen in „ Concilio Londonienſi, anno 1328. celebrato, hujus „ Feſti inſtitutio B. Anſelmo tribuitur. Quod forte an „ de Anglia ſola intelligendum. „ Et licet idem Mabillonius, elapſis deinde viginti annis, de hoc dubitaverit; pro indubitato tamen tenuit, eam Feſtivitatem celebratam ſaltem ibidem fuiſſe ſæculo decimo. Loquens enim de Libello vitæ Sancti Ildephonſi, a Goteſcalco in Galliam aſportato, *in notis fuſioribus ad Epiſt.* 174. *S. Bernardi col.* 61. *Edit. Paris.* 1690. ait: *Quin Conceptio B. Virginis Sæculo decimo* (*quo libellus prædictus de Vita S. Ildephonſi a Goteſcalco in urbem Anicium eſt allatus*) *apud Hiſpaniam celebrata ſit*, *in dubium vix revocari poteſt*. Et in vita S. Veremundi, Abbatis Hyrachenſis in Navarra, circa annum 1092. defuncti, habemus apud Bollandiſtas ad diem 8. Martii, in toto Navarræ regno, eam ſolemniter ſæculo duodecimo celebrari ſolitam

 fuiſſe,

fuiſſe, ibi *num.* 6. = *Non ita multo poſt ejus obitum, in eodem Monaſterio Feſtivitas Conceptionis immaculatæ celebrata eſt* 8. *die Decembris. Nam non multo poſt mortem ejuſdem Sancti, conſtat ex antiquiſſima ſcriptura, characteribus gothicis exarata, diem illum ſolemniter celebrari ſolitum in toto Navarræ regno, ac ſententiam juridicam, in quadam lite hujus Monaſterii, dilatam fuiſſe uſque ad diem Decembris nonam, ob reverentiam Feſti Conceptionis.* Quantum autem ab illo tempore ſucceſſive creverit in illis regnis eadem Feſtivitas, omnibus ſatis, ſuperque notum eſt, nec probationibus indigere videtur. Quædam tamen infra ſubjungemus in Appendice §. 264. & *ſeqq.*

ARTICULUS III.

De Revelatione, ſæculo undecimo, Abbati Elſino facta, & de Epiſtola S. Anſelmi, eam referente.

51. Circa finem ſæculi undecimi, Sanctus Anſelmus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, *Coepiſcopis ſuis, & omnibus B. M. myſteria colentibus* epiſtolam ſcripſit *de Conceptione B. M.*, in qua, ut eos, ad iſtius Myſterii Feſtum recolendum, induceret, revelationem narrat, cælitus Elſino factam, ſeu Elphino, Monaſterii Rameſienſis Abbati, in mari cum ſociis periclitanti, dum in Angliam rediret e Dania, quo a Guilielmo, in Angliæ regem anno 1066. ſacrato, miſſus fuerat. In hac autem revelatione dicto Abbati fuit iniunctum, ut diem Conceptionis, & *Creationis* Matris Domini Jeſu Chriſti ſolemniter, die octava Decembris, celebraret, ac celebrandum aliis prædicaret; quodque Officium Nativitatis dicta die recitaret, mutato nomine *Nativitatis*, in nomen *Conceptionis* = *Sum. num.* 1. Conceptionis autem, & *Creationis* diem celebrari præcipie-

piebatur, ut agnoſcerent omnes, non Conceptionem imperfectam ſolius fetus, vel corpuſculi nondum rite organici, colendam eſſe; ſed *Creationem* animæ, & infuſionem ejus in corpus, quæ fere idem ſunt, cum Deus, creando animam, eam infundat, & infundendo creet. *Promitte Deo, & mihi*, dicitur in revelatione, *quod diem Conceptionis, & Creationis Matris Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſolemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis*; diem videlicet Conceptionis perfectæ, & completæ, in quo vere dici, & aſſeri poteſt: Concipitur, ſeu concepta eſt Mater Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Suam deinde concluſit Epiſtolam S. Anſelmus, omnes pro viribus exhortando, ut eamdem celebrarent Feſtivitatem, ibi: *Et nos ergo, Fratres dilectiſſimi, ſi portum ſalutis volumus comprehendere, Dei Genitricis Conceptionem dignis officiis celebremus, ut ab ea, digna mercede remuneremur*.

52. Patres Gabriel Bergeron, & Natalis Alexander hanc Anſelmi Epiſtolam, ipſamque revelationis hiſtoriam, commentitiam eſſe contendunt. Sed objectiones eorum adæquate refellere videtur Pater Plazza, *lib. cit. pag.* 250. & ulterius efficaciſſima non deſunt argumenta, unam, & alteram, ad ſuperabundantiam comprobantia. Ad Cœlos ſiquidem evolavit Sanctus Anſelmus anno 1109., & Gaufredus, Monaſterii S. Albani in Anglia Abbas, anno 1119. ſtatuit, *Conceptionem B. Virginis in Cappis feſtive* in ſuo Monaſterio *celebrari*. Anno 1129. celebratum eſt in Anglia Concilium Nationale, & in eo, *omnium Epiſcoporum ſententiâ*, decretum fuit, *Deiparæ Virginis Conceptionem ſolemni Feſto per univerſum Angliæ Regnum celebrandam eſſe*. Anno 1140. aliquam de noſtra revelatione notitiam habuit S. Bernardus, cum in ſua ad Lugdunenſes Epiſtola, de Conceptionis Feſti fundamento loquens dixit: *Profertur Scriptum ſupernæ ut aiunt Re-*

velationis. Unde Mabillonius in notis ad ſecundam Editionem Operum S. Bernardi, Pariſiis anno 1690. peractam, ad hunc locum ait: *Hujuſmodi ſcriptum Elſino Abbati Anglo tribuitur apud Anſelmum*. Anno 1150. conquerebatur Potho, Monachus Prumienſis, de inſtitutione quarumdam novarum Feſtivitatum, ac præſertim Feſti Conceptionis: *Additur his a quibuſdam, quod magis abſurdum videtur, Feſtum quoque Conceptionis S. M.* Anno 1170. Nicolaus, Monaſterii S. Albani Monachus, idem Feſtum fortiter propugnavit contra Petrum Cellenſem, S. Bernardi Diſcipulum. Anno 1183. ſua exaravit Chronica Gaufridus, Monaſterii Voſienſis Prior, & in eis de Guillelmo, Normannorum Duce, in Angliæ Regem anno 1066. ſacrato, ſequentia habet: *Ea tempeſtate Triumphator ille Guillelmus Manſer, ſubjugata Anglia, probitate pollebat. Hic miſit in Daciam Elphinum, Abbatem Remeſienſis Monaſterii, cui in Mare periclitanti Angelus apparens, diem Conceptionis perpetuæ Virginis Mariæ deſignavit, eumque a mortis periculo eripuit*. Anno 1195. ſolemniter celebrabatur in Flandria, & in Hannonia Feſtivitas noſtra, ut patet ex quodam Balduini Diplomate, eodem anno dato *in Solemnitate Conceptionis glorioſæ Virginis*. Eodem modo celebrabatur Rothomagi anno 1197.; Duo enim Epiſcopi, a Pontificalibus ab Archiepiſcopo ſuſpenſi, ad pedes ejus pro reconciliatione perrexerunt *in Proceſſione ſolemni in Feſto Conceptionis B. M. V.* Anno 1222. celebratum eſt in Anglia Concilium Oxonienſe, & in eo omnia Feſta B. M. declarata ſunt de præcepto, *præter Feſtum Conceptionis, cujus celebrationi*, inquit Concilium, *non imponitur neceſſitas*. Anno 1235. florebat in Anglia Robertus Capito, Lincolnienſis Epiſcopus, qui immaculatæ Conceptionis defenſor extitit, & opus exaravit, cui titulus: *De Conceptio-*

ceptione, & *Excellentia B. M. Secundum Anselmum*, *Meditationes duæ*. Anno 1240. Epilogorum Libros in Geſta Sanctorum exaravit P. Bartholomæus Tridentinus, Ordinis Prædicatorum, in quibus ait: *Conceptio Matris Dei a pleriſque ſolemniter celebratur, ſicut ipſe, præſente Romana Curia, nec inhibente, in Cathedrali Eccleſia Anagniæ fieri vidi. Sentiant alii quod placet; dicam ego quod ſentio. Sive per occaſionem, ſive ex charitate, ſive quocumque alio modo Maria prædicetur, & laudetur, in hoc gaudeo, & gaudebo. Nec cauſam video, cur illam Conceptionem non dicam venerabilem.... Accedit his dictis in teſtimonium, Miraculum quod accidit tempore Ducis Normannorum Guilielmi... Abbas Elſinus ... vidit quemdam Pontificalibus indutum, dicentem ſibi: ſi Conceptionem S. M. te celebraturum voveris, liberaberis; qui dum diem quæreret, dixit: Sexto idus Decembris; Officium vero juſſit fieri Nativitatis, mutato tamen nomine Nativitatis, in nomine Conceptionis. Quod Miraculum per Angliam divulgatum, & devote receptum eſt. Et de iſto Feſto propria Hiſtoria poſtmodum facta, quæ a multis cantatur.* En præcipua pars Epiſtolæ S. Anſelmi, de verbo ad verbum tranſcripta.

53. Anno 1250. de Conceptionis Feſto in ſuis ſententiarum Libris ait S. Bonaventura: *Ut quidam dicunt, hæc Solemnitas celebrari non cœpit humana inventione, ſed divina Revelatione. Sed quia hoc authenticum non eſt, non compellimur credere; quia etiam contra fidem rectam non eſt; non compellimur negare*. Sed poſtea, anno videlicet 1263., rebus melius perpenſis, & elucidatis, Feſtivitatem Conceptionis in ſuo Franciſcano Ordine celebrari præcepit; notum per hoc omnibus faciens, ſe, a tempore quo dicta ediderat Opera, multa ſuper hoc Myſterio didiciſſe, antea ſibi prorſus ignota. Anno 1270. Guillelmus Durandus, & Henricus Gandavenſis de noſtra Revelatione locu-

locuti ſunt. Primus quidem *lib. 7. cap. 7. Rat. Div. Offic.*, ubi ait, quod quidam Conceptionis officium faciebant, *aſſerentes, hoc fuiſſe revelatum cuidam Abbati in naufragio conſtituto*. Alter vero *quodlib.* 15. *qu.* 13. de Conceptionis Feſtivitate ſequentia habet, nempe: *Aliqui dicunt, ſuper ejus celebratione facienda habitam fuiſſe Divinam Revelationem; & quod propterea Normanni, in quorum Territorio dicitur hujuſmodi Revelatio facta fuiſſe, præ cæteris Populis illam Conceptionem præcipue celebrant*. Anno 1287. Synodus Exonienſis, *inter feſta ſolemniter celebranda cum Clero, & Populo* annumeravit *Conceptionem B. M.* Anno 1328. Concilium Londinenſe ſequens edidit Decretum, nempe = *Venerabilis Anſelmi Prædeceſſoris noſtri, qui ... Conceptionis ſolemne ſuperaddere dignum duxit, veſtigiis inhærentes, ſtatuimus, & firmiter præcipiendo mandamus, quatenus feſtum Conceptionis prædictæ in cunctis Eccleſiis noſtræ Cantuarienſis Provinciæ, feſtive, & ſolemniter de cætero celebretur*. Et eodem circiter tempore, Joannes Baconius, Theologus Anglus, aſſeruit, *epiſtolam S. Anſelmi haberi in multis locis in Anglia, & Francia; & Pariſiis a ſe inventam in Abbatia Sancti Victoris*. Omnia autem tam in præcedenti, quam in iſto Paragrapho relata, videri poſſunt *in noſtro Summario num.* 2. ad ſingulos annos hic citatos. Tandem adeſt Romæ in Bibliotheca Sanctæ Crucis in Hieruſalem Codex manuſcriptus ſæculi 14. *num.* 363., cui titulus: *Breviarium Franciſcanum ſecundum Romanam Curiam*; & pro lectionibus Officii Conceptionis B. M. V. habetur in eo dicta Epiſtola, prout etiam legitur in Breviario Romano ſæculi 15. ſignato *num.* 372., & in omnibus fere Breviariis tam Romanis, quam particularium Eccleſiarum, vel Ordinum, ante Pii V. tempora editis; in iis, videlicet, ut plurimum, in quibus pro dicta die aſſignatur officium *ut in die Nativitatis*, mutato nomi-

nomine *Nativitatis* in nomen *Conceptionis*, & *exceptis lectionibus*. Unde uſque ad Pii V. tempora, magis, ac magis ſucceſſive id verificatum fuit, quod anno 1240. de noſtra revelatione jam ſcripſerat memoratus Pater Bartholomæus Ordinis Prædicatorum, videlicet: *De ea, propria habetur hiſtoria, quæ in multis Eccleſiis cantatur*. Et illud pariter, quod anno 1140. dicebat S. Bernardus: *Profertur Scriptum Supernæ, ut ajunt, revelationis*. Nec non & aliud, quod ex S. Bonaventura retulimus. Quibus omnibus perpenſis, non video quomodo in dubium verti poſſit memorata S. Anſelmi Epiſtola; quidquid ſit de adulterationibus, aut additionibus, quæ in quibuſdam ejuſdem Epiſtolæ exemplaribus ſucceſſive fieri potuerunt. Deinde dato etiam quod hæc Epiſtola genuinus non foret S. Anſelmi fetus; habemus ſaltem ex recenſitis Documentis antiquitatem feſtivitatis noſtræ apud Anglos, Normannos, & Belgas.

ARTICULUS IV.

De Feſtivitate Conceptionis B. M. V. in Anglia, Normannia, Flandria, & ubique fere terrarum, a tempore S. Anſelmi, uſque ad concilium Baſileenſe.

54. VIX in Anglia, Gallia, Germania, & alibi creſcere cœpit fidelium pietas erga Conceptionis Feſtivitatem, quod varios fere ubique nacta eſt adverſarios; videlicet Sanctum Bernardum, anno 1140., Pothonem Prumienſem, anno 1150., &, ut cæteros non paucos taceam, Petrum Cellenſem, anno 1170., *Sum. ibid.* Sed, ut obſervaverunt Armamentarii Seraphici Auctores, *col.* 3. dicti operis: *Hujus Myſterii veneratio contradictionibus ſemper crevit*, & *Palmæ ad inſtar, quo violentius oppreſſum eſt, vehementius aſſurrexit*; unde Edmundus Martene

tom.

tom. 3. *de ant. Eccleſ. Rit. lib.* 4. *cap.* 31. *num.* 14., relata oppoſitione, ad dictam Feſtivitatem facta per Sanctum Bernardum, & per Pothonem Prumienſem, ſic loquitur. *Eorum zelus non impedivit, quominus ſtatim fere per totam Galliam devotiſſime ab omni Chriſtiano percelebraretur populo; uti ſcribit Atto, Prior Monaſterii S. Petri de Regula, in Statuto, quod, anno* 1154., *de celebranda ſolemniter eadem Feſtivitate edidit*. Elenchum exhibeo in Summario, *num.* 2. *jam citato*, quo cultus, ſacro Myſterio variis in locis ſolemniter exhibitus ſpatio trium ſæculorum, duodecimi videlicet, decimi tertii, & decimi quarti, agnoſci poteſt. In eo videntur Cappellæ, & Eccleſiæ, ſacro Myſterio, annis 1213. 1250. 1264. 1280. 1281. 1312. 1337. 1339. 1374. 1395. dicatæ. Videntur Confraternitates, ſub eadem invocatione, annis 1261. 1350. erectæ; & Octava Feſtivitatis, annis 1272. 1323. 1334. & 1364. variis in locis celebrata. Eos vero, qui dictum viderint Elenchum, pro amore Beatiſſimæ Virginis Mariæ oro, ut meæ ſupplere dignentur negligentiæ, & alia, quæ facile forſan invenire poterunt, adjungant exempla, ut magis, ac magis omnibus appareat, recentem adeo non eſſe, etiam in Occidentali Eccleſia, hanc noſtram Feſtivitatem.

55. Fateor, Statuta Galonis, & Simonis anno circiter 1215. edita, & in dicto Elencho repoſita, in quibus habetur: *Conceptio B. M. hodie, de mandato Sedis Apoſtolicæ, celebratur*: in dubium a quibuſdam, etiam eruditis, revocari. Ea tamen cum aliis, ſequentibus inductus motivis, inſerui. Primo enim, Bochellus, qui ea in lucem edidit, juriſconſultus erat eruditus, & ejus opera a viris doctis maxime commendantur; prout teſtatur Dominus L' Advocat *in ſuo Compend. Diction. hiſt. litt. B.* Secundo illud Statutum reperio, a Benedictinis S. Mauri relatum in ſua Gallia Chriſtiana. Tertio, in Angliæ Annalibus, Decre-

tum

tum de celebrando ſolemniter Conceptionis Feſto, anno 1129. editum, a Romano Pontifice, nullo forſan contradicente, confirmatum dicitur. Deinde Statuta Attonis, anno 1154. edita, a nullo, quem ſciam, reſpuuntur, licet in eis referatur, quod, jam tunc temporis, Feſtivitas ſacri noſtri Myſterii *fere per totam Galliam devotiſſime ab omni Chriſtiano percelebrabatur populo*. Ulterius, apud Chriſtianum Lupum, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Doctorem Lovanienſem, *tom.* 4. *de Moguntino Concilio*, anno 1049. celebrato, ſequentia lego, videlicet = „ Aliud hu„ jus Synodi Decretum habemus in magno Belgii Chro„ nico: Synodus Moguntiæ generalis celebratur in *præ*„ *ſentia Sancti Leonis* Papæ, & Henrici Imperatoris, in „ qua, inter alia, *inſtituitur Feſtum Conceptionis B. M. V.* „ & Auctor Operis cui titulus: *Traitté de L'etude des Conciles, a Paris* 1724. 1. *part. cap.* 2. *pag.* 95., ſequentia refert: *La Fête de la Conception de la Vierge eſt inſtituée dans le Concile de Mayence en* 1049. *ſelon la grande Chronique de Flandre*. Similiter Joannes Marlot, *in Hiſtor. Eccleſ. Rhemen. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 23. *pag.* 482. Statuta Galonis, veluti legitima, & Bochellum citat nempe = *Refert Laurentius Bochellus, de Decretis Eccleſiæ Gallicanæ lib.* 4. *cap.* 13. *quod a Sede Apoſtolica duo Legati &c.* Tandem Clariſſimum Virum Carolum Dupleſſis Dargentrè, Doctorem Sorbonicum, *Collect. de nov. error. part.* 1. *pag.* 30., his noſtris temporibus, ſic loquentem invenio: *Apoſtolica Sedes Feſtivitatem Conceptionis B. V. in Eccleſiis Hiſpaniæ, tum Angliæ, tum alibi celebratam non improbavit; quin imo paulo poſt, ſub Innocentio PP. III., in omnibus Diœceſibus Galliarum, concordiſſime celebratus eſt hic Feſtus dies de mandato Sedis Apoſtolicæ; ut in quodam Decreto Gallicanæ Eccleſiæ fertur apud Bochellum lib.* 9. *cap.* 13. *Tandemque Romæ eadem Feſtivitas inſtituta eſt, poſt-*

quam a multis Pontificibus approbata eſſet. Hoc pacto, ſententia plurium Eccleſiarum de Immaculata Conceptione B. Virginis victrix fuit. Iſta enim Feſtivitas a Sancta Conceptione ſeparari non poteſt.

56. Hic autem notandum eſt, quod licet in variis Synodis, vel Conciliis, *Sum. num. cit.* præcipiatur, ut Feſtum Conceptionis ſolemniter ab omnibus celebretur; non inde tamen ſequitur, quod antea in dictis Diœceſibus, aut Provinciis celebrari jam non conſueverit; ſed hoc præcipitur, vel ad renovanda alias jam edita ſuper hac materia Statuta; vel ut Feſtivitas majori ſolemnitate celebretur. Audiamus ſuper hoc Edmundum Martenne, qui relato, loco citato, Concilii Londinenſis Decreto, anno 1328. edito, illud ſic explanat = *Quæ verba non ſunt ſic accipienda, quaſi tunc primum Conceptionis Feſtum per totam Cantuarienſem Provinciam recipi cœperit; ſed jam obſervatum diu per univerſam Angliam, feſtive, & ſolemniter recoli præcipit Concilium Londinenſe.* Et tam altas poſtea apud Anglos peregit radices noſtra Feſtivitas, ut poſt deſertam ab eis Catholicam Religionem, per aliquod tempus ibidem adhuc viguerit, prout refert Theophilus Raynaudus *tom. 8. ſuorum Operum pag.* 277., ibi „ In Rituali eorum Libro precum publicarum, & in Miniſterio publicæ adminiſtrationis Eccleſiæ, Londini cuſo cum privilegio Eliſabethæ Reginæ, diſerte præcipitur, ut pridie Conceptionis, & Nativitatis B. V. ſervetur jejunium, eaque Feſta juxta antiquum morem celebrentur. „.

57. Notandum pariter, quod licet expreſſe non habeatur quo tempore ab Eccleſia Romana celebrari cœperit hæc eadem Feſtivitas; jure tamen, ac merito aſſeri poſſet, hoc eveniſſe poſt emanatum divi Bonaventuræ Statutum, quo anno 1263. præcepit, ut in univerſo Franciſcano ſuo Ordine admitteretur Conceptionis Officium. Habemus enim

Digitized by Google

enim Joannem D'Ildeſeim, anno 1350. aſſerentem, quod *a multis temporibus conſueverant in Romana Curia viſitare Carmelitarum Conventum in Feſto Conceptionis*; Joannem Thaulerum, Ordinis Prædicatorum, qui eodem anno florebat, & apud quem legitur = *Sancta Romana, eademque Catholica Eccleſia Feſtum Conceptionis B. M. V. ſolemniter celebrandum, colendumque aſſumpſit*. Thomam de Argentina, Ordinis S. Auguſtini, qui ante annum 1345. ſcribebat = *Sancta Romana Eccleſia Feſtum Conceptionis Virginis glorioſæ ſolemniter celebrat*. Engelbertum, Ordinis S. Benedicti, qui anno circiter 1321. aſſerebat = *Cum Conceptionem B. V. non feſtivet Eccleſia niſi ratione ſanctificationis ipſius Virginis per gratiam; conſequens eſt, quod Eccleſia non feſtivat Conceptionem ſeminalem materiæ*; & Joannem Bacconium, anno 1335., vel 1340. dicentem, quod *publica, & diuturna conſuetudine celebratum fuerat hoc Feſtum in Curia Romana*. Habemus Bartholomæum Brixienſem, qui anno circiter 1280. vel paulo poſt, *idem Feſtum in Cappella Summi Pontificis, in præſentia ejus, & Cardinalium ſolenniter celebravit*. Teſtatur Bartholomæus Tridentinus ad annum 1240., quod tunc temporis, *Conceptio Matris Dei a pleriſque ſolemniter* celebrabatur, *ſicut ipſe, præſente Romana Curia, nec inhibente, in Cathedrali Eccleſia Anagniæ fieri viderat*. *Sum. num. 2. ad dictos annos*. Tandem pagina prima Breviarii Franciſcanorum notatur, quod Breviarium pro ipſis a Gregorio IX. anno 1241. approbatum, *Officiiſque Conceptionis B. M. V., & aliorum Sanctorum, a S. Bonaventura ſubinde auctum, adeo Sedi Apoſtolicæ placuit, ut, teſtantibus Radulpho Tungrenſi, Polmerio, Gavanto, & Cardinali Bona, cum innumeris aliis ſacris Scriptoribus, a Nicolao III., pro ipſa Romana Eccleſia ſuſceptum fuerit*. Sufficiat pro nunc auctoritatem afferre Radulphi Tungrenſis, qui *de Canon. obſerv. propoſ.* 22. ait:

ait: *Sciendum tamen, quod Nicolaus Papa III... fecit in Eccleſiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Miſſalia, & alios Libros officii antiquos quinquaginta, & mandavit, ut de cætero Eccleſiæ Urbis uterentur Libris, & Breviariis Fratrum Minorum... Unde hodie in Roma omnes Libri ſunt novi, & Franciſcani*. Cum autem Nicolaus III. anno 1277. ad Pontificatum aſſumptus fuerit, & e vivis anno 1280. abierit; ſequitur, quod in illo temporis intervallo, videlicet, ab anno 1277., ad annum 1280., Sancta Romana Eccleſia Conceptionis Officium recitare cœperit, prout jam multorum annorum ſpatio ipſa Romana Curia a pluribus ſolemniter fieri, abſque ulla prorſus repugnantia audierat, imo & viderat; eo magis quod *non dedignatur Sancta Sedes etiam inferiores Eccleſias in his rebus imitari*, ſicuti poſtea in caſu ſimili declaravit Paulus IV. in ſua Conſtitutione: *Ineffabilis = dat. idibus Januarii* 1558., qua ad univerſalem Eccleſiam extendit Officium Cathedræ Romanæ, *quæ in diverſis Orbis Chriſtiani, & præſertim Galliæ, & Hiſpaniæ Partibus celebrabatur*. Seraphico ergo Doctori, anno 1274. licet defuncto, tribui indirecte ſaltem poteſt noſtræ Feſtivitatis in Eccleſia Romana inſtitutio; ſicuti Doctori ſubtili, anno 1308. e vivis ſublato, jure & merito communiter adſcribitur incrementum, & propagatio tum ejuſdem Feſti, tum & pietatis Fidelium erga ſacrum Myſterium.

ARTICULUS V.

De Conciliis Baſileenſi, & Avenionenſi, ac de Academia Pariſienſi.

58. UT quæſtionem de Beatiſſimæ Virginis Conceptione decidere poſſet Sacrum Baſileenſe Concilium, Cardinali Alamano, Arelatenſi nuncupato, inter

alia

alia, commiſit, ut omnia perquiri procuraret Documenta, ad hanc materiam ſpectantia; prout refert Spondanus *ad annum* 1435. *num.* 12., tempore, videlicet, quo legitimum, & œcumenicum adhuc erat idem Concilium = *In Actis Navarrieis*, inquit Spondanus, *extat mandatum Concilii*, 10. *Calend. Junii*, *præſentis anni*, *datum Ludovico Cardinali Arelatenſi*, *qui aderat*; *quo* (*poſt narratas diſputationes*, *quæ factæ fuerant apud Delegatos Concilii pro rebus fidei tractandis*, *de Conceptione Beatiſſimæ Virginis*; *Utrum ejus Anima*, *in inſtanti ſuæ infuſionis in corpore*, *præſervata fuerit a peccato Originali*, *an non*;) *ei injunxit*, *ut diligenter procuraret per omnes Bibliothecas*, *ac ſingula Archiva Univerſitatum*, *Eccleſiarum*, *Monaſteriorum*, *Regumque*, *ac Principum*, *perquiri quoſcumque libros*, *ſcripta*, *acta*, *deliberationes*, *deciſiones*, *concluſiones publicas*, *vel privatas quaslibet*, *in generalibus ſtudiis*, *& alibi*, *de hac materia factas*, *aut quæ ad eam quomodolibet ſpectarent*, *ut*, *iis adiuta*, *poſſet hanc quæſtionem decidere*, *& definire*: Ex hoc autem Documento, ſeu Concilii Mandato habemus, quid Synodi, tunc temporis œcumenicæ, *pro rebus Fidei tractandis Delegati*, relate ad B. V. Conceptionem, examinandum ſibi ſuſceperant, videlicet: *An Anima Beatiſſimæ Virginis*, *in inſtanti ſuæ infuſionis in Corpus præſervata fuerit a peccato originali*, *an non*: habemus pariter, quot, & quantas peregerint diligentias, ut ad articuli deciſionem, & definitionem pervenirent.

59. Anno ſequenti 1436. Joannes de Segovia, Univerſitatis Salmanticenſis Theologus, *Allegatione* 7. ad ſacrum Concilium *exhibita*, *pag.* 345., de Immaculata Conceptione ait = *Cum eam fere ubique locorum cunctus celebret Populus Chriſtianus*, *Romana Eccleſia*, *& generalia Concilia*; *ſitque ſolemniter*, *& authentice connumerata inter majores Feſtivitates Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ* =

Et

Et aviſamento 6. ad idem Concilium *pag.* 519. = *In tantum jam multiplicata eſt, ut celebretur jam fere in omni Provincia, aut Diœceſi Religionis Chriſtianæ. Quodque tribuit auctoritatem magnam, Eccleſia Romana eam celebrat; maximam autem, quod generalia Concilia: & quod omni plenum validitate, quia celebratur frequenter in divino cultu, nominando eam expreſſe Sanctam Conceptionem.* Et *in Aviſamento 7. pag.* 524. *Quantum ad primam partem, intelligendum eſt, quod celebritas hujus Feſtivitatis fuerit jam in Eccleſia Dei celebrata a pluſquam trecentis annis.... Et ad hoc, quod allegabant, celebrari non debere, eo quod Romana Eccleſia non celebrabat; jam a tanto tempore, cujus initii memoria hominum non eſt in contrarium, hanc Feſtivitatem Eccleſia Romana celebrat ſexto idus Decembris.... In generalibus Conciliis, quæ celebrata ſunt a triginta annis, & permaxime in hac ſancta generali Synodo Baſileenſi, ipſo die ad celebrandam dictam Feſtivitatem ſolemniter conveniunt Patres in Veſperis, & Miſſa; fitque ſermo juxta condecentiam Feſtivitatis, laudando, ſanctam fuiſſe Conceptionem, & abſque ulla culpabili macula originalis peccati.* Expoſuit igitur Joannes de Segovia anno 1436. ſacri Concilii œcumenici Patribus, quod *Feſtivitas* Conceptionis in Eccleſia Dei, a *trecentis, & amplius annis* tunc celebrabatur; & ab ipſa Romana Eccleſia, *a tanto tempore, cujus initii memoria hominum non erat:* quod in divino cultu *Sancta* expreſſe nominabatur *Conceptio*; quodque quolibet anno, *ipſi Concilii Patres* in Veſperis, & Miſſa, Feſtivitatis die, conveniebant, ubi Concionatores, *ſanctam fuiſſe Conceptionem, & abſque originalis peccati macula* prædicabant; & hoc, ut dictum eſt, tempore, quo Concilium œcumenicum adhuc erat, & legitimum; & quo Adverſarii mordicus ſuſtinebant, *Sanctitatem Conceptionis* ſoli Chriſto convenire, prout infra videbimus §. 101.

60.

Digitized by Google

60. Anno 1439. Concilium, ab Eugenio IV. jam diſſolutum, ſed, eo reluctante, continuatum, Decretum edidit, quo declaravit, ſententiam de Immaculata Conceptione, *tamquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam; nullique de cætero licitum eſſe, in contrarium prædicare, ſeu docere*. Renovavit deinde inſtitutionem *de celebranda ſancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Eccleſias, ſexto idus Decembris, antiqua, & laudabili conſuetudine celebrabatur, ac præcepit, eamdem celebritatem, præfata die, in omnibus Eccleſiis, Monaſteriis, & Conventibus Chriſtianæ Religionis, ſub nomine Conceptionis, feſtivis laudibus colendam eſſe*; ac tandem varias conceſſit Indulgentias Chriſtifidelibus, tam Miſſæ, quam Divinis Officiis, illa eadem Feſtivitatis die intereſſentibus. *Sum. num.* 3. Concilio tunc præerat Cardinalis Alamanus, ſeu Arelatenſis, cui, ut vidimus, a Concilii Patribus anno 1435. iniunctum fuerat, ut ubique terrarum Documenta perquireret, pro dictæ materiæ elucidatione; quique poſtea a Clemente VII. Beatorum faſtis adſcriptus eſt, ut videri poteſt *apud Bolland. tom.* 5. *Septembris pag.* 436. ubi etiam habentur lectiones, quæ in Arelatenſi Metropolitana, die ejus Feſto, recitantur, in quarum quinta legitur, quod *Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ acerrimus defenſor, Feſtum ejuſdem Conceptionis*, ſexto idus Decembris, *in Eccleſia ſummo cum honore celebrandum curavit*.

61. Anno 1449. Concilium Lugdunenſe, de Chriſtianiſſimi Regis mandato, ad tollendum ſchiſma, celebratum, obſervari mandavit Decreta, a memorato Baſileenſi Concilio edita; „ Concilium Lugdunenſe, anno „ 1449. juſſu Caroli Regis celebratum ad tollendum

„ ſchiſ-

„ ſchiſma inter Nicolaum, & Felicem, qui rogatus a „ Concilio, & a Friderico III. Imperatore, libere ceſſit „ Pontificatui: *Art.* 18. = Obſerventur etiam inviolabi„ liter Decreta Sacroſanctorum Conciliorum Conſtan„ tienſis, & Baſileenſis; & in Eccleſiis, & Capitulis Ec„ cleſiarum Cathedralium, & Regularium, nec non in „ Conciliis Provincialibus, & Synodis Epiſcoporum pu„ blicentur = *Labbe tom.* 19. *Concil. col.* 94., *& Marten. Anecdot. tom.* 4. *col.* 375. Eodem tempore, nempe 18. Januarii dicti anni 1449., Nicolaus V., Eugenii in Pontificatu ſucceſſor, Conſtitutionem edidit, incipientem: *Tanto nos pacem* =, qua litteras, proceſſus, & decreta quæcumque, etiam *excommunicationum*, *ſuſpenſionum*, *interdicti*, *& anathematizationum*; ac tandem *omnia*, *& ſingula*, quæ peracta fuerant, tam *ab Eugenio IV.*, quam a ſeipſo *Nicolao*, *contra* Baſileenſe Concilium, *& eos*, *qui ſub nomine generalis Concilii*, tam *in Baſileenſi*, quam *Lauſanenſi Civitatibus fuerant*, *ac perſeveraverant*, ac tunc adhuc perſeverabant, nec non contra Amedeum, Felicem V. in ſua obedientia nuncupatum, decrevit, ac declaravit, *nullum effectum penitus ſortiri*, ſed perinde haberi debere, *ac ſi nullatenus emanaſſent*; eaque omnia, & ſingula *a Regeſtis* tam Eugenii, quam ſuis, *aboleri*, *& deleri mandavit*, caſſavitque, irritavit, ac *pro infectis haberi voluit*; prout latius videri poteſt *apud Labbe*, *loco citato col.* 49.

62. Ad Lugdunenſis Concilii preces, & inſtantias, Pontificatum abdicavit Amedeus; & Nicolaus V. aliam edidit Conſtitutionem, incip. *Ut pacis*; 14. Kal. Julii, ejuſdem anni 1449. datam, qua, cohærenter ad determinata in dicto Lugdunenſi Concilio, *omnia*, *& ſingula*, tam per Baſileenſe Concilium, & Amedeum, in ſua obedientia Felicem nuncupatum, *quam per illos*, *qui in Ba-*

Baſileenſi, & Lauſanenſi *Civitatibus*, *ſub nomine generalis Concilii*, congregati remanſerant, *qualitercumque facta*, *geſta*, *conceſſa*, data, indulta, *diſpoſita*, & *ordinata*, *etiamſi ſpecialem requirerent expreſſionem*, pro bono pacis, & unionis Eccleſiæ, *motu proprio*, ex certa ſcientia, & *de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*, nec non de conſilio, & aſſenſu Vener. S. R. E. Cardinalium, *approbavit*, *ratificavit*, & *confirmavit*, rataque, & firma haberi voluit. *Apud eumdem Labbe tom.* 17. *col.* 437.

63. Ad Cœlos anno 1455. evolavit Nicolaus V., eique ſucceſſit Callixtus III. ſub cujus Pontificatu, Cardinalis de Fuxo, Sedis Apoſtolicæ a latere Legatus, una cum Cardinali Alano Coetivo, Provinciale Concilium anno 1457. Avenione celebravit, in quo, inter alia, ſtatutum fuit, quod *Decretum in Concilio Baſileenſi*, *de Conceptione B. V. M. factum*, *inviolabiliter obſervari* deberet; omnibuſque, ſub excommunicationis pœna diſtricte inhibitum, ne aliquid in contrarium prædicare, vel publice diſputare præſumerent; ibi = Præterea Decretum, „ in Concilio Baſileenſi factum de Conceptione Beatiſs. „ V. M., ſtatuimus inviolabiliter obſervari; diſtricte o- „ mnibus inhibendo ſub excommunicationis pœna, ne „ quiſquam aliquid in contrarium prædicare, vel publi- „ ce diſputare præſumat. Quod ſi ſecus aliquis fecerit, „ dictam ſententiam eum incurriſſe volumus ipſo facto. „ Et in prima Synodo per Diœceſim, per quemlibet ce- „ lebranda, prædicta ſtatuimus prædicari, & Curatis Ec- „ cleſiarum iniungi, ut hæc Populo manifeſtent. *Labbe* „ *tom.* 19. *Concil. pag.* 183. = Sub ſilentio præteriri non debet, iſtum Cardinalem de Fuxo, Eugenii IV. partes contra Felicem ſtrenue defendiſſe, uti teſtatur Ciacconius *tom.* 2. *pag.* 742. ibi = *Orto ſchiſmate Felicis Sabaudi*, *Eugenii partem conſtantiſſime defendit*... *celebravit Conci-*

lium Provinciale Avenionenſe, cui præfuit, & ſubſcripſit his verbis: Petrus, miſeratione divina Albanenſis Epiſcopus S. R. E. Cardinalis, Avenionenſis vulgariter nuncupatus, a latere Sedis Apoſtolicæ Legatus.

64. Ex hucuſque dictis ad evidentiam reſultat, Avenionenſe Concilium nil aliud peregiſſe, niſi veſtigia ſequi, tum Lugdunenſis Concilii, tum & Nicolai V., imo, & addi poteſt, ipſius Eugenii IV., qui, publicato Baſileenſi Decreto, anno 1439. ut ſupra, favore Immaculatæ Conceptionis emanato, Indulta conceſſit pro firmiori illius executione, prout videre eſt in Annalibus Servorum B. M. V., *centur.* 3. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. *ad annum* 1444. Ibi ,, Cum, eiſdem illis diebus, Decre-,, tum Baſileenſis Concilii, de Feſto Immaculatæ Con-,, ceptionis B. M. V. ſolemni ritu quotannis celebrando, ,, *paſſim*, & *ubique*, plauſibili Reipublicæ Chriſtianæ con-,, ſenſione divulgaretur, *brevique ab omnibus pia religio-,, ne coleretur*; Ordo Servorum, ut, præ cæteris, hujuſ-,, modi honores ſoſpitatrici, & patronæ ſuæ Dei Matri ,, promptiori animo exhiberet; annuas quaſdam, pro eo ,, die, Rogationes per Urbes publice inſtituit. Quare ,, adhuc conſuetudo nonnullis in locis viget, utpote Se-,, nis, & Peruſii, ubi ex Senatus conſenſu, & *Eugenii* ,, *Indulto*, publicæ preces, & antiqua vota ſervantur.,, Et certe non videtur, quo animo Cardinalis de Fuxo, a Latere Sedis Apoſtolicæ Legatus, acerrimus antea Patrum Baſileenſium hoſtis, & Cardinalis Alanus Coetivus, cum aliis Concilii Avenionenſis Patribus, Decretum, favore Conceptionis emanatum, *veluti in Concilio Baſileenſi factum* publicare, ejuſque *inviolabilem* præcipere *executionem* auſi fuiſſent; niſi illud a Sancta Sede jam approbatum, confirmatumque fuiſſe pro comperto habuiſſent. Nec ullibi invenietur, quod Callixtus III., tunc tempo-

tis

ris Summus Pontifex, de hoc vel minimum conqueſtus fuerit; quod tamen, reſtituta jam totaliter Eccleſiæ pace, ſecure facere potuiſſet, imo & debuiſſet, ſi hujuſmodi Decretum a ſuis Prædeceſſoribus, tamquam a *Concilio Baſileenſi* emanatum, vere, & realiter approbatum non fuiſſet. Inferius ſimiliter videbimus, idem Decretum, variis in locis, centum & amplius annorum ſpatio, cum titulo: *Decretum Sacroſancti Baſileenſis Concilii*, in divinis Officiis, pro Lectionibus recitatum fuiſſe; nec non, & in plurimis, ac fere innumeris Miſſalibus, Miſſam *Sacri Baſileenſis Concilii*, pro die Feſto Immaculatæ Conceptionis aſſignatam fuiſſe, abſque ulla pariter Summorum Pontificum vel minima ſuper his querimonia.

65. De cætero, cum Nicolaus V. per ſuam Conſtitutionem: *Tanto nos pacem*; omnia contra memoratos Baſileenſes Patres peracta, *nullum penitus effectum ſortiri debere* decrevit, *eaque* perinde haberi debere, *ac ſi nullatenus emanaſſent*; & tamquam *infecta* conſiderari, & *e Regeſtis* Pontificiis *aboleri*, & *deleri* mandavit; hoc non ſine gravibus fundamentis, maturaque deliberatione determinavit. Siquidem ipſius Eugenii exemplum, in hoc caſu, aliquo modo ſecutus eſt. *Cum enim* anno 1432., per duas vel tres Conſtitutiones, auctoritate Apoſtolica, *idem Concilium alia vice omnimode diſſolviſſet* Eugenius, diſſolutumque publicaſſet, & multa decreviſſet contra eoſdem Patres, aperte ipſi obedire renitentes, imo, & eum ad ſuum Tribunal, veluti reum, iteratis vicibus citantes; re tamen melius examinata, 18. Kal. Januarii 1433., Conſtitutionem edidit, incipientem: *Dudum ſacrum*: in qua ſic legitur = *Dudum ſacrum generale Baſileenſe Con-* „ *cilium* ... ex certis cauſis, in aliis noſtris Litteris ex- „ preſſis, de FF. noſtrorum S. R. E. Card. conſilio, & „ aſſenſu *diſſolvimus*. Verum, cum ex dicta diſſolutione

„ ortæ

„ ortæ ſint graves diſſenſiones, & graviores oriri poſ-
„ ſent ... *Decernimus, & declaramus, præfatum Conci-*
„ *lium generale Baſileenſe*, a tempore ſuæ inchoationis,
„ *legitime continuatum fuiſſe, & eſſe*, proſecutionemque
„ ſemper habuiſſe, continuari, ac proſecutionem habere
„ debere . . . *perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet.*
„ *Quin imo præfatam diſſolutionem irritam, & inanem*,
„ de conſilio, & aſſenſu ſimili declarantes &c. Præterea
„ *duas noſtras Litteras*, pridem in Palatio Apoſtolico pro-
„ mulgatas, & *alias quaſcumque*, & *quidquid per nos*,
„ *aut noſtro nomine*, in præjudicium, aut derogationem
„ prædicti Sacri Concilii Baſileenſis, ſeu contra ejus au-
„ ctoritatem, factum, & attentatum eſt, caſſamus, re-
„ vocamus, irritamus, & annullamus, *nullas, & irritas*
„ *fuiſſe, & eſſe declaramus.* „ *Apud Labbe tom.* 17. *col.* 292.

66. Si igitur ipſemet Eugenius in iſta Conſtitutione, attentis temporum circumſtantiis, prudenter declaravit, *nullam*, & *irritam* fuiſſe *primam* Baſileenſis Concilii *diſſolutionem*, a ſe factam, nullaque pariter, & irrita fuiſſe omnia, in præjudicium Concilii Patrum, tunc a ſe peracta: ſi ulterius declaravit, *memoratum Concilium*, non obſtante eadem diſſolutione, *legitime continuatum tunc fuiſſe*; evidenter ſequitur, quod in examine ſecundæ ejuſdem Concilii diſſolutionis, & ſecundæ pariter, ea non obſtante, ejuſdem proſecutionis, ſeu continuationis, efficaces ex una, & ex altera partibus inventæ fuerint rationes, quæ neceſſario cauſam plurimum intricatam reddere debebant, & prudentiſſimo indigebant remedio; ac per conſequens ſummopere laudari debet Nicolaus V., qui ſui Prædeceſſoris exemplum, ſi non totaliter, ob aliquam circumſtantiarum varietatem, aliqualiter tamen ſequi, conveniens judicavit. Idemque judicium fieri debet de alia Conſtitutione: *Ut pacis:*

cis: qua omnia (iis ſine dubio exceptis, quæ directe Schiſma concernebant) a dictis Patribus peracta, confirmata ſunt. Omnes enim communiter conveniunt, quod, tempore Schiſmatis (iis iterum dico exceptis, quæ Summi Pontificis auctoritatem concernunt) nihil niſi laudabile, & Eccleſiæ proficuum decreverint Baſileenſes Patres. Sufficiat pro nunc R. Patris Natalis Alexandri teſtimonium, qui *Hiſtoriæ Eccleſ. Sæc.* 15., *&* 16. *Diſſ.* 8. *art.* 5. *num.* 11. *Schol.* 15. ſic habet: „ Tametſi Baſileenſe Concilium, tunc œcumenicum non fuiſſe ſentiam, cum „ Decretum edidit de Immaculata Deiparæ V. M. Conceptione; illud tamen Decretum *pium*, *& ſalutare* merito vocavi, quod piam, & Eccleſiaſticam ſententiam „ de immunitate Sanctiſſimæ Virginis Matris Dei ab originali peccato promovit, adeoque firmavit, ut Academia Pariſienſis in juramento, quo ſuos Alumnos ad „ ejus defenſionem adſtringit, Decretum illud commemoret; illudque laudet, ac inviolabiliter obſervari jubeat „ Avenionenſe Concilium, anno 1457. celebratum, Præſide Petro de Fuxo, S. R. E. Cardinali, Epiſcopo Albanenſi, & Avenionenſi Legato. *Decretum illud*, per „ ſe ſpectatum, *nemo pium*, *& ſalutare eſſe negaverit*, *niſi* „ *publicæ pietatis*, *& devotionis Fidelium erga Deiparæ* „ *Virginis Immaculatam Conceptionem hoſtis*. Piam tamen „ illam opinionem Dogma fidei eſſe, nec ſcripſi, nec cenſeo, nec ut talem definivit Synodus Baſileenſis. „ De iſto autem Patre ſequentia habet Pater Echardus *de Scriptor. Ord. Prædic. tom.* 2. *ad an.* 1720. *pag.* 811., ibi = *Vivit etiamnum emeritus Senex*, *octogenario major*, *omnibus bonis probatus*, *apud Eruditos maximi habitus*, *& ab ingenti quibus Eccleſiam ditavit Librorum numero nominatiſſimus*. Natali Alexandro addi etiam poteſt Simon Starovolſcius, Tarnovienſis Primicerius, qui in *libro Epitom. Concilior.*

cilior. anno 1653. *Romæ impreſſo*, *fol.* 352. ſic loquitur, nempe: *Primum Concilium ſub Eugenio IV. Baſileenſe univerſale, ſive Oecumenicum; non totum, ſed ex parte reprobatum, quoad ea nimirum quæ ibidem de auctoritate Concilii, & depoſitione Eugenii Papæ decreta, & ſancita fuerunt.*

67. Academia, & ſacra Facultas Pariſienſis, in ſuo Statuto, anno 1496. edito, & 1497. publicato, *Sum. num.* 4., relato Concilii Baſileenſis de Immaculata Conceptione Decreto, ſic loquitur. „ Quod Sanctum Synodi „ Decretum, *cum omnium Eccleſiarum, tum etiam totius* „ *populi Chriſtiani judicio*, conſenſu ac Religione *compro-* „ *batum, confirmatumque videamus*; non poſſumus quo- „ rumdam vanam ſuperbiam, temerariam, inſanamque „ obſtinationem non admirari, non indigne, moleſteque „ ferre, qui, hoc noſtro adhuc tempore, ejuſmodi piam, „ & religioſam Doctrinam, univerſalis Synodi, & Eccle- „ ſiæ (quæ juxta Chriſti promiſſionem errare non poteſt) „ judicio, auctoritateque probatam, aut oppugnare, aut „ in dubitationem revocare non verentur, implacabile, „ impiiſſimumque bellum *adverſus piiſſimæ Dei Genitricis* „ *eximiam dignitatem gerentes*. „ Hucuſque Pariſienſe Statutum, quod Joannes Ludovicus Schonleben, *in Palma Virginali, cap.* 15. *num.* 6. ſubſcriptum fuiſſe refert ab 82. Doctoribus; videlicet a 35. Canonicis: 13. Dominicanis: 9. Benedictinis: 3. Ciſtercienſibus: uno Præmonſtratenſi: 8. Franciſcanis: 7. Auguſtinianis 5. Carmelitanis; & uno Servita.

68. Conquerebatur Univerſitas Pariſienſis in hoc Statuto *de eorum pertinacia*, qui piam ſententiam, *adeo probatam*, aut oppugnare, aut in dubitationem revocare non verebantur. Sed huic malo remedium attulerunt Summi Pontifices, Paulus V. videlicet, & Gregorius XV., dum;

ad

ad *evitanda ſcandala in Populo Chriſtiano*, contrariæ Sententiæ Sectatoribus, tum publice, tum & privatim, ſub graviſſimis pœnis, ſilentium impoſuerunt; nec non Alexander VII., dum prohibuit, ne pia ſententia, aut cultus Beatiſſimæ Virgini juxta eam exhibitus, *in diſputationem, imo & in dubium* revocari poſſint. Aſſerebat pariter Univerſitas, quod piam ſententiam impugnantes, aut in dubium revocantes, *implacabile, impiiſſimumque bellum, adverſus piiſſimæ Dei Genitricis eximiam dignitatem gerebant*; & declaravit Gregorius XV. in ſua ad Hiſpalenſem Civitatem Epiſtola, *Summar. numer.* 9. *litter. A*, ſe memoratum parti adverſæ impoſuiſſe ſilentium, *ut Cœlorum Reginæ dignitati conſuleret*; omnibus per hoc indicans, contrariæ ſententiæ Aſſertores, Cœlorum Reginæ *dignitati derogare*, & *bellum* adverſus eamdem *gerere*. Præcipiebat eadem Univerſitas, ut contrariæ Sententiæ Fautores, quique ejus patrocinium ſuſcipere auderent, a ſuo Corpore, & honoribus ejus, ac privilegiis omnino abigerentur; omneſque Galliarum Epiſcopos interpellabat, ut eiſdem fortiter reſiſterent, & eos a ſuis Diœceſibus expellerent. Videbimus *infra* §. 256. Senenſem Rempublicam idem non ſolum præcepiſſe, ſed & executioni mandaſſe. Videbimus etiam *Summ. num.* 14. Sereniſſimum Portugalliæ Regem Joannem IV., emiſſo voto, cum omnibus Regnorum ſuorum Proceribus, propugnandi Immaculatam Conceptionem, *etiam Lucis jactura ſi opus foret*, ſequentia ſimul decreviſſe, ac præcepiſſe, videlicet: *Quod ſi Mortalium aliquis huic ſolemni voto, ac Jurijurando ire obviam audacter tentaverit: Si Civis, Alienigenam facimus, ac nulla interpoſita mora a finibus noſtri Imperii illum volumus amandari. Quod ſi (tam dirum Deus avertat malum) Rex ipſe fuerit, diræ Omnipotentis Dei, ſimul ac noſtræ ſubjaceat imprecationi, & noſtrorum*

rum

rum ſeriem interrumpat. Quod quidem Decretum non ſolos reſpicit Sacri Myſterii Adverſarios, ſed eos omnes qui *Voto* contradicere auderent *propugnandi Immaculatam Conceptionem* ETIAM *Lucis* JACTURA. Videbimus tandem Alexandrum VII., dum prohibuit ne pia Sententia, aut Cultus qui juxta eam ab Eccleſia Conceptioni exhibetur, ſcripto, voce, directe, vel indirecte impugnetur, aut in diſputationem revocetur, hæc vetaſſe ſub pœna Excommunicationis majoris, quæ Fideles ab Eccleſiæ Corpore, & Cœtu excludit, ac ſeparat.

69. Baſileenſi inhærens Concilio, declarabat Univerſitas, Immaculatæ Conceptionis Sententiam, *tamquam piam, Eccleſiaſtico Cultui, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ Sacræ conſonam ab omnibus approbandam, amplectendam, & tenendam eſſe*. Et videbimus infra §. 157. & *Summ. num.* 15. *litt. E.*, quod Abbas Hilario Rancati, in obſequium Dominorum Vizzani, & Hugolini, verbum *piam* demerat ab eo Conſtitutionis Alexandri VII. loco, ubi dicitur: *Secundum* PIAM *iſtam Sententiam*; ibique nude poſuerat: *Secundum iſtam Sententiam*; ſed quod Alexander VII. propria manu dictam vocem ibidem repoſuerit, prout pariter illam repoſuit, ubi habetur: *Juxta piam, devotam, & laudabilem inſtitutionem*. Quapropter omnes hodie admittere tenentur, eamdem ſententiam tamquam *piam* approbandam, & amplectendam eſſe. Similiter *niſi* iſta eadem Sententia *conſona foret Eccleſiaſtico Cultui, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ Sacræ*; Sixtus IV. tot iis omnibus non conceſſiſſet Indulgentias, qui ad Altare, & in Choro dicerent: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti = Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus: Chriſtum ejus Præſervatorem adoremus Dominum*. Concilii Tridentini

tini Patres, qui in condendis ſuis de Peccato Originali Decretis (infra §. 87.) *Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ judicium, & conſenſum* ſecuti ſunt, minime declaraſſent, ſuæ intentionis non eſſe comprehendere in his Decretis Immaculatam Virginem Mariam; nec mox citatam Sixti IV. Conſtitutionem approbaſſent, nec innovaſſent; nec Summi Pontifices, qui ab eo tempore Eccleſiam rexerunt, eamdem Sententiam tot favoribus uſque ad præſens cumulaſſent. Tandem aſſeveranter dicitur in Statuto, *quod Sanctum Synodi Decretum, omnium Eccleſiarum & totius Populi Chriſtiani judicio*, conſenſu, ac religione *comprobatum, confirmatumque*, tunc temporis reperiebatur; & hoc veraciter aſſertum fuiſſe, (licet de eo dumtaxat dubitare, attento tot Doctorum teſtimonio, nefas videatur) paulo fuſius ad præſens probabimus, ut clare appareat, deceptum fuiſſe Lampridium, cum *cap.* 10. *de ſuperſt. vitand. pag.* 77. aſſeruit, *contra veritatem pugnare*, quod plerique Theologi, in Conceptionis materia, Concilii Baſileenſis auctoritati detulerint, ac deferant.

70. Jam ſupra vidimus, Lugdunenſe Concilium anno 1449. executionem præcepiſſe Decretorum Concilii Baſileenſis. Idem vidimus, anno 1457. de Immaculatæ Conceptionis Feſtivitate ſpecialiter injunctum ab Avenionenſi Concilio, a duobus Cardinalibus, quorum unus erat Legatus a Latere Summi Pontificis, ab Archiepiſcopo Aquenſi, tredecim Epiſcopis, & pluribus Viris Eccleſiaſticis, ac Religioſis, eo tempore celebrato, quo ſumma pace fruebatur Eccleſia. In Annalibus Servorum B. M. V. ad annum 1444. vidimus, quod Baſileenſe Decretum, & Immaculatæ Conceptionis Feſtum, *paſſim, & ubique*, plauſibili Reipublicæ Chriſtianæ conſenſione divulgatum

fuit, brevique *ab omnibus* pia Religione *celebratum*. Narrat inſuper Gaſpar Eſcolanus, *in Hiſtor. Valentiæ tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 20., ſe antiqua vidiſſe illius Civitatis Hiſpaniæ monumenta, in quibus refertur, quod, recepta ibidem Baſileenſis Decreti notitia, favore Immaculatæ Conceptionis emanati, tanto repleta fuerit gaudio tota Civitas, ut omnes, Prophetæ Regii exemplo, per vicos, & plateas ſaltaverint, & tripudiaverint. Edictum habetur Mariæ, Aragoniæ Reginæ, die 1. Decembris 1439. datum, ac per totum illud Regnum publicatum, in quo per extenſum legitur Baſileenſe Decretum, ejuſque demandatur executio; & aliud ſimile Aulæ Barchinonenſis, in toto Catalauniæ Principatu, anno 1450. executioni mandatum. Ordo Carthuſianorum, anno 1470, tempore Pauli II., ſequens in ſuo Generali Capitulo edidit Decretum = „ Ob uniformitatem laudabilem in Ordine noſtro obſervandam, & præcipue in celebratione divinorum; ordinamus, quod Feſtum V. M., quod modo Eccleſia ſolemniter celebrat 6. idus Decembris, amodo *ſub nomine Conceptionis* per totum Ordinem univerſaliter celebretur, quemadmodum alias PER ECCLESIAM FUIT DETERMINATUM. „ *Bolland. tom. 6. part. 2. menſis Junii pag. 729. Edit. Venet.* 1746. Minores S. Franciſci Obſervantes, Familiæ, ut dicunt, Ultramontanæ, ſuam Audomari, anno 1475., celebrarunt generalem Congregationem, in qua ſequens editum fuit Statutum, videlicet. „ Cum ab Eccleſia Univerſali, in Concilio Baſileenſi, de Feſtis Viſitationis, & Conceptionis B. M. V. proprium fuerit Officium, in littera, & in nota ſpecialiter inſtitutum; hinc eſt, quod ob reverentiam ejuſdem Matris Dei, tam in littera, quam in nota, prædicta Officia, auctoritate hujus Congregationis recipimus, ac per ſingulas Provincias, & loca noſtræ Fami-

„ liæ

„ liæ cantari, & legi de cætero mandamus. „ *Gubern. Orb. Seraph. tom.* 3. *pag.* 122. = Joannes Trithemius, in Germania Abbas Ordinis S. Benedicti, *tract. de Laudib. S. Annæ cap.* 7., eodem exeunte decimo quinto ſæculo, ſequentia ſcribebat. = „ Ecce *Conceptionem* Dei Ge-„ nitricis *ſine macula puram veneratur Eccleſia: Ecce Fe-„ ſtum celebrat* devotione annua; & homines capitoſi „ eam, temeraria præſumptione maculare laborant . . . „ Omnes diverſorum pene Ordinum Religiones, puriſſi-„ mam ſemper extitiſſe confitentur, quos damnare velle, „ tamquam errent, extremæ dementiæ eſt. „ In immenſum protraheretur præſens Articulus, ſi omnes Doctorum, & Theologorum ſuper hoc puncto adducerentur auctoritates; unde *Sum. num.* 5. eorum Elenchus videri poteſt, qui aſſerunt, Baſileenſe noſtrum Decretum, vel a Sancta Sede approbatum, vel ab Eccleſia receptum, & confirmatum fuiſſe, vel ubique terrarum executioni mandatum. Licet igitur Baſileenſe Concilium eo tempore Oecumenicum non fuerit, quo iſtud edidit Decretum; robur tamen, & pondus eidem Decreto haud parvum contulit generalis approbatio, ratificatio, & confirmatio, a Nicolao V. auctoritate Apoſtolicâ peracta omnium, & ſingulorum geſtorum tam per Baſileenſe Concilium, quam per illos qui in Baſileenſi, & Lauſanenſi Civitatibus, ſub nomine generalis Concilii, congregati remanſerant; necnon & unanimis Chriſtifidelium conſenſus, qui ubique fere terrarum idem Decretum ſua acceptatione corroborarunt, & executioni mandarunt.

71. Romæ in Bibliotheca Paſſionei, quæ nunc Angelicæ Auguſtinianorum adjuncta eſt, adeſt Breviarium ad uſum Eccleſiæ Bambergenſis, anno 1501. Bambergæ impreſſum; & aliud Baſileenſe, Baſileæ anno 1515. editum, in quibus, ad diem 8. Decembris, pro Lectionibus habetur

Decretum Baſileenſe, ibidem ſic incipiens: *Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu Sancto legitime congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans = Ad perpetuam rei memoriam: Elucidantibus divinæ gratiæ Myſteria &c.*, prout habetur etiam in Breviario Ordinis FF. Eremitarum Sancti Pauli, Venetiis 1540. edito, quod in Bibliotheca Collegii Romani aſſervatur; nec non, & in aliis duobus, a Patre Alva *Regeſt. Seraph. col.* 142. *&* 200. relatis, uno videlicet Monialium Conceptioniſtarum, Toleti anno 1508., & alio Diœceſis Valentinæ, Valentiæ anno 1533. typis mandatis. Præterea in eadem Paſſionei Bibliotheca adſunt duo Miſſalia Romana, Pariſiis an. 1523., & 1530. edita, in quibus ad diem 8. Decembris habetur *Miſſæ Officium de Immaculata V. M. Conceptione ex Concilio Baſileenſi: Introitus: Gaudeamus omnes in Domino &c.*, & in Bibliotheca Barberina aliud ſimile habetur, Pariſiis etiam an. 1556. editum. Quinque alia, annorum 1511. 1529. 1542. 1553., & 1555., refert Pater Alva, *Milit. pro Immac. Concept. pag.* 1081., *&* 1082.; *& pag.* 1071., *&* 1072. triginta, & amplius refert Miſſalia particularia, ab anno 1501., uſque ad 1568. variis in locis edita pro uſu diverſorum Ordinum, & plurium Eccleſiarum Metropolitanarum, & Cathedralium Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, & aliarum partium, in quibus eadem pariter Miſſa reperitur. Unde magis, ac magis corroboratur veritas propoſitionis, ab octoginta duobus Doctoribus Pariſienſibus, anno 1497. aſſertæ, nempe *quod Sanctum Synodi Baſileenſis Decretum, omnium Eccleſiarum, & totius Populi Chriſtiani judicio, conſenſu, ac religione comprobatum, confirmatumque extiterit*; & falſitas contrariæ Lampridii Aſſertionis, videlicet: *Contra veritatem pugnare, pleroſque Theologos, in materia Conceptionis, Concilii Baſileenſis auctoritati deferre*.

72.

72. Pro coronide autem præſentis Articuli, obſervare libet, memoratum Pariſienſe Statutum, non præcipitanter, nec tumultuarie exaratum, & editum fuiſſe, ſed maturo præhabito examine in quinque diverſis Congregationibus, diebus tertia, ſexta, & nona menſis Martii 1496., & 23., ac 26. Auguſti 1497. celebratis, in quibus executionem ejuſdem Statuti juraverunt centum, & duodecim Doctores: *Apud. Carol. Duples. Dargentrè tom.* 1. *collect. judicior. de novis erroribus part.* 2. *ad an.* 1496., ſicuti ab illo tempore, uſque ad præſens jurare, & Votum in eo præſcriptum, incunctanter emittere conſueverunt, prout inter alios teſtatur Natalis Alexander *tom.* 8. *Hiſtor. Eccleſ. diſſert.* 8. *art.* 5. *num.* 11., Ibi = *Facultas Pariſienſis Doctrinam de Immaculata Deiparæ Conceptione, iiſdem verbis profitetur, ſuoſque jurare merito jubet, quibus illam Concilium Baſileenſe declaravit*. Et in Comitiis generalibus, 5. Novembris 1736. ab eadem Univerſitate habitis, determinatum fuit, ut de novo typis mandaretur dictum antiquum Statutum, ejuſque Exemplaria ſingulis Magiſtris, Baccalaureis, & Candidatis diſtribuerentur. *Apud P. Plazza pag.* 589. Ibi = *In Comitiis generalibus*, verba ſunt novi Decreti Facultatis, *celebratis die quinta Novembris anni* 1736., *requirente digniſſimo Domino Syndico, placuit* (Univerſitati) *antiquum ſacræ Facultatis Decretum circa determinationem ab ipſa latam de Conceptione Immaculata Virginis Mariæ, mandari typis, & hujuſce Decreti Exemplaria non ſolum ſingulis Magiſtris, ſed etiam Baccalaureis, & Candidatis diſtribui*.

73. Hujuſmodi autem Pariſienſe Statutum, illud non modice commendat, quod variæ aliæ Academiæ, & Univerſitates, idem ſtatim, ejus exemplo, determinaverint, inter quas Academiæ Colonienſis, anno 1499., & Moguntina, anno 1501. primum occupaverunt locum; quas

tamen

tamen tot aliæ tum Univerſitates, tum Civitates, Diœceſes, & Provinciæ, nec non & Regna integra ſubſecutâ ſunt, ut Orbis Catholici ad minus media pars, hujuſmodi voto ſe ſe aſtrinxerit, totis viribus defendendi Immaculatam B. Virginis Conceptionem; & plura de emittendis ejuſmodi votis Decreta, iiſdem fere terminis, quibus uſi ſunt olim Baſileenſes Patres, & Pariſienſes Doctores exarata, & confecta reperiuntur; videatur inter alia Decretum, ſeu Statutum, ab Academia, & Eccleſia Complutenſi, anno 1617. publicatum, *apud P. Plazza pag.* 592., ſequentibus incipiens verbis. „ Florentiſſima Complutenſis „ Academia, & ejuſdem loci Eccleſia Sancta ... Doctri„ nam, quæ diſſerit, glorioſiſſimam V. M., Dei Matrem, „ præveniente, & operante Divini muneris gratia ſingu„ lari, nunquam actualiter ſubiacuiſſe Originali peccato, „ ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni Originali culpa, „ Sanctamque, & Immaculatam, *tanquam piam, & con-„ ſonam cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, rectæ ratio-„ ni, & Sacræ Scripturæ* hactenus ſemper ſumma con„ ſenſione defendit. „ Et ex omnibus Articulo præſenti deductis colligatur quanti ea fieri debeant, quæ favore ſacri noſtri Myſterii determinata olim fuerunt tum a Conciliis Baſileenſi, & Avenionenſi, tum & ab Univerſitate Pariſienſi.

74. Anno 1740. ſuum *de ſuperſtitione vitanda* exaravit Librum Lampridius, & loco ſupra citato, *pag.* videlicet 77. confidenter aſſeruit, noſtri Avenionenſis Concilii mentionem *tantummodo* reperiri in Hippolythi Maraccii libris, pro Immaculata Conceptione editis, quos, inquit, proſcripſit Sacra Congregatio Romana. Sed forſan non viderat Monumenta Ordinis Minorum, Salmanticæ annis 1506, & 1511. edita, in quorum prima editione fol. 42., & in ſecunda fol. 40. recenſitum, Avenionenſe Decre-

cre-

cretum, favore Immaculatæ Conceptionis editum, integrum legitur. Non viderat Petrum Saxium, Arelatenſem Canonicum, *in ſuo Pontificio Arelatenſi*, ſeu *in Hiſtoria Primatum Arelatenſium*, Aquis Sextiis anno 1620. primo vulgata, & iterum a Joanne Burchardo Menckenio, *tom.* 1. *Scriptor. rer. Germanic. col.* 107. & 108. Lipſiæ anno 1728. recuſa, ubi col. 341. ejuſdem Concilii mentio habetur; & aſſerit idem Saxius, quod *extabant illius Canones in Autographo Joſephi Mariæ Soarez, Præpoſiti Avenionenſium electi, doctrina, & virtute præſtantiſſimi viri*, ipſiuſque *amiciſſimi*. Non viderat tomum ſecundum continuationis Annalium Baronii, a Spondano ante annum 1640. exaratum, in quo *ad annum* 1457. *num.* 18. refertur idem Concilium, & ad marginem citatur recenſitus mox Saxius. Non viderat Patrem Alva *in Regeſt. Seraph. Matriti anno* 1649. *edito*, *col.* 45. & 46., nec D. Honoratum Bouche *Hiſtoire de Provence*, *a Aix* 1664. *tom.* 2. *pag.* 464, nec Fr. Sebaſtianum Fantoni Caſtrucci, *Iſtor. di Avign. e del Contado*, *Venet.* 1678. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 62. nec Natalem Alexandrum *Hiſtor. Eccleſ. Sæc.* 15. & 16. *diſſert.* 8. *art.* 5. nec D. Trevet, *Refutation des Preſcriptions touchant la Conception*, *a Roüen* 1709. *pag.* 245, nec Auctorem Operis *Traitté de l'étude des Conciles*, *a Paris* 1724. *pag.* 243., nec aliud Opus *Hiſtoire Eccleſiaſtique*, *continuation de l'Abbé de Fleuri*, *a Paris*, 1728. *tom.* 23. *pag.* 30, idem Concilium referentes. Non viderat tandem clariſſimos Viros Edmundum Martenne, & Urſinum Durand *tom.* 4. *Anecdoct.*, *Paris.* 1714, in quo *col.* 381. Acta integra ejuſdem Concilii e Manuſcripto Avenionenſi excerpta leguntur. Quam facile ignorabat Lampridius quidquid Sacro noſtro Myſterio favere poterat!

ARTI-

ARTICULUS VI.

De favoribus, piæ Sententiæ, & Feſtivitati Immaculatæ Conceptionis, a tempore Sixti IV. uſque ad Concilium Tridentinum conceſſis.

75. SIxtus IV., in aurea ſua Conſtitutione: *Cum præcelſa*; dignum, quin potius & *debitum* reputat, univerſos Chriſtifideles Indulgentiis invitare, ut gratias, & laudes Deo referant de Immaculatæ Virginis M. *mira Conceptione*; & *inſtituta* ad hunc finem *in Dei Eccleſia* Miſſas & Divina Officia dicant, & illis interſint, *ut exinde*, ejuſdem Virginis meritis & interceſſione, *Divinæ gratiæ fiant aptiores*. *Hac* poſtea *conſideratione inductus*, omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſus, *auctoritate Apoſtolica*, dicta ſua in perpetuum valitura Conſtitutione *ſtatuit*, & *ordinat*, quod *omnes*, & *ſinguli Chriſtifideles* utriuſque ſexus, qui *Miſſam*, & *Officium Conceptionis*, a Leonardo de Nogarolis, pie, devote, & laudabiliter ordinatum, *juxta inſtitutionem*, *quæ a ſeipſo Pontifice emanaverat*, in Feſto Conceptionis, & per ejus Octavam *celebraverint*, aut *illis interfuerint*, eaſdem lucrentur Indulgentias, quas illi conſequuntur, qui Miſſam, & horas Canonicas in Feſto Corporis Chriſti, & illius octava celebrant, & dicunt, aut eis interſunt. Officium vero, & Miſſa Conceptionis, de quibus hic agitur, ea ſunt, paucis mutatis, quæ a Franciſcanis recitantur, & ad omnia Hiſpaniarum Dominia extenſa ſunt, prout infra videbimus in Appendice, & in Summario *num.* 32.

76. Quædam autem obſervatione digna videntur in hac Conſtitutione. Primo ſiquidem ad univerſalem Eccle-

cleſiam ipſa dirigitur. Secundo, *miram* ibi vocat Summus Pontifex Immaculatæ Virginis *Conceptionem*, quæ *mira* non eſſet, ſi cum originali peccato fuiſſet. Tertio, *inſtituta in Dei Eccleſia*, pro gratiis, & laudibus de eadem Conceptione Deo referendis, *Miſſam & divina Officia vocat*, in quibus decantatur; *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparaſti; quæſumus, ut, ſicut ex morte ejuſdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præſervaſti: ita nos quoque mundos, ejus interceſſione ad te pervenire concedas:* & in Verſiculo: *Immaculata Conceptio eſt hodie B. M. V.* & in Invitatorio: *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus: Chriſtum, ejus Præſervatorem, adoremus Dominum*. Quarto tandem, non ſolum *dignum*, ſed & *debitum* reputat, *univerſos Chriſtifideles* invitare, ut eadem Officia, & Miſſam recitent, aut eis interſint. Si *debitum* reputavit Sixtus IV., *Fideles invitare* ad recitationem dicti Officii, vel ad aſſiſtendum ejuſdem recitationi; *debitum* viceverſa reputarunt iidem Fideles; dictæ invitationi morem gerere. Sciebant enim, quod ſi, juxta vulgare axioma, preces, vel exhortationes Principum, veluti expreſſa mandata reſpicienda ſint; hoc præſertim locum habere debet, cum agitur de invitatione, a Jeſu Chriſti Vicario, & ejuſdem Chriſti nomine, ac auctoritate peracta, *Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſo:* de invitatione, quæ reſpicit glorioſæ Virginis Deiparæ celebriorem Cultum; & de invitatione, cui obtemperando, *divinæ gratiæ fiebant aptiores*, eaſque lucrabantur Indulgentias, quas uſque tunc in ſola Corporis Chriſti Feſtivitate, & per ejus Octavam conſecuti fuerant.

77. Publicata hac Conſtitutione, non erubuerunt aliqui, in ſuis ſermonibus affirmare, imo & typis mandare, *omnes illos, qui tenent, aut aſſerunt, Beatiſſimam Virginem abſque Originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos; & ejuſdem Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audienteſque ſermones illorum, qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare graviter*; unde anno 1483. aliam edidit Conſtitutionem idem Pontifex (incip. *Grave nimis*), *ut temerariis hujuſmodi auſibus, ac perverſis aſſertionibus, & ſcandalis* obviaret; in eaque expreſſe aſſerit, quod *Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publice Feſtum celebret, & ſpeciale, ac proprium, ſuper hoc, officium ordinaverit; &c.* & hoc jure, ac merito: licet enim Leonardo de Nogarolis præceperit Sixtus IV., ut dictum Officium cum Miſſa extenderet, ac componeret; nihilominus ſtatim ac illud poſtea approbavit, idemque ab Eccleſia receptum, & veluti adoptatum fuit; non amplius Officium Leonardi de Nogarolis, ſed *Officium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ* vocari debuit. Deinde, ut *falſas, erroneas, & a veritate penitus alienas* reprobat, & damnat Summus Pontifex, eorum aſſertiones, qui affirmare præſumerent, eos, *qui crederent, aut tenerent, eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe*, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: *aut hujuſmodi Officium Conceptionis celebrantes, ſeu hujuſmodi ſermones audientes* alicujus peccati reatum incurrere; ac proinde ſtatuit, & ordinat, quod *quicumque in poſterum auſu temerario præſumpſerint*, hujuſmodi propoſitiones ſic improbatas, & damnatas tenere, vel aſſerere, excommunicationem, Summo Pontifici reſervatam, eo ipſo incurrant. Tandem ſimili pœnæ, & cen-

ſuræ

Digitized by Google

ſuræ eos ſubiicit, *qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes*, videlicet: glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, *hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cum nondum ſit a Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum*. Hæc autem Conſtitutio, ſicuti & præcedens, inſerta eſt in Jure Canonico, & habetur inter Extravagantes *lib.* 3. *de Reliq. & Ven. Sanct. cap.* 2., fuitque in forma ſpecifica confirmata, & renovata ab Alexandro VI., in alia, quæ incipit: *Illius qui:* dat. 22. Februarii 1502. *Apud Vading. tom.* 15. *pag.* 266.

78. Pares quidem pœnas in unius, alteriuſve opinionis Cenſores infligit Summus Pontifex, ſed cauſa, & ratione longe diverſa. Prohibet enim aſſerere, *Conceptionis maculatæ* ſententiam tenentes, *hæreſis crimen, vel peccatum mortale* incurrere; ſed præciſe, & unice, ex eo *quod*, inquit, *id nondum ſit a Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum*. Similiter vetat, eaſdem propoſitiones contra *Immaculatæ Conceptionis* Patronos aſſerere, quia ſcilicet *falſas, erroneas, & a veritate penitus alienas*, eas eſſe, auctoritate Apoſtolica jam definivit. Utrique igitur parti commune eſt, non poſſe contrariæ ſententiæ fautores, hæreſeos, vel peccati mortalis arguere: utrique parti commune, ſi hoc facerent, excommunicationis pœnam incurrere; ſed piæ ſententiæ defenſores hanc pœnam incurrerent, judicium Eccleſiæ & Sanctæ Sedis, immerito prævenire volentes, quæ *id nondum decidere* voluit, *nec decidit*; alii vero e contra, eamdem incurrerent excommunicationis pœnam, eo quod *propoſitionem falſam, erroneam, & a veritate penitus alienam, & ut talem* a Sancta Sede expreſſe *jam condemnatam* pronunciarent, & affirmarent. Audiamus ſuper hoc Judocum Clicthoveum, Doctorem Sorbonicum, & Hæreticorum olim malleum,

qui, *lib.* 1. *de purit. Concept. cap.* 16. anno 1513. ſic ſcribebat = „ Quis nos ipſos conſtituit judices ſuper fra-„ tres, & proximos noſtros, ut eos noſtra auctoritate „ cenſeamus, aut hæreſeos, aut mortis æternæ crimen „ incurrere? Id plane ex noſtro non pendet judicio, ſed „ univerſalis ſolum Eccleſiæ, quæ nondum id definivit... „ Viderint tamen ipſi, ne pertinaciam, & pervicaciæ „ ſtudium adjungentes ſuæ poſitioni obſervandæ, illud „ apud Deum, tacentibus hominibus, incurrant, quod „ ad mutuam pacem, & charitatem fraternam conſervan-„ dam, non debet ab hominibus eis impingi; non enim „ aliorum verba reddunt hominem hæreticum apud „ Deum, aut mortalis peccati reum, ſed propriæ per-„ verſitas voluntatis. „

79. Innocentius VIII. = *Inter innumera:* pridie Kal. Maij 1489. Beatrici de Silva conceſſit, ut unum Monaſterium erigeret *in honorem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis*, ejuſque Monialibus præcepit, ut omnibus diebus per annum, feſtis non impeditis, horas Canonicas majores de *Conceptione* recitarent; & ulterius horas minores, & Officium parvum ejuſdem B. M. *cum Antiphonis*, *Verſiculis*, *Capitulis*, & *Orationibus de eadem Conceptione* dicere deberent. *Apud Wading. tom.* 15. *pag.* 232.

80. Julius II. *Ad ſtatum proſperum:* 15. Kal. Octobris 1511., eiſdem Monialibus indulſit, ut interdicti tempore, Miſſas, & divina Officia, *die Feſto Conceptionis*, apertis januis, & alta voce, celebrari facere poſſent; & earum Regulam in forma ſpecifica confirmavit, in qua, inter alia, præcipitur: Primo, quod recipiantur ad profeſſionem, dicendo: *Ego Soror N., ob amorem*, & *ſervitium Domini noſtri*, & *Immaculatæ Conceptionis ejuſdem Genitricis*, *voveo*, & *promitto Deo* &c. Secundo, quod Pallium deferant hyacintini coloris, propter myſticam ſigni-

ſigni-

gnificationem, videlicet, quod *Glorioſæ Virginis Anima, a creatione ſua, tota facta fuit cœleſtis, & ſingularis Regis æterni thalamus*. Tertio, quod eumdem habeant Cardinalem Protectorem, ac Fratres Minores de Obſervantia, *ut piis in earum cordibus, puriſſimæ Conceptionis magis, ac magis augeatur devotio*. Quarto, quod eorumdem Fratrum juriſdictioni ſubdantur, *ob indefeſſum ſtudium, & vigilantiam, quibus iidem, puritatis, & innocentiæ Dei Genitricis defenſores exiſtunt*. Quinto tandem, quod in Feſtis ſolemnibus, *Breviario utantur Franciſcano*; in Feſtis vero ſimplicibus, & Dominicis non primo ponendis, *dicant Officium Conceptionis*, cum commemoratione Dominicæ, *ſecundum formam Breviarii, ad hoc illis deputati*, minus autem *Officium Conceptionis* dicant, ſecundum quod ſibi moris eſt. *Apud Gubern. Orb. Seraph. tom.* 2. *pag.* 698. Habemus autem, apud Patrem Alva, *Regeſt. Authent. col.* 142., Breviarium dictarum Monialium, videlicet = „ Breviarium *Immaculatæ Conceptionis V. M.* approbatum, & „ confirmatum a quatuor Summis Pontificibus, Sixto IV., „ Innocentio VIII., Alexandro VI., & Julio II. = Toleti anno 1508. = In Oratione = *Ut qui puriſſimæ* „ *Conceptionis V. M. Matris ejus commemorationem colimus*: Ad Laudes Antiph. 3. = *Cujus beatam Conceptionem colimus* = Ad Benedictus Antiph. = *Virgo Maria*, „ *cujus glorioſa Conceptio*: Feria ſecunda: *Lectio prima* „ *deſumitur ex Concilio Baſileenſi*: Feria ſexta, Reſponſ. „ 3. = *Cujus Immaculata Conceptio miraculis coruſcat*.

81. In Gallia Chriſtiana, *tom.* 1. *col.* 26., de Bernardo, Albienſi Epiſcopo, refertur, quod in dicta ſua Civitate, *anno* 1337., *Monaſterium Conceptionis B. M. V. erexerit*, & ſimiles forſan alibi leguntur erectiones, ante tempora Innocentii VIII., & Julii II. peractæ. At nemo eſt qui non videat, dicta Monaſteria ad peculiarem Conceptio-

ceptionis Ordinem non pertinuiſſe, ſed ſolum in honorem, & ſub invocatione, vel titulo Conceptionis fundata fuiſſe, ob ſpecialem erga Sacrum Myſterium devotionem, quæ tunc, & multo antea, fere ubique propagata fuerat, prout reſultat ex Cappellis, & Eccleſiis, ab anno 1213. eidem myſterio dicatis: ex Confraternitatibus, ab anno 1281., ſub eodem titulo erectis; & ex Octava ejuſdem Feſtivitatis, quæ jam anno 1272. inſtituta reperitur. *Sum. num.* 2.

82. Anno 1515. Leo X. *Ad ea quæ:* 11. Kal. Junii, duos Monialium Ordines, Conceptionis videlicet, & Annunciationis, in unum, ſub titulo Monialium B. M. V., redegit, & unicam pro eis Regulam, quam fieri, & ordinari curaverat, in forma ſpecifica confirmavit, in qua Monialibus præcipiebatur, ut, ſemel in hebdomada, *Officium de Conceptione* B. V. recitarent: *apud Philip. Labbe, Biblioth. manuſc. tom.* 2. *pag.* 395., executionem tamen poſtea non habuit dicta Conſtitutio. Eodem anno, nomine Sereniſſimi Poloniæ Regis, memorato Summo Pontifici repræſentatum fuit, quod tam ipſe Sigiſmundus, quam alii Poloniæ Reges, ipſius Prædeceſſores, plurimas, & quidem inſignes, contra Hæreticos, & Infideles obtinuerint victorias, diebus, Beatiſſimæ Virgini Mariæ dicatis; quibus permotus Summus Pontifex, Conſtitutionem edidit: *Sacroſanctæ* dat. 15. idus Auguſti 1515., qua Sixti IV. Conſtitutiones, *favore Feſti Conceptionis B. M. V. editas*, denuo approbavit, & confirmavit, præcepitque, ut in omnibus ipſius Regis Poloniæ Dominiis, memoratum *Conceptionis Feſtum* eodem prorſus modo *coleretur*, quo *in alma Urbe*, *& in Curia Romana* celebrabatur. (Per extenſum refertur in *Conſt. Synod. Gneſnen. Cracoviæ* 1630., *de mandato Eminentiſſ. Weſick editis*, *pag.* 317.) Præcepit igitur, ut ibi recitarentur Miſſa: *Egredimini*; & Officium: *Sicut lilium*, *a Sancta Romana Eccleſia ordinata*, *& in Dei Eccleſia*

Digitized by Google

cleſia inſtituta; ut declarat Sixtus IV. in ſuis Conſtitutionibus: *Cum præcelſa*: & *Grave nimis*. Et reipſa in omnibus Miſſalibus, & Breviariis, *pro Poloniæ Provinciis* ante annum 1568. editis, reperitur tum Officium: *Sicut lilium*; tum & Miſſa: *Egredimini*. Et in Bibliotheca Domus profeſſæ Cracovienſis Societatis Jeſu reperitur Diurnale, *pro Eccleſiis Poloniæ* impreſſum *Venetiis anno* 1517. *per Petrum Liechteiſtein*, *ſumptibus Leonardi*, & *Lucæ Alantſe fratrum Bibliopolarum Viennenſium*, ubi memoratum habetur Officium *Sicut lilium*. Reperitur pariter ibidem Miſſale, *Venetiis*, *pro Poloniæ Eccleſiis*, *anno* 1532. *per Petrum Liechteiſtein impreſſum impenſis providi viri Michaelis Vechter*; & ibi habetur Miſſa *Egredimini*.

83. Expoſitum pariter fuit eidem Pontifici, *magnam Chriſtifidelium multitudinem ad Eccleſias Hiſpaniarum*, eodem *die Feſto Conceptionis*, & *per ejus Octavam confluere*, *pro conſequendis Indulgentiis*, *a Sixto IV. conceſſis*; Quod tamen facere ſæpe ſæpius non poterant ob interdicta, quæ paſſim in illis Partibus, auctoritate tam Apoſtolica, quam Ordinaria ponebantur; & ſic eorum devotio, & Indulgentiæ prædictæ fructu, & beneficio defraudabantur. Quapropter Conſtitutione: *Cum præcelſa*: 22. Maii 1517. data, benigne conceſſit, ut, non obſtante quocumque interdicto, *in omnibus Hiſpaniæ Eccleſiis*, & locis, dicto *die Conceptionis Feſto*, & *per ejus Octavam*, Miſſæ, & divina Officia, apertis januis, & pulſatis campanis, celebrari valerent; & *ſinguli Chriſtifideles*, non excommunicati, nec nominatim interdicti, *ad Miſſas*, & *alia divina Officia audienda*, & *indulgentias conſequendas* libere, & licite admitti poſſent. *Apud Wad. tom.* 16. *pag.* 64. Deinde, Conſtitutione: *Pia Chriſtifidelium*, & *præſertim in Immaculatæ Conceptionis honorem tendentia vota*: dat. 18. Februarii 1518., Clero Oppidi Molinæ, Seguntinæ Diœceſis conceſſit

ceſſit, ut *in nocte ante Conceptionis Feſtum*, poſt matutinum, & laudes, *unam Miſſam ſolemnem*, ſicut in nocte Nativitatis Domini, celebrare poſſent. *Apud P. Alva*, *Reg. auth. col.* 141. Et Conſtitutione: *Quia nuper*: 10. Februarii 1519., Monialibus Ordinis *Immaculatæ Conceptionis*, omnia conceſſit privilegia, Ordini S. Franciſci, & Monialibus S. Claræ jam conceſſa, & in poſterum concedenda. *Apud Wading. tom.* 16. *pag.* 532.

84. Anno 1521. Statuta Confraternitatis ſub invocatione Conceptionis B. M. V., in Eccleſia Carmelitarum Civitatis Rothomagenſis erectæ, in forma ſpecifica approbavit per Bullam incip. *Ineffabilia:* dat. nono Kal. Aprilis, in qua, relato prius, *Conceptionis Feſtum in Normannia celebrari olim cœpiſſe*, *inſtante Guillelmo*, *eorum Duce*, ſæculo videlicet undecimo, dicta Statuta per extenſum refert, & approbat, in quibus, inter alia, ſtatuitur, quod a Viris eruditis, per Edicta publica invitandis, componantur quolibet anno poemata, & alia opera *in laudem Virginis*, *&* *SS. Conceptionis*, ac poſtea publice affigantur, ad propagandas ubique, & prædicandas laudes hujuſmodi, *reddendumque Conceptionis Feſtum in dies magis celebre* (& hoc ad præſens adhuc obſervatur.) Præcipitur inſuper in eiſdem Statutis, quod mortuo aliquo e Confratribus, debeat coram funere deportari unus cereus candidi coloris cum palma, & octo tædis; quodque cereus, & palma ſuper tumulo Defuncti, uſque ad ejuſdem cerei conſummationem remanere debeant; *ad declarandum*, *Defunctum ipſum PERPETUO FIDEI LUMINE VESTITUM*, *ſinceritatem Conceptionis hujuſmodi uſque ad mortem tenuiſſe*, *ac defendiſſe*, *ac palmam Virginalem in Cades exaltatam*, *quam contra omnem*, *etiam Originalis culpæ labem*, *reportaſſe ipſam Virginem*, *vivens contenderat*, *quaſi ANTE*

SUM-

SUMMUM DEI TRIBUNAL poſt obitum repræſentaſſe. = *Bullar. Carmelit. tom.* 1. *fol.* 500. Serio ponderentur iſtius Statuti verba, a Sancta Sede in forma ſpecifica approbata, & confirmata; videaturque *infra* §. 192. vis, & efficacia hujuſmodi approbationis.

85. Illa autem Poematum compoſitio, de qua in recenſitis Statutis fit mentio, inſtituta fuerat tempore Roberti, qui Archiepiſcopus Rothomagenſis ab anno 1483. ad 1493. extitit, prout legitur in Gallia Chriſtiana *tom.* 2. *col.* 93., ibi = *Ejus temporibus*, Roberti videlicet, *inſtitutum eſt Rothomagi certamen Poeſeos, quod etiamnum perſeverat, in quo ſingulis annis Deiparæ Conceptio laudibus celebratur*. Sibi igitur gratuletur Civitas Rothomagenſis cum integra Normanniæ Provincia, quod prima fuerit e Civitatibus, ad Galliarum Regna hodie pertinentibus, quæ Sacri noſtri Myſterii Feſtum celebravit. *Sum. noſtro num.* 2. *ad an.* 1087. & 1197. Sibi gratuletur eadem Provincia, quod prima forſan ejuſdem Regni fuerit, quæ Capella, ſub invocatione Sacri Myſterii erecta ditata fuerit. *Eod. Sum. ad an.* 1264. Sibi tandem gratuletur de zelo nunquam interrupto, quo ejuſdem Myſterii Cultum indeſinenter promovit. In citata mox Bulla habemus, quod anno 1521. *plurimi Prælati, Senatores, & Regii Magiſtratus, ac Nobiles* præfatæ Civitatis, ac Provinciæ, *eidem Confraternitati aggregari curaverant, cupientes dicti Feſti devotionem propagare, & ampliare*, prout, adjuvante Deo, tractu temporis egregie præſtiterunt. Non mirum igitur ſi hæc noſtra Feſtivitas, ſæculis duodecimo, & decimo tertio, veluti peculiare Normannorum Feſtum a quibuſdam conſiderabatur. Audiamus ſuper hoc Henricum Gandavenſem, qui circa annum 1260. ſcribebat, & *quodl.* 15. *qu.* 13. quærit: *An Feſtum Conceptionis, quod a Normannis celebratur* 8. *die De-*

Digitized by Google

Decembris, celebrandum ſit pro tempore, hora, vel momento, in quo eſt facta ipſa Conceptio Virginis, an pro aliquo alio tempore, hora, vel momento; ac poſtea reſpondet = *Si ergo quæſtio intelligatur de Conceptione Seminis, qua Virgo concepta eſt Mundo in nudo ſemine deciſo per coitum viri, & mulieris, Annæ ſcilicet, & Joachim Parentum ſuorum; dico, quod licet Conceptio Virginis ſimpliciter ſit celebranda, nequaquam tamen celebranda eſt ratione talis Conceptionis, quia Virgo in illa nec Sancta fuit, nec Sanctificata, eo quod in hora illius Conceptionis nihil Virginis fuit niſi ſola materia ſub forma ſeminis, quæ gratiæ, aut ſanctificationis ſuſceptiva non fuit; propter hoc nec illa Conceptio Sancta fuit, nec celebrationis alicujus cauſa, vel ratio. Quare cum dies octava Decembris, videlicet 6. idus Decembris, qua a Normannis Feſtum Conceptionis Virginis celebratur, erat tempus Conceptionis Virginis in nudo ſemine, nequaquam debent illud celebrare ratione illius Conceptionis, in cujus anniverſario ipſi ſemper illud celebrant.* Hæc Henricus Gandavenſis, non quod a ſolis Normannis Feſtum iſtud tunc temporis celebratum fuerit; ſed quia ſolemnius, & generaliter in tota Normanniæ Provincia celebrabatur; & cæteri, in Gallia ſaltem, & in Flandria, a Normannis illud acceperant, & ad illorum inſtar illud celebrabant.

86. Paulus III. Conſtitutione: *Breviarium Divini Officii*: dat. 3. Julii 1536., Cardinalis Quinonii approbavit Breviarium, in cujus Præfatione ad eumdem Sanctiſſimum, ait dictus Cardinalis, illud Clementis VII. hortatu fuiſſe confectum, & deinde Pauli III. iuſſu editum; ibi = *Breviarium Romanum, nuper a nobis, fel. record. Clementis VII. Pont. Max. hortatu confectum .... tuaque voluntate, Sanctiſſime Pater, editum &c.* Licet autem in iſto Breviario non reperiatur officium *Sicut lilium*, a Sixto IV. inſtitutum, adeſt tamen in eo, pro Conceptio-

nis

nis Feſto, veluti compendium illius, cum eadem Oratione, & eodem Invitatorio. Quapropter approbatio compendioſi iſtius Officii non parum aliud commendat, oſtenditque ad evidentiam, qualis fuerit dicti Pontificis erga ſacrum Myſterium mens, ac pietas; qui etiam per Breve: *Decet Romanum Pontificem*, anno 1548. approbavit Ordinis Humiliatorum Breviarium, in quo habetur Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Conceptionem B. M. V., Mundum per Evam perditum ſalvare voluiſti*. In Breviario autem Cardinalis Quinonii, quod fere ubique reperitur, adeſt Breve, ipſum confirmans; ſicuti & aliud: *Decet Romanum Pontificem*, in Breviario Humiliatorum, quod Romæ in Bibliotheca S. Bartholomæi in inſula videri poteſt.

ARTICULUS VII.

De peractis a Concilio Tridentino favore Sacri Myſterii, & Cultus ejus; De Officio: Sicut Lilium; *De Miſſa:* Egredimini; *& de Breviariis, & Miſſalibus, præſertim Romanis, a tempore Sixti IV., uſque ad Pium V. typis editis.*

87. ANno 1546. decrevit ſacra Tridentina Synodus, *Seſſ. 5. de peccat. Orig.*, Adamum in omne genus humanum peccatum transfudiſſe, quodque contrarium tenentes, Apoſtolo contradicerent dicenti: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors; ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Simul tamen declaravit; *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato Originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones*

 ſel.

ſel. rec. Sixti PP. IV., *ſub pœnis*, *in eis Conſtitutionibus contentis*, *quas innovat*. Exordium vero iſtius Seſſionis ſic ſe habet: *Sacroſancta OEcumenica*, & *generalis Tridentina Synodus*, *in Spiritu Sancto legitime congregata... Sacrarum Scripturarum*, & *Sanctorum Patrum*, *ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia*, & *ipſius Eccleſiæ judicium*, & *conſenſum ſecuta*, *hæc de ipſo peccato originali ſtatuit*, *fatetur*, *ac declarat*. Ex quibus pro certo habemus, Sacram Synodum, *declarando* non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in memorato ſuo Decreto Beatiſſimam Virginem; & innovando, ac obſervari, ſuper hoc puncto, præcipiendo Sixti IV. Conſtitutiones, ſecutam fuiſſe *Eccleſiæ judicium*, & *conſenſum*, *nec non* & *teſtimonia probatiſſimorum Conciliorum*, *Sanctorum Patrum*, & *Sacrarum Scripturarum*. Hæc enim omnia præ oculis habuit, non ſolum *dum ſtatuit*, & *faſſa eſt* aliqua, peccatum Originale concernentia, ſed etiam dum aliquid ſuper eodem *declaravit*. *Quid in nos admiſit* (exclamabat poſtea in ſuis operibus Pater Joannes a Penna, Ordinis Prædicatorum, in Opuſculo: *La Madre di Dio preſervata dalla peſte* &c. pag. 26. citatus) *Quid in nos admiſit SS. Virgo*, *ut de ejus puritate non credamus*, *quidquid credi ſine ſcrupulo poteſt? Et ſi Sacrum Concilium illam comprehendere non vult*, *idque proteſtatur*; *nec ego comprehendere volo*, *ſed per illud ingredi oſtium*, *quod mihi Synodus*, *totam Eccleſiam repræſentans*, *patefacit*.

88. Fateatur Propheta (*Pſalm.* 50.) in iniquitatibus ſe conceptum fuiſſe: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, & *in peccatis concepit me Mater mea*. Maledicat Hieremias (20. 14.) diei Nativitatis ſuæ: *Maledictus dies in quo natus ſum*. Deteſtetur Job. (3. 2.) dies, quibus natus eſt, & conceptus: *Pereat dies in qua natus ſum*, & *nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo*. Jure, ac merito

hoc

hoc fecerunt, ut enim 2. 2. *qu.* 76. *art.* 2. ait Doctor Angelicus: *Maledixit Job diei Nativitatis ſuæ propter culpam originalem, quam naſcendo contraxit*. Naſcendo ſcilicet in utero. Ego vero quotieſcumque ſermo erit de die qua concepta eſt Beatiſſima Virgo, cum Propheta Balaam (*Num.* 23. 8.) conſtanter reſpondebo: *quomodo maledicam cui non maledixit Dominus? Qua ratione deteſter quam non deteſtatur Dominus?* Locutus eſt Spiritus Sanctus per os Tridentinæ Synodi, & expreſſe declaravit, ſe nolle maledicere diei, ſe nolle illam deteſtari diem qua concepta eſt Beata, & *Immaculata* Virgo Maria. Dicat Balac quæcumque voluerit, eadem ſemper erit reſponſio: *Quidquid Dominus dixerit, hæc loquar*. Et ſicuti Chriſtus Dominus mulieri, licet adulteræ, & a ſolis hominibus non condemnatæ, olim dixit: *Nemo te condemnavit? Nec ego te condemnabo*. A fortiori Beatiſſimæ Virgini, omnium Reginæ, & Matri benigniſſimæ, quam Spiritus Sanctus, tractando de peccato Originali, *Immaculatam* vocavit, dicam, & millies inculcabo: *Spiritus Sanctus non te condemnavit? Noluit te in ea Lege comprehendere, quæ pro omnibus facta fuit?* Nec ego te condemnabo; *Nec ego te in eadem Lege comprehendam*; præſertim cum nullum adhuc ſanæ mentis invenerim, qui maledixerit diei Conceptionis Beatiſſimæ Virginis; quod tamen, juxta doctrinam Divi Thomæ mox relatam, fieri poſſet, ſi Originale contraxiſſet peccatum; necnon & juxta D. Auguſtinum, qui ſuper illa Apoſtoli verba: *Fuimus & nos aliquando Filii Iræ*; Lib. 6. contr. Julian. cap. 24. num. 78. ait; „ De hac Ira dicit „ Hieremias: *Maledictus dies in quo natus ſum*. De hac „ Ira dicit Sanctus Job: *Pereat dies, in quo natus ſum*. „ Non ſolum autem nullum invenio, qui diei Conceptionis Beatiſſimæ Virginis uſque ad præſens maledixerit; ſed univerſalem video Eccleſiam, de Summorum Pontificum mandato

dato, hilariter, ac feſtive eamdem diem celebrantem. Decrevit igitur Sacra Synodus, *omnes* homines in Adam peccaſſe; *In quo omnes peccaverunt*; & ſimul addidit *ſuæ intentionis non eſſe*, Beatiſſimam, & Immaculatam Virginem in hoc Decreto comprehendere; cohærenter ad ea, quæ fortiter coram eodem Concilio ſuſtinebat Ambroſius Catharinus, Prædicatorum Ordinis, qui ſuper illa Sacræ Scripturæ verba. *Noli metuere, non morieris; non enim pro te, ſed pro omnibus hæc Lex conſtituta eſt:* ſic loquebatur. „ „ *Heus Contradictores, hic vos appello. Vos ſtruitis Syllo-* „ *giſmos, & dicitis*: Omnes homines in Adam mortui „ ſunt; ergo & Maria quæ fuit homo. *Sed audite Regium* „ *verbum, & inauditam ſententiam:* Pro omnibus, ſive „ pro hominibus conſtituta eſt hæc Lex, ſed non pro te, „ Eſther mea. *Audite quæ non diſcuntur in phyſicis, aut* „ *dialecticis: Non eſt inter omnes, aut inter homines Regi-* „ *na, ſed ſuper.* „ Similia ſæculo duodecimo jam, paucis licet verbis, ſcripſerat Petrus Comeſtor in ſua Hiſtoria ſcholaſtica; ibi enim *in Cap.* 5. *Eſther* ait = *Noli timere, pro ſubditis Lex data eſt, tu vero mihi conregnas.*

89. Quænam autem ſint Sixti IV. Conſtitutiones, quas obſervari præcepit, quaſque innovavit Sacrum Concilium, aperte declarat Alexander VII. in ſua Bulla: *Sollicitudo*, in qua *ut certum* aſſerit, *veterem eſſe Chriſtifidelium pietatem ſentientium*, Beatiſſimæ Virginis Mariæ *Animam in primo Creationis* inſtanti fuiſſe a macula peccati Originalis *præſervatam immunem*, atque *in hoc ſenſu*, ejus Conceptionis Feſtivitatem ſolemni ritu colentium, ac deinde ſubjungit: *Crevitque horum numerus, atque HUJUSMODI CULTUS, poſt editas a felic. rec. Sixto PP. IV. Prædeceſſore noſtro, in EJUS COMMENDATIONEM, Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque obſervari mandavit.*

90.

90. Innovavit igitur, & obſervari mandavit ſacrum Concilium Conſtitutiones editas *in commendationem Cultus*, Beatiſſimæ Virgini, in primo inſtanti ſuæ creationis, a peccato Originali præſervatæ *exhibiti*; hocque didicit Summus Pontifex ab ipſis Sacri Concilii Originalibus Actis. Siquidem in Archivo Ghiſiano adeſt Codex, (de quo infra) *num.* 120. ſignatus, in quo plurima habentur Documenta, quæ pro extenſione dictæ Conſtitutionis: *Sollicitudo*: Alexandro VII. inſervierunt. A folio autem 37., ad 43., adſunt Tridentinorum Patrum de Beatiſſimæ Virginis Conceptione Sententiæ, *ſumma fide*, ut ibi dicitur, *ac diligentia ex Originalibus Tridentini Concilii Monumentis collectæ*; ibique, relatis quorumdam Concilii Patrum ſententiis petentium, ut legerentur, & examinarentur Sixti IV. Conſtitutiones, quæ à ſacro Concilio innovabantur, & obſervari præcipiebantur, ſubiungitur: *Deinde legerunt Extravagantes Sixti IV. circa ipſam Conceptionem; primam, quæ incipit:* Cum præcelſa: *ſecundam, quæ incipit:* Grave nimis; *& dimiſſa eſt Congregatio hora decima quinta.* Unde Sacri Concilii Patres per memoratam Declarationem, & per iſtarum Sixti IV. Conſtitutionum innovationem, omnibus Chriſtifidelibus, & Eccleſiæ univerſali indicere, ac notificare videntur.

91. Nos, in Spiritu Sancto legitime congregati, decernimus, Adamum in omne genus humanum peccatum Originale transfudiſſe, omneſque, & ſingulos homines in primo inſtanti creationis ſuæ Animæ, & infuſionis in Corpus, illud contrahere. Declaramus tamen, noſtræ intentionis non eſſe, nec Spiritus Sancti, per os noſtrum loquentis, comprehendere in iſto Decreto Immaculatam Deiparam Virginem Mariam. Imo præcipimus, quod omnimode obſerventur Conſtitutiones, in *Commendationem Cultus*, qui ſacro Conceptionis Myſterio, ſecundum piam ſen-

ten-

tentiam, in Eccleſia exhibetur, a Sixto IV. editæ, eaſque innovamus; ac proinde iterum declaramus, ſicuti in eis olim declaravit idem Pontifex, quod Miſſa *Egredimini*, & officium *Sicut lilium*, in quibus *Immaculata colitur Conceptio*, & Chriſtus, ut Beatiſſimæ Virginis *Præſervator* adoratur, a *Sancta Romana Eccleſia* ordinata fuerunt; pro ejuſdem Conceptionis Feſto *in eadem Dei Eccleſia* celebrando; pariterque de novo ſtatuimus, quod omnes, & ſinguli Chriſtifideles, qui dictam Miſſam, & memoratum Officium in Feſto Conceptionis, & per ejus Octavam dixerint, aut illis interfuerint, Indulgentias, in eiſdem Conſtitutionibus conceſſas lucrentur; prout ſeptuaginta abhinc annis in Sancta Romana Eccleſia quolibet anno acquiri ſolent, & ſicuti Nos ipſi eas conſequi nitimur, & pro viribus conamur: Declaramus tandem, quod ſicuti Sixtus IV. in dictis ſuis Conſtitutionibus nil aliud ſententiæ contrariæ conceſſit, niſi prohibere, *ne hæreſis crimen, vel peccatum mortale* ii incurrere dicantur, qui eam tenent; ita nec Nos nil aliud penitus ei concedere volumus.

92. Adeſt in Bibliotheca Barberina Miſſale Romanum, Venetiis anno 1558. Typis editum, cui titulus: *Miſſale ſecundum conſuetudinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.* In prima ejus pagina, charactere antiquo, ejuſdem videlicet Sæculi, ſcriptum legitur: *Pro uſu Sacri Concilii Tridentini*. In ejus Calendario, die 8. Decembris habetur: *Conceptio B. M. V. Duplex maj.*, & die 15. ejuſdem: *Octava Conceptionis B. M. V. Duplex minus*. In ipſo autem Miſſali, ad diem pariter octavam Decembris, reperitur Miſſa *Egredimini*, a Sixto IV. inſtituta; & nulla alia ibidem aſſignatur, nec pro dicto Feſto, nec pro ejus Octava. Signum evidens, quod Sacri Concilii Patres hanc ſolam celebrarunt Miſſam, tam in die Conceptionis Feſto, quam per ejus Octavam.

93.

93. Hujus vero rei aliud habemus firmiſſimum pariter argumentum. Quidam Religioſus, Sacri Myſterii ſtudioſus, hoc ſibi, & quidem libenti animo ſuſcepit, ut omnia accurate examinaret Miſſalia Romana, quæ variis in Urbis Bibliothecis reperire potuit, a Sixti IV. temporibus uſque ad Pium V. diverſis in locis ſucceſſive edita. Quinquaginta variarum editionum ibidem invenit. *Sum. num.* 6. Omnia ſunt Miſſalia Romana, cum hoc ſolum diſcrimine, quod in quibuſdam, ante Miſſam Dominicæ primæ Adventus legitur: *Incipit Ordo Miſſalis ſecundum conſuetudinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*. In aliis vero: *ſecundum conſuetudinem Curiæ Romanæ*. Tribus exceptis, Pariſiis typis editis, annis 1523. 1530., & 1556., in quibus ultra Miſſam *Egredimini*, adeſt alia ſecunda Miſſa ex Concilio Baſileenſi: *Gaudeamus omnes in Domino:* & in duobus ex illis, alia tertia, nempe *Sicut in die Nativitatis*, *exceptis Orationibus*. Et tandem in uno ex eiſdem, anni ſcilicet 1556., adeſt alia quarta Miſſa, *Egredimini*, ſed diverſa a prima; & ad Gloria in excelſis, ibi dicitur: = Tu ſolus Sanctus, *Mariam fabricaſti*. Tu ſolus Dominus, *ab originali peccato præſervaſti*. = Pro Verſiculo Gradualis legitur: *Qui mundum poteſt facere de immundo conceptum ſemine, me formavit Filius meus ullo ſine crimine*. Et Communio: *Beata, & Immaculata Conceptio Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, quæ a Filio ſuo præſervata, neſcivit labem Originalis peccati*. His, inquam, tribus exceptis, in omnibus aliis, & in quodam Chori Graduali cum notis, Taurini anno 1512. impreſſo, unica adeſt Miſſa *Egredimini*, a Sixto IV. ordinata; nec ulla alia pro die 8. Decembris, aut pro die 15. vel reperitur, vel indicatur.

94. Si igitur, centum fere annorum ſpatio, in omnibus Miſſalibus *ſecundum conſuetudinem S. R. Eccleſiæ:*

vel *ſecundum conſuetudinem Curiæ Romanæ*, Venetiis, Romæ, Neapoli, Lugduni, Pariſiis, Taurini, Saonæ &c. editis, nulla alia, pro die 8. Decembris, habeatur Miſſa, niſi ea ſola, quæ a Sixto IV. fuerat inſtituta, & a Franciſcanis fuit deinde uſque ad præſens ſemper recitata; quis prudenter negare poterit, eos omnes, qui Miſſali Romano tunc utebantur, a Summis Pontificibus, uſque ad ultimos Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares, & ipſorum Conciliorum, tum Lateranenſis ſub Leone X. terminati, tum & Tridentini Patres, toto tempore quo fuerunt congregati, eamdem Miſſam in Conceptionis Feſtivitate, & per ejus octavam recitaſſe, ut tam ipſi, quam Miſſæ intereſſentes, ſanctas conſequerentur Indulgentias, a Sixto IV. conceſſas, & a Leone X. pro Hiſpaniarum Regnis, etiam ad interdictorum tempora extenſas?

95. Hoc idem non ſolum de Miſſa, ſed etiam de Officio *Sicut lilium* teſtatur Pater Seraphinus a Bononia, Ordinis Canonicorum Regularium, Libro cui titulus: *Paradiſo di Delizie:* typis edito anno 1562., tempore ſcilicet Concilii Tridentini. Ibi enim de pia ſententia loquens, *pag.* 12. ait. „ Queſta aſſerzione a me più ſatisfa, e più mi piace, *vedendo la Santa Chieſa* queſta „ favorire nel celebrare ſolennemente la Santiſſima ſua „ Concezzione. Nella Orazione *dell' Officio, e della* „ *Meſſa, ſi dice: DEUS QUI PER IMMACULATAM CONCEPTIONEM VIRGINIS:* „ ſe dunque *la Santa Chieſa nomina* la Concezzione „ della B. V. *Immacolata*, ſeguita, che è ſtata concetta „ ſenza il peccato Originale. „

96. Idem teſtatur pariter Sanctus Franciſcus Borgia *lib.* 6. *Medit. in Evang.*, *medit.* 9. *part.* 2. *pag.* 244. *edit. Bruxel.* 1675., Ibi: „ Conſiderandum eſt, quod

„ æquum

„ æquum fuerit, ut ille, a quo Parentes honore affi-
„ cere jubemur, & ipſe Genitrici exhiberet. Ea de re,
„ privilegio, nulli alteri puræ Creaturæ conceſſo, do-
„ nandam fuiſſe decuit, nempe Conceptionis in gratia.
„ Siquidem eo fruſtrari, magnæ indecentiæ verteretur,
„ cum Dei Filium, a Matre aliquando Dæmonis jugo
„ per peccatum mancipata natum veraciter dici poſſet;
„ & ſic ſupplices *cum Eccleſia* Dominum orabimus, *ut*
„ *ſicut eam ab omni labe præſervavit, ita nos quoque* &c. „
Quæ verba reperiuntur in Oratione: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*. Idem tandem, variis aliis omiſſis, teſtatur Annibal Monterentius, in Scholiis ad Statuta Civitatis Bononienſis, Bononiæ, anno 1561. editis: Libro enim ſecundo, *tit. de Feriis*, *pag.* 404. *litt. D.* ait „ Hodie Conceptio B. M. ſervatur .... Extat Of-
„ ficium, compoſitum a Sixto Pontifice, *quod cantat*
„ *Sancta Mater Eccleſia*. „ Et revera, non videtur quomodo aliud Officium, a tempore Sixti IV. uſque ad Pium V., in Romana Eccleſia cantari potuiſſet; cum, teſte eodem Sixto, iſtud *ab eadem S. R. Eccleſia* ordinatum fuerat, *ut in Dei Eccleſia* recitaretur, prout jam viſum eſt, & habetur in duabus ejuſdem Pontificis Conſtitutionibus, ſupra enucleatis.

97. Eadem diligentia, quæ ſupra pro Miſſalibus, adhibita etiam fuit pro perquirendis Breviariis Romanis, & plurima pariter reperta fuere; *Sum. num.* 7. cum hoc tamen diſcrimine, quod in Miſſalibus, ut dictum eſt, tribus exceptis, Pariſiis typis editis, alia non habetur Miſſa, niſi ea, quæ a Sixto IV. fuit inſtituta; in Breviariis vero, licet fere in omnibus ad diem 8. Decembris habeatur Officium *Sicut lilium*, & in pluribus nullum adſit aliud; nihilominus, duo in variis aſſignantur Officia pro Conceptionis Feſtivitate, videlicet: *In Conce-*

ptione B. M. V., *ſicut in Nativitate*, *mutato verbo Nativitatis in Conceptionis*, & *exceptis Lectionibus*, quæ ut dictum eſt §. 53., ibi ſumuntur ex Epiſtola Sancti Anſelmi, in qua narratur Revelatio, ſæculo undecimo, Abbati Elſino facta, tenoris ſequentis, videlicet: *Promitte Deo*, & *mihi*, *quod diem Conceptionis* & *CREATIONIS MATRIS DOMINI JESU CHRISTI ſolemniter celebrabis*, & *celebrandum prædicabis*. In quibuſdam etiam ex iſtis Breviariis, poſt illa verba: *Exceptis Lectionibus:* additur: & *Oratione*, quæ ibi aſſignatur: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*; ut videri poteſt in Editionibus Venetis 1521. 1550. 1553., & 1555., in Summario adductis. Adeſt deinde in memoratis Breviariis Officium *Sicut Lilium*; vel, ubi immediate non ponitur, adeſt ſequens, vel æquivalens Rubrica: *Officium novum vide poſtea*; deindeque legitur ſequens titulus: *Officia nova:* quorum primum eſt: *Sicut Lilium:* adſunt poſtea alia Officia nova propria, nempe Viſitationis, S. Annæ, S. Joachim, Nominis Jeſu, Angeli Cuſtodis, S. Gabrielis &c., & in fine habetur: *Explicit Breviarium Romanum*. Tandem in pluribus adduntur *Officia ad uſum Fratrum Minorum S. Franciſci*, inter quæ non reperitur Officium *Sicut Lilium*, utpote jam poſitum inter Officia nova Breviarii Romani. Ex quibus evidenter conſtat, dictum Officium, a tempore Sixti IV. uſque ad Pium V., non fuiſſe Breviario Franciſcano appropriatum, ſed Romano, & univerſalis Eccleſiæ; licet cuilibet tunc liberum foret recitare illud, vel aliud *Sicut in die Nativitatis* cum Lectionibus S. Anſelmi; vel aliud Cardinalis Quinonii, pro Clero ſæculari, a Paulo III. approbatum.

98. Quodcumque tamen ex his recitaretur, celebrabatur ab omnibus Feſtivitas *Creationis* Animæ B. M. V., &

Digitized by Google

& per conſequens præſervationis ejus a peccato originali in primo inſtanti, ut declaratum infra videbitur ab Alexandro VII.; & ſicuti de hoc nullum oriri poteſt dubium relate ad eos, qui Officium *Sicut Lilium*, vel compendioſum Quinonii recitabant, in quibus ipſa *Conceptio* pluries *Immaculata* decantatur, & Chriſtus Dominus, ut *Præſervator* Beatiſſimæ Virginis *adoratur*; ita nec relate ad cæteros, qui aliud tertium dicebant, *ut in die Nativitatis*. Lectiones enim, in quibus ſolemniter celebranda, & ubique prædicanda iniungebatur *Conceptio*, & *Creatio* Matris Dei, ad ſufficientiam hoc indicabant, ſicuti & Reſponſorium, in quo, prout ad præſens, dicebatur: *Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem*. Reſponſorium, quod ſic legitur in omnibus Breviariis *Romanis* modernis, & antiquis, unico excepto, ſaltem quod uſque nunc repertum fuerit, Venetiis anno 1478. edito, in quo legitur: *Quicumque celebrant tuam Conceptionem*; licet in eodem, pro Officio Nativitatis, dicatur: *Quicumque celebrant tuam ſanctam Nativitatem*.

99. Plurima alia paſſim reperiuntur in Miſſalibus, & Breviariis, in favorem ſacri Myſterii non parum redundantia. In Miſſali Romano, anno 1482. edito, cui titulus: *ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ*, ad Gloria in Excelſis Deo habetur: = Tu ſolus Sanctus, *Mariam præſervaſti*: Tu ſolus Dominus, *Mariam fabricaſti*. = In Bibliotheca Vallicellana, & in alia Sancti Silveſtri adeſt Miſſale Ambroſianum, annis 1560. 1594., & 1640. editum, in quo, ad diem 8. Decembris, in Introitu habetur: *De cujus Immaculata Conceptione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei*. Et in Præfatione: *Quæ nobis vitæ perennis Januam, quam Eva in Paradiſo clauſerat, reſeravit; noſque de tenebris ad Lucis antiquæ gaudia revoca-*

vocavit. Quæ omnia etiam habentur in Miſſali, quod in Eccleſia Sancti Caroli Urbis pro dicto Ritu Ambroſiano quotidie inſervit. Vidimus ſupra §. 71. quot reperiantur Breviaria, in quibus pro Lectionibus legebatur Decretum, a Patribus Baſileenſibus favere Immaculatæ Conceptionis editum; quotque Miſſalia, tam Romana, quam particularium Eccleſiarum, & Provinciarum, in quibus Miſſa aſſignatur, *ex eodem Sacro Baſileenſi Concilio*. In Bibliotheca S. Ignatii adeſt Breviarium Ordinis Teutonici, de expreſſo Magni Magiſtri mandato, anno 1610. editum, in cujus Lectionibus legitur: *Non eſt verus amator Virginis, qui colere ſpernit hujus diem Conceptionis. Erubeſcant igitur, qui hunc diem colere nolunt*. Omnia fere Galliarum Breviaria ſententiis, & orationibus plena ſunt, *Immaculatam Conceptionem* exprimentibus. In Lugdunenſi, anno 1737. edito, legitur ad Primam Decretum Sacri Concilii Tridentini: *Declarat tamen S. Synodus, non eſſe ſuæ intentionis* &c. & Paragraphus Conſtitutionis Alexandri VII. *Vetus eſt Chriſtifidelium pietas* &c., nec non & Oratio: *Deus, qui propter eminentiſſimam Filii tui Dignitatem, B. M. V. Matrem ejus a peccati labe præſervaſti*. In Biſuntino anni 1712. habetur: *In Feſto Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Duplex primæ Claſſis*. Deinde Oratio, a Sixto IV. ordinata: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*; & ad Primam dicitur: *Chriſte Fili Dei vivi: Qui Matrem tuam ab Originali labe præſervaſti*.

AR-

ARTICULUS VIII.

De Pio V. Gregorio XIII. Paulo V., & Gregorio XV.

100. ANno 1568. Pius V., ad tollendam orandi varietatem, plurimaſque eliminandas novitates, paulatim in Officiis Divinis introductas, novum approbavit Breviarium, in quo, pro Conceptionis Feſto, aſſignatum eſt *Nativitatis Officium*, mutato *Nativitatis nomine*, in *Conceptionem*; Officium ſine dubio, etiam relate ad *Conceptionis Feſtivitatem*, antiquius alio, a nonaginta tunc circiter annis, a Sixto IV. inſtituto. Per hoc autem, Feſtivitatis obiectum non mutavit dictus Pontifex, cum, ut jam obſervavimus, in iſto Officio *Sancta* decantetur Beatiſſimæ Virginis *Conceptio*. Si enim a Doctore Angelico quæramus, quid vere, & proprie vox *Sancta* ſignificet; ſtatim cum S. Dionyſio docebit nos, quod *Sanctitas eſt omni ex parte Immaculata puritas*. = *S. Thom.* 3. *part. qu.* 27. *art.* 2. Docebit nos, idem omnino eſſe, celebrare Beatiſſimam Virginem, *in ſui Conceptione Sanctam*, ac ipſam venerari, *a peccato Originali*, in eadem Conceptione *præſervatam*. Siquidem, loco mox citato, Chriſtum Dominum nullo modo contraxiſſe Originale peccatum, ex eo præciſe probat, quod in ſui Conceptione fuerit Sanctus; ibi: *Nam Chriſtus nullo modo contraxit originale peccatum, ſed in ipſa ſui Conceptione fuit Sanctus*. Sique, variis aliis prætermiſſis, idem Sancto Hieronymo proponamus dubium; *in Cap. 7. Epiſt. ad Epheſ.* reſpondebit: *Inter Sanctum, & Immaculatum hoc intereſt, quod Sanctus, & Immaculatus quoque intelligi poteſt. Immaculatus vero non ſtatim & Sanctus; nempe, quia Immaculatus dici poteſt ille, qui peccatum non facit; Sanctus autem is eſt, qui Virtuti-*

tutibus plenus eſt. Et ut dicit Pater Taulerus, Ordinis Prædicatorum, §. 104. infra videndus, Sancta Romana Eccleſia Conceptionis Feſtum minime celebraret, *niſi illam omnis fuiſſe contagionis expertem, imo & Sanctam, pro certo, exploratoque haberet*. Ubi clare aſſerit, *Conceptionem Sanctam* aliquid magis, vel expreſſius ſignificare, quam Conceptionem *omnis contagionis expertem*.

101. Imo ipſimet, qui contrariam olim tenebant ſententiam, idem tunc ſentiebant. In Officio enim *Sanctificationis* B. M. V., quod die 8. Decembris ab eis recitabatur, expreſſe dicebant, *Sanctitatem Conceptionis* ſoli Chriſto convenire. *Lectio IX.* dicti Officii, ibi: „ Sanctitatem vero „ Conceptionis ſoli Chriſto, Sancto Sanctorum attribua„ mus, qui ſolus, ut Sancti aſſeruere Doctores, hac ſin„ gulari prærogativa gaudet per infinita ſæcula ſæculorum, „ amen „. (Breviarium Prædicatorum, Venetiis 1547. editum: *In Sanctificatione Beatiſſimæ V. M. fiat Officium, per Reverendiſſ. Patrem Magiſtrum Vincentium de Caſtro novo, totius Ordinis noſtri generalem Magiſtrum*; *editum, quod eſt ſequens*. Ad Veſperas: *Iſta eſt ſpecioſa*. = Reperitur in Biblioth. S. Silveſtri.) Signum evidens, quod *per Conceptionis Sanctitatem*, idem omnino intelligebant, ac *Conceptionem Immaculatam*, ſeu Conceptionem abſque ulla peccati Originalis labe peractam. Et hoc jure, ac merito; ſi enim ex S. Dionyſio, & ex Doctore Angelico Sanctitas *eſt omni ex parte immaculata puritas*; celebrare *Sanctam* Conceptionem, idem eſt omnino ac celebrare Conceptionem, *omni ex parte* immaculatam, *omni ex parte* puram; & ſicuti *Nativitas*, nec diceretur *Sancta*, nec ut talis celebraretur, ſi Beatiſſima Virgo cum peccato originali nata fuiſſet, quantumcumque fuiſſet ſanctificata ſtatim ac nata; ita pariter de Conceptione ejus, cæteris paribus, diſcurrendum eſt. Quis igitur ſtupens, ac mirabun-

dus

Digitized by Google

dus inſcrutabilia Dei judicia non venerabitur, qui ſuaviter, ſed ſimul fortiter diſpoſuit, ut unus Pontifex, Ordinis Prædicatorum, & Sanctus, Univerſæ præciperet Eccleſiæ, in Officiis Divinis *Sanctitatem Conceptionis* Beatiſſimæ Virgini attribuere, ac per hoc omnibus declararet, *non Chriſtum ſolum*, Sanctum Sanctorum, hac ſingulari prærogativa gaudere, *ſed etiam puriſſimam ejus Matrem?* Negat qui poterit, *Digitum Dei eſſe hic!*

102. Hoc idem peragebant Franciſcani, antequam Officium *Sicut lilium* inſtituiſſet Sixtus IV. Tunc enim, die Conceptionis Feſto, illud *Nativitatis* recitabant, ſimulque Reſponſorium: *Quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem*; prout inculcatum legitur in eorum Capitulo generali, anno 1458. Romæ celebrato; Ibi = *In Viſitatione, & Conceptione B. V. fiat Officium de Nativitate, mutato nomine Nativitatis in Conceptionem, vel Viſitationem. Lectiones vero legantur propriæ, ſi habentur* = *Chronol. Seraph. P. Joan. a Neap. pag.* 124., *& P. Gubern. Orb. Seraph. tom.* 3. *pag.* 114. Quod quidem Feſtum ſolemniter celebrabant, ut reſultat ex alio eorum Statuto generali, anno 1416. Bercorii peracto, in quo præcipitur, quod in primis Veſperis Conceptionis, nulla S. Ambroſii fiat commemoratio; Ibi: *Item Veſperæ in vigilia Conceptionis B. M. V. integraliter dicantur de Beata Virgine, ſine commemoratione B. Ambroſii* = *Apud eumd. Gubern. pag.* 81., & inſtitutum fuerat in Capitulo generali ejuſdem Ordinis, a Sancto Bonaventura Piſis anno 1263. celebrato. Ibi = *Juſſum item, ut novæ hæ Feſtivitates admitterentur in Ordine, videlicet, Conceptionis B. M. V., Viſitationis ejuſdem, B. Annæ illius Genitricis, & Marthæ Virginis* = *Joan. a Neap. pag.* 27., *Gubern. pag.* 12., *& Wading. ad dict. an.* 1263.

103. Fingendum tamen non eſt, ut quidam Sacri Myſterii Adverſarii faciunt, quod Pius V. ſpeciale aliquod dederit mandatum tollendi e Breviario Romano Officium *Sicut lilium*, aliudque, ejus loco, pro die. Feſto Conceptionis, ſubſtituendi. Talia nec ſomniavit Sanctus Pontifex, nec ſomniare potuit; cum noviſſime tam illud Officium, quam Miſſam *Egredimini* indirecte ſaltem approbaſſet Sacra Tridentina Synodus, dum Sixti IV. Conſtitutiones confirmaverat, & innovaverat, & dum idem Officium, & Miſſam recitaverat. Extenſoribus novi Breviarii generaliter præcepit, ut orandi varietates, novitateſque e Breviario Romano expungerent, de medio ſublatis omnibus Breviariis, quæ ducentos annos antiquitate non ſuperabant, ac præſertim Cardinalis Quinonii Breviario, *ob nimiam ejus brevitatem*; prout habetur in Bulla, novi Romani Breviarii approbativa. In majori Romanorum Breviariorum parte, & fere in omnibus, quæ a tempore Sixti IV. in Italia edita fuerant, (*Summ. num. 7.*) pro die 8. Decembris, duo aſſignabantur Officia, vetus ſcilicet, *ſicut in die Nativitatis*, quod in variis Mundi partibus, a ſex fere ſæculis, & in Eccleſia Romana, a tribus circiter, recitari inceperat, ut ſupra viſum eſt §. 53., & 97.; & aliud, *Sicut lilium*, quod a nonaginta annis a Sixto IV. fuerat ordinatum, quodque in fine Breviarii inter *Officia*, quæ ibidem vocabantur *nova*, primum obtinebat locum. Antiquum igitur in novo Breviario retinuerunt ejuſdem Breviarii Extenſores, & novum dereliquerunt, eodem prorſus modo, quo erga alia Officia nova ſe geſſerunt, quæ omnia, nullo prorſus excepto, e Breviario ſublata fuerunt. Cumque in Miſſali nullas appoſuerint Miſſas, niſi Officiis in Breviario exiſtentibus correſpondentes; pro die 8. Decembris, Miſſam, *Sicuti in die Nativitatis*, aſſignarunt, e medio ſublata Miſſa *Egredimini*, licet in omnibus Miſſalibus Romanis,

a tem-

Digitized by Google

a tempore Sixti IV. editis reperiretur. De cætero in Breviario Romano Pii V. tot mutationes ſucceſſive a ſummis Pontificibus, & a Sacra Rituum Congregatione uſque ad præſens peractæ fuerunt, ut vix decima illius pars intacta remaneat; & inter alia, reſtituta in dicto Breviario fuerunt Officia *Sancti Teleſphori: Sanctiſſimi Nominis Jeſu: S. Franciſci de Paula: S. Petri Martyris: S. Antonii de Padua: S. Annæ: S. Nicolai de Tolentino: SS. Stigmatum: S. Franciſci: SS. Placidi*, *& Sociorum*; *& Præſentationis Beatiſſimæ Virginis*, ab iis ſublata, quibus commiſſa fuerat novi Pii V. Breviarii Ordinatio. Imo non ſolum memorata Officia e dicto Breviario, ſed & Feſtivitates, & dictorum Sanctorum nomina e Calendario Romano omnino expunxerant; ut videri poteſt in eodem Breviario, Romæ anno 1568. edito, & apud Merati *tom.* 2. *part.* 1. *Sect.* 7. *Cap.* 2. *& ſeq.*

104. Quid autem ſuper *Conceptionis* Beatiſſimæ Virginis *Sanctitate*, anno circiter 1350. ſcripſerit Pater Joannes Taulerus, Ordinis Prædicatorum, abs re non erit hic referre. Ex hoc enim teſtimonio, minime ſuſpecto, evidenter patebit, quid, eo jam tempore, apud Fideles intelligebatur per *Sanctam* Conceptionem, & quo ſenſu *Sancta Romana*, *& Catholica Eccleſia* Conceptionis Feſtivitatem celebrabat; eo magis quod explanare ibi videtur Doctoris Angelici Auctoritatem, ex Opuſculo ejus ſexageſimo primo a nobis §. 17. relatam. Dictus igitur Pater, B. Patris Dominici filius, *lib. de* 10. *Cæcit; Cæc.* 4. *cap.* 11. *pag.* 717. *Edit. Colon.* 1553. ſequentia habet, nempe: „ Su-
„ pereſt nunc aliquid de Sacratiſſimæ Virginis Mariæ, di-
„ gnæ Genitricis Dei, laudibus proferre in medium; *quam-*
„ *que periculoſe* ea in re *vel cæcutiant* homines, *vel errent*,
„ aliquot rationibus, quantum quidem Dominus dederit,
„ *liquido demonſtrare*. Cæcitas ergo, quæ, ſuo ordine,

„ quarta ſequitur, non alia eſt, quam ignoratio inæſtimabilis pulchritudinis, bonitatis & amabilitatis Glorioſiſſimæ, ſemperque Virginis Mariæ. Et primo quidem, *de pulchritudine ejus id habendum eſt pro comperto*, eam ab initio, & ante ſæcula præ cæteris creaturis omnibus a Deo electam, atque dilectam, ut eſſet Mater Dei, Regina Cœlorum, Porta Paradiſi, Domina Mundi, Mater Gratiæ, Mater Miſericordiæ, nec non *a ſummo Artifice*, tempore præſtituto, *longe nobiliſſimam, digniſſimam, ſpecioſiſſimam eſſe creatam, ab omnique peccato, & macula, tam originali, quam actuali præſervatam*, uti hoc decebat eam, quæ Mater eſſet unigeniti Filii Dei. Idque adeo, ut ipſe ſuperſanctiſſimus Spiritus Sanctus, in quem nulla cadit admiratio, ejus pulchritudinem, donorumque, & virtutum, atque chariſmatum omnium ſplendorem, quibus mirifice decorata refulget, per ſuos electos Angelos, & homines admiretur, dicens in Canticorum Volumine: *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es*. Itemque, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te*. Enimvero Deus gloriæ, quem mirabilem in Sanctis ſuis Propheta dicit, ſe ſe mirificiſſimum oſtendit in amabiliſſima, longeque chariſſima Genitrice ſua, cui ſimilem nunquam fecit, neque facturus eſt creaturam dignitate, pulchritudine, nobilitate, & omni majeſtate, & gloria. Tanta namque puritate, ſanctitate, perfectione nitet, & emicat, ut omni ſit Angelica puritate longeque ſuperior, nec ulla major ſub Deo puritas queat intelligi, quam Deus per ſuam Omnipotentiam, Sapientiam, & Bonitatem, tam *in Conceptione*, quam omni illius vita, morte, & glorificatione, ultra communem naturæ modum, humanamque conditionem, inſigni cum miraculo *præſervavit*, dignam fecit, & ſublimavit, *ut nec leviſſimam quidem ullius unquam*

„ *pec-*

„ *peccati contraxerit labem*, uti hoc divinæ erat congruum „ Majeſtati, quæ ex ipſa carnem ſumere dignata eſt. *Et* „ *quamquam non defuerint*, *qui hac in parte non ſatis il-* „ *luminati divinitus*, Conceptionis ejus *puritatem vocarent* „ *in dubium*, *eam tamen Sancta Romana*, *eademque Ca-* „ *tholica Eccleſia*, quæ errare non poteſt, *hoc ipſo* quod „ Feſtum Conceptionis illius ſolemniter celebrandum, *co-* „ *lendumque aſſumpſit*, *haud obſcure aſtruit*, *&* *affirmat*. „ Neque enim id ageret ullo modo, niſi *Conceptionem* „ tantæ Virginis, & Matris Dei, omnis fuiſſe contagio- „ nis expertem, *imo & Sanctam* pro certo, exploratoque „ haberet. *Profana namque Feſta non novit Eccleſia*. To- „ ta ergo pulchra eſt, & deificata Virgo Maria... Unde „ de ipſa Sanctus David, Pater illius, jubilans canit: *Ad-* „ *ſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata* „ *varietate*. Neque id mirum, quando in ea, velut in „ Sole, Deus poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam „ ſponſus procedens de thalamo ſuo. Ipſa plane eſt mu- „ lier illa, amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in „ Sanctiſſimo Capite ejus Corona ſtellarum duodecim, „ quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut „ Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies or- „ dinata. „

105. Hæc Pater Taulerus, de quo, & de ejus Operibus ait Pater Echardus *tom.* I. *Script. Ord. Prædic. pag.* 678. Ibi „ Hujus noſtri Auctoris apud antiquos No- „ menclatores parca eſt memoria; quod exinde putem „ eveniſſe, quod Germanice ſcripſit, Operaque ejus ex- „ tra patriam, regionemque ſuam diſtracta non fuerint. „ Unde non parum Surii diligentiæ debetur, qui ea, la- „ tinitate donata, in lucem edidit, *tantoque theſauro Ec-* „ *cleſiam univerſam ditavit*. „ Taulero addi poteſt Pater Guillelmus Pepinus, ejuſdem Prædicatorum Ordinis, qui

anno

anno 1510. floruit, & *ſerm. de Imitation. Sanctor. fol.* 20. *edition. Venet.* 1594. ait = „ Pauciores autem Conceptio-
„ nes colit Eccleſia, quæ tantum duas, videlicet Chriſti.
„ 25. Martii; & digniſſimæ Matris ſuæ, videlicet hodie:
„ Cujus ratio eſt, *quia tantum hi duo concepti ſunt San-*
„ *cti*, & *abſque labe Originalis peccati*.... Referendum
„ eſt hujuſmodi Feſtum, *ſecundum intentionem Eccleſiæ*,
„ ad illum diem, *in quo primò Caro Virginis ſuſcepit*
„ *animam rationalem*... Differunt prædictæ duæ Conce-
„ ptiones, eo quod Conceptio Chriſti non potuit aliter
„ eſſe, quam ſancta, pura, & immaculata; Conceptio
„ autem Virginis Mariæ, niſi divinitus, & ex ſpecialiſ-
„ ſima Dei gratia fuiſſet præventa, & præſervata; uti-
„ que fuiſſet vitioſa, polluta, & maculata, ſicut & Con-
„ ceptiones cæterorum hominum. „ Ejuſdem Patris devotio, & pietas erga Sacrum Myſterium ſummopere relucet in *quinquagena Sermonum Roſarii*, quos anno 1513. exaravit in Conventu Ebroicenſi, ac poſtea anno 1521. typis mandari curavit. In illis enim ſermonibus fere ubique de Immaculata Conceptione mentionem habet; quædam dumtaxat, brevitatis causâ, hic afferemus. *Serm.* 3.
„ Fuit itaque pura, & hoc multipliciter. Primo quidem
„ ab originali, ſecundum quod communiter tenet Ec-
„ cleſia. „ *Serm.* 15. „ Beatam autem Virginem tanto
„ privilegio dotavit Deus, quod fuit immunis ab omni
„ peccato, tam actuali, quam originali. Ad cujus con-
„ firmationem pronunc ſufficit illa auctoritas Cant. 4.
„ *Tota pulchra es amica mea*, & *macula non eſt in te*.
„ Qui autem totum dicit, nihil excludit. „ *Serm.* 16. „
„ Primo igitur data eſt nobis in exemplum totius pu-
„ ritatis, & munditiæ. De puritate nempe ejus ſcriptum
„ eſt Cant. 4. *Tota pulchra es*, ſcilicet ab originali, &
„ *macula*, ſupple actualis, *non eſt in te*. „ *Serm.* 49. „
„ Pec-

Digitized by Google

„ Peccatorum univerſitas comprehenditur ſub illis verbis „ Apocalypſis 8. væ, væ, væ, habitantibus in terra. Primum væ refertur ad peccatum originale, de quo habuit victoriam Virgo Maria per ſpecialem præſervationem a Deo; & quantum ad hoc dicitur contriviſſe „ caput ſerpentis. Nam caput ſerpentis eſt peccatum „ originale, per quod primum intrat Diabolus in animas noſtras. Sed non ſic de Virgine Maria. „ *Serm.* „ 51. „ Primum privilegium ejus eſt quod ipſa fuit ſpeculum totius munditiæ, quod notatur cum dicitur Ave, „ id eſt ſine væ alicuius culpæ. Nam de ea poſſumus „ dicere id quod de Sapientia increata dicitur, videlicet „ Proverb. 7. *Candor eſt Lucis æternæ, & ſpeculum ſine* „ *macula*. Fuit nempe ſine væ triplicis culpæ, videlicet „ originalis, mortalis, & venialis. „ *Serm.* 53. „ Secunda maledictio cui ſubeſt omne fœmineum genus, dicitur maledictio culpæ; omnes enim mulieres pariter „ & viri ſubjacent originali, cum concipiuntur, & naſcuntur.... Sed ab hac maledictione fuit præſervata „ ex ſpeciali Dei munere, ſecundum illud Cantic. 4. „ *Tota pulchra es* &c. Ideo de ea poteſt intelligi illud „ Pſalm. = *Benedixiſti Domine terram tuam*, id eſt Virginem Mariam, & hoc in ſua Conceptione. „ Hæc Guillelmus Pepinus, de quo pariter ait Pater Echardus *tom.* 2. *pag.* 87. „ Obſcuram originem, eximiis dotibus, „ ingenio, pietate, diſciplinæ regularis ſtudio, doctrina, „ & eruditione, dicendi facundia abunde compenſavit, „ ac eximie illuſtravit. „

106. Anno 1569. Pius V. Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci, vivæ vocis Oraculo, inter alia conceſſit, ut, die Feſto Conceptionis, & per ejus Octavam, Officium *Sicut lilium*, & Miſſam *Egredimini* recitare poſſent, prout uſque tunc, centum fere annorum ſpatio,

cum

cum Eccleſia Romana peregerant *Sum. num.* 8. Unde in pluribus ejuſdem Ordinis Provinciis invaluit conſuetudo, ut, cantatis primis Veſperis, Matutinum, & Laudes per totam Octavam ſucceſſive, non autem media nocte recitentur, ut Chriſtifideles eiſdem intereſſe, & Indulgentias, a Sixto IV. conceſſas, nec unquam revocatas conſequi valeant. Et in tabellis, typis impreſſis, quæ Romæ, & ubique terrarum affigi publice ſolent pro iiſdem Fidelibus invitandis, ut ſolemnitati Immaculatæ Conceptionis in Franciſcanorum Eccleſiis interveniant, de iiſdem Indulgentiis ſemper fit mentio.

107. Sanctiſſimo Pontifici quidam, tunc temporis ſuaſerunt, quod, licet ſcandala evenire poſſent, ſi de materia Conceptionis, pro una, vel altera parte, coram plebeiis, & ignorantibus tractaretur, aut diſputaretur; nil tamen foret timendum, quotieſcumque in eis dumtaxat publicis congreſſibus hoc fieret, in quibus convenire ſolebant Viri eruditi, capaces, & materiam, de qua ageretur, optime callentes. Ea ſine dubio ignorabant hujuſmodi Conſultores, quæ Doctiſſimus Magiſter Dominicus Soto, Ordinis Prædicatorum in Concilio Tridentino Theologus, a viginti jam annis ediderat, *Comment. in Epiſt. ad Roman. pag.* 150. *edit. Antuerp.* 1550. ſuper illa verba: *In quo omnes peccaverunt:* ſic ſcribens =„ Abſit, ut „ ullum hic verbum de Sacratiſſima Virgine Genitrice Dei „ faciam. Nam etſi Concilium Tridentinum, Decretum „ Sixti innovando, libertatem fecerit ſentiendi in utram„ que partem; eſt tamen exceptio B. Virginis ab hac „ univerſali ſententia Pauli uſque adeo celebris, non mo„ do inter Plebes, *ſed etiam inter bonos Doctores*, quales „ præcipue ſunt Illuſtriſſimi Pariſienſes, ut ſi qui hanc „ ſibi ſententiam perſuadere non poſſunt, haud tamen „ debeant *publicitus* talem prodere diſputationem; *adeo id* „ *abſque odio*, & *invidia nequirent facere.* „

108. Anno igitur 1570. Conſtitutione: *Super ſpeculam Domini:* dat. pridie Kalend. Decembris, inter alia conceſſit, *ut, in publicis Academiæ Diſputationibus, ſive Generalium, aut Provincialium Capitulorum, vel ubi alias interſunt, qui rem capere poſſunt, nec ſcandali ulla ſubeſt occaſio, liceret Viris eruditis de illa Quæſtione diſſerere, & argumentis utramlibet partem, vel aſſerere, vel impugnare, dum tamen neutra, veluti erronea prædicaretur.* Et hæc eſt prima, ac fere unica Conſtitutio, in qua, favore contrariæ opinionis, aliquid poſitive conceſſum fuerit. Sixtus enim IV., & poſtea Concilium Tridentinum, ejuſdem Sixti Conſtitutiones innovando, & executioni mandari præcipiendo, nil, niſi negativum, ut ita dicam, eidem opinioni conceſſerant, videlicet, quod eam tenentes *hæreſeos, aut peccati mortalis notari non poſſent.* Tot autem, tantaque, ex iſtius Pii V. Conſtitutionis executione, contra Sancti Pontificis expectationem, ſubſecuta ſunt inconvenientia, ut Paulus V., die 31. Auguſti 1617., Decretum in Congregatione S. R., & V. Inquiſitionis conficere, & publicare coactus fuerit, in quo, relato, quod ex occaſione aſſertionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, videlicet, quod Beatiſſima Virgo cum peccato originali concepta fuerit, *orirentur in Populo Chriſtiano, cum magna Dei offenſa, ſcandala, jurgia, & diſſenſiones;* omnibus, *poſt longam, & maturam diſcuſſionem*, prohibuit, ne de cætero in quibuſcumque Actibus publicis aſſerere auderent, quod Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato Originali.

109. Quod tamen ad removenda, & ſedanda exorta ſcandala ſatis non fuit; unde Gregorius XV., per aliud ſimile Decretum, 24. Maii 1622. datum, eamdem extendit, & ampliavit prohibitionem ad colloquia, & ſcripta

privata, ex eiſdem nempe cauſis *evitandi ſcandala*, *diſſenſiones*, *atque diſcordias in Populo Chriſtiano*; omnibuſque præcepit, ne de cætero etiam in ſermonibus, & ſcriptis privatis quis auderet aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato Originali; nec de hac opinione affirmativa *aliquo modo agere*, ſeu tractare præſumeret; iis tamen exceptis, quibus a Sancta Sede Apoſtolica foret ſuper hoc ſpecialiter indultum. Et inſuper, cum Sancta Romana Eccleſia de Beatiſſimæ Virginis Conceptione Feſtum ſolemniter, & Officium celebret; omnibus, & ſingulis Perſonis Eccleſiaſticis, tam Sæcularibus, quam cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularibus mandavit, ac præcepit, ut in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quam *Conceptionis* nomine uti deberent. Hæc autem Conſtitutio, ſeu hoc Decretum non emanavit, niſi auditis Patribus Dominicanis, prout ex ſequenti Sacræ Congregationis Reſcripto habetur = *Die* 27. *Aprilis* 1622. *Fratres Ordinis Prædicatorum deducant ſuas rationes*, *in materia Conceptionis*, *ſingulis Illuſtriſſimis Dominis* = Carnalibus videlicet, qui, eo tempore, Eminentiſſimi titulo nondum potiebantur.

110. *Sanctificationis* Officium uſque ad illud tempus recitaverat & recitabat inclytus, & quidem ſolus, Prædicatorum Ordo, & per illud Beatiſſimam Virginem colere, ac venerari intendebat, non quidem ut donatam Spiritus Sancti gratia in primo ſuæ Creationis inſtanti; ſed ut mundatam a peccato Originali in ſui Conceptione contracto. Hoc enim apud eos ſignificabat *Sanctificationis* nomen, quod erat ſuæ opinionis veluti proteſtativum; & fere ubique habetur in *Sanctificationis* Officio, de quo *ſupra* §. 101. Ad ejus namque Veſperas legitur Antiphona: *Iſta eſt ſpecioſa inter filias Hieruſalem*. *Sicut vidiſtis*

eam,

eam, plenam charitate, & dilectione; ita & in utero Matris, per copioſum Sanctificationis munus, ab omni ſorde peccati mundata eſt. Et in Hymno ad eaſdem = *Namque Sanctorum copula Parentum fœmina ut ſimplex generata conſtat, unde peccati vel originalis non fuit expers.* = *Illa ſed tanto reparata caſu Spiritus Sancti bonitate ſcitur, qui Dei templum geniti futuram ſanctificavit* = & in Oratione = *Deus, qui B. V. Mariam, poſt Animæ infuſionem, per copioſum gratiæ munus mirabiliter ab omni peccati macula mundaſti, & in Sanctitatis puritate poſtea confirmaſti.* = Semel ac igitur omnibus prohibebatur, ne tam publice, quam privatim aſſerere auderent, quod Beatiſſima Virgo cum peccato Originali concepta fuerit, nec de hac opinione affirmativa *aliquo modo* agere, ſeu tractare valerent; a fortiori prohiberi debebat, ne Officium, & Miſſa *de Sanctificatione* celebrarentur; ac præcipi, ut quicumque Officium, & Miſſam recitare vellent, illa de *Conceptione* dicere tenerentur. Alias de opinione affirmativa, in Choro, & in Altari agere, & tractare perrexiſſent, Feſtivitatem celebrantes de mundatione Beatiſſimæ Virginis a peccato Originali contracto. Et licet idem Pontifex, die 28. Julii ejuſdem anni 1622., Patribus Prædicatoribus conceſſerit, *ut in privatis eorum colloquiis, ſeu conferentiis inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materia ejuſdem Conceptionis B. M. V. diſſerere, & tractare poſſint*; nunquam tamen eis conceſſum eſt, verbo *Sanctificationis* uti in Divinis Officiis, & Miſſa, nec de mundatione a peccato Originali contracto Feſtivitatem celebrare.

111. Omnibus, & ſingulis præcipiendo, quod in Miſſa, & Divinis Officiis celebrandis, nomine Conceptionis uti deberent, Decretum renovavit Gregorius XV., olim a Baſileenſibus Patribus anno 1439. editum, quod ægre adeo

tulerant opinionis contrariæ Sectatores, videlicet: *Statuimus, & ordinamus, eamdem celebritatem, præfata die, in omnibus Eccleſiis, Monaſteriis, & Conventibus Chriſtianæ Religionis*, SUB NOMINE CONCEPTIONIS *colendam eſſe*. Conſilium etiam ſecutus eſt idem Pontifex, ac Votum, a bon. mem. Cardin. Bellarmino datum in Congregatione Sancti Officii, coram Paulo V., die 31. Auguſti 1617. celebrata; in quo quidem Voto, præmiſſo, quod a Sancta Sede definiri deberet, *Conceptionem eſſe recipiendam ab omnibus Fidelibus, ut piam, & Sanctam, itaut nulli deinceps liceat contrarium ſentire, vel dicere ſine temeritate, & ſcandalo, & ſuſpicione hæreſis:* Subiunxerat idem Eminentiſſimus: *Si non placet nunc ulla formalis definitio, ſaltem fieri deberet præceptum omnibus Eccleſiaſticis Sæcularibus, & Regularibus, ut recitarent Officium de* CONCEPTIONE, *quo modo recitat Eccleſia; ſic enim ſine definitione haberetur intentum*. Septuaginta quinque annorum erat dictus Eminentiſſimus, quando iſtud exaravit Votum, quadriennio ſcilicet, antequam ad Cœlos evolaret; & mens ipſius erat, idem fere eſſe, præcipere, *quod omnes recitent Officium Conceptionis*; & definire, *Conceptionem eſſe recipiendam ab omnibus ut piam, & Sanctam; nec deinceps ulli licere, contrarium ſentire, vel dicere, ſine temeritate, ſcandalo, & ſuſpicione hæreſis*. Executioni pariter id mandavit Gregorius quod ſuo tempore videre deſideraverat felic. rec. Cardinalis Toletus, (anno 1596. mortuus) qui *in* 3. *part. qu.* 27. *art.* 2. ſcripſerat = *Utinam oculi noſtri videant ſaltem hoc in Eccleſia conſtitutum, ut omnes Fideles hoc amplectantur; & Papa prohibeat oppoſitum legi, doceri, affirmari, prædicari; imo obliget omnes unanimiter hoc celebrare Feſtum*.

112. Immenſæ Gregorio XV. redditæ ſunt gratiæ poſt emanatum illud Decretum, quod *immortale*, ac prorſus *Divinum*, favore ſacri Myſterii, ubique nuncupabatur *beneſi-*

neficium. Litteras hic duntaxat afferemus, ab Hiſpalenſi Civitate Summo Pontifici ſcriptas, *Sum. num.* 9., prætermiſſis, brevitatis gratia, pluribus aliis; & ex reſponſione ejuſdem Gregorii videbitur, quot laudibus dictæ Civitatis Incolas extulerit, ob eorum præciſe, erga Immaculatam Conceptionem, ſummam devotionem; tum Civitatem, *ſolidæ pietatis fundamentis innixam vocans*, tum ejus Incolas, *ſcientiam ſalutis præclare didiciſſe* afferens; declaranſque, ſe per memoratum Apoſtolicum Decretum non ſolum altercantium Theologorum diſſidia tollere, ſed & *Cœleſtis Reginæ dignitati conſulere* voluiſſe. *Ibidem lit. A.*

113. Anno 1579. 4. Kal. Februarii, Gregorius XIII. Conſtitutione: *Proviſionis noſtræ:* aliam Pii V. incipientem: *Ex omnibus afflictionibus:* promulgaverat Bullam, qua plures damnabantur Baii propoſitiones, inter quas ſequens reperiebatur, videlicet: *Nemo, præter Chriſtum, eſt abſque peccato Originali; hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum; omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel Originalis.* Utramque vero Conſtitutionem confirmavit poſtea Urbanus VIII. Conſtitut. *In eminenti;* data pridie nonas Martii 1641; & Paulus V., die 21. Januarii 1609. Patribus Minoribus de Obſervantia, vivæ vocis Oraculo facultatem conceſſerat Officium *Sicut lilium*, & Miſſam *Egredimini*, diebus ſabbatis non impeditis, recitandi, & celebrandi; *Sum. num.* 10., ac Sacra Rituum Congregatio, eodem annuente Sanctiſſimo, idem extenderat ad PP. Conventuales, & ad PP. Cappuccinos per ſua reſpective Decreta, diebus 14. Januarii, & 7. Julii 1612. emanata, in quibus memorati vivæ vocis Oraculi habetur mentio. *Ibid. litt. A.*, & *B.*

ARTI-

ARTICULUS IX.

De primis Diſputationibus circa titulum Immaculatæ, *tribuendum, vel denegandum* Conceptioni; *& de pluribus Brevibus, ac Decretis, poſt Cauſæ deciſionem, cum eodem titulo emanatis.*

114. DE titulo *Immaculatæ*, tribuendo *Conceptioni* Beatiſſimæ Virginis, vel ei denegando, nulla unquam inſurrexerat quæſtio. Tam piæ, quam contrariæ Sententiæ Defenſores parum de eo curabant, licet acriter tractaretur quæſtio, utrum de facto Immaculata, utrum Sancta, & abſque peccato originali fuerit eadem Conceptio. In Feſtivitate, in Officio, in Cultu, *Conceptioni* præſtando, nomen *Conceptio* proteſtativum erat piæ ſententiæ; vox vero *Sanctificatio* contrariam a multis annis indicabat, licet plurimi, piam ſententiam tenentes, eadem voce uſi fuiſſent ad exprimendum, Beatiſſimam Virginem, in primo ſuæ Creationis inſtanti, *Spiritus Sancti gratia fuiſſe donatam, ac* per conſequens *ſanctificatam*, eodem prorſus modo, quo Chriſtus ſanctificatus dicitur: *Quem Pater ſanctificavit* = *Joan.* 10. *verſ.* 36., qui tamen nullo unquam peccato inquinatus fuit, nec inquinari potuit. Ut enim ait Doctor Angelicus 3. *part. qu.* 7. *art.* 9. *ad* 2., ibi: *Anima Chriſti juſtificata eſt per gratiam operantem, in quantum per eam facta eſt juſta, & ſancta a principio ſuæ Conceptionis; NON QUOD ANTE FUERIT PECCATRIX, AUT ETIAM NON JUSTA*. Ambroſiana citavimus Miſſalia §. 99., in quibus ad Miſſæ Conceptionis Introitum dicitur: *De cujus Immaculata Conceptione gaudent Angeli*: E contra vero in aliis Miſſalibus, in quibus habetur Miſſa, cui titulus: *Miſſa de Immaculata Conceptione B. M. V. ex Sacro Baſi-*

Digitized by Google

Baſileenſi Concilio: in Introitu legitur: *De cujus Conceptione gaudent Angeli:* & in Decreto, ab eodem Concilio, favore *Immaculatæ Conceptionis*, anno 1439. edito, Concilii Patres, *renovantes inſtitutionem de celebranda Sancta Conceptione Virginis*, omnibus præcipiunt, ut *ſub nomine Conceptionis*, hujuſmodi Feſtivitatem celebrent. Ipſimet Franciſcani, in ſuis generalibus Capitulis, Feſtum, vel Officium *Conceptionis* præcipiebant, §. 102., de epitheto *Immaculatæ* vix cogitantes. Sciebant enim cum Patre Taulero, Ordinis Prædicatorum Sæculi decimiquarti Theologo, §. 104., *quod Feſta profana non novit Eccleſia*, quodque dum agebatur de Feſto, & de Officio, idem erat dicere: *Feſtum Conceptionis*; ac dicere *Feſtum Immaculatæ Conceptionis*.

115. Sixtus IV. in ſua Conſtitutione: *Cum præcelſa:* Officium *Conceptionis* illud vocat, in quo pluries decantatur *Immaculata Conceptio*, & in quo Chriſtus adoratur, ut Beatiſſimæ Virginis *Præſervator*; licet in alia (*Grave nimis*) acriter eos reprehendat, & condemnet, qui mortaliter peccare dicebant, celebrantes *Immaculatæ Conceptionis* Officium. Nec dubitarunt alii Summi Pontifices, eumdem *Immaculatæ* titulum, quando ſeſe obtulit occaſio, *Conceptioni* præfigere. Leo enim X. favoribus proſecutus eſt pia Chriſtifidelium, *in Immaculatæ Conceptionis honorem* tendentia vota, §. 83., variaque conceſſit privilegia Monialibus Ordinis *Immaculatæ Conceptionis*; §. *eodem*. Julius II. in forma ſpecifica antea confirmaverat, earumdem Monialium Regulam, in qua Beatiſſimæ Virginis *Conceptio*, & *puriſſima*, & *Immaculata* nuncupatur. Tandem Pater Alva, *Radii Solis col.* 1922., viginti ſex refert Bullas, quas etiam infra citabimus *Sum. num.* 34., in quibus titulus *Immaculatæ* eidem *Conceptioni* tribuitur; ſicuti & datum vidimus, *Sum. num.* 10., ab Eminentiſſimo Arrigonio, nec

nec non a Sacra Rituum Congregatione. *Ibidem lit. A.*, *& B.* Et eodem titulo plena ubique terrarum erant Theologorum Opera, qui una voce defendebant, qui exaltabant *Immaculatam* Virginis *Conceptionem*; nec ullus unquam piis Chriſtifidelibus prohibere tentaverat, ne *Immaculatæ* titulum, *Conceptioni* Beatiſſimæ V. tribuerent, iis dumtaxat exceptis qui tempore Sixti IV. aſſeruerant, *eos mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos, qui Beatiſſimam Virginem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam tenebant, vel Immaculatæ Conceptionis Officium celebrabant.* Quod quidem aſſerere non erubeſcebant poſt emanatam ejuſdem Sixti IV. Conſtitutionem, qua omnes Chriſtifideles Indulgentiis invitabat, ut memoratum Immaculatæ Conceptionis officium recitarent, tam in die Feſto, quam per ejus Octavam.

116. Primus autem, qui hoc titulo, Beatiſſimæ Virginis *Conceptionem* poſitive, & expreſſe denudare, ac ſpoliare tentavit, intacto apparenter relicto Myſterio, quidam fuit Ceſenæ Sancti Officii Vicarius, Ordinis Prædicatorum, qui anno 1627. eum admittere noluit in quibuſdam Concluſionibus, ibidem diſputandis, ac de hoc certiorem reddidit Sancti Officii Congregationem. Unde perlectis ipſius litteris in generali Congregatione, die 23. Februarii ejuſdem anni, in Palatio Eminentiſſimi Bandini celebrata, in qua tres interfuerunt Eminentiſſimi Cardinales, & plures memorati inclyti Prædicatorum Ordinis Conſultores, reſolutum fuit prout ſequitur, videlicet = *Viſum fuit DD. Cardinalibus, optime ſe Vicarium S. Officii Ceſenæ geſſiſſe, non admittendo titulum Immaculatæ Conceptionis in quibuſdam Concluſionibus diſputandis, ſed Conceptionis Immaculatæ Virginis; & ita obſervari mandarunt.* Quibus vero rationibus apud Eminentiſſimos Patres uſus fuerit memoratus Ceſenæ Vicarius, pro hac fulcienda, & cohoneſtanda novita-

vitate, uſque ad præſens ignoratur. Certum eſt tamen, quod nullum pro ea afferre potuit, nec Breve, nec Decretum Summorum Pontificum, aut ſacratum Congregationum. Certum eſt, quod agebatur de titulo, ſpatio centum fere annorum, ubique terrarum, & a Patribus duorum Conciliorum generalium, in Officiis Divinis, & in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, decantato, quodque, ex conceſſione Pii V., & Pauli V., in Miſſa pariter, & in Officio cantare pergebat univerſus Franciſcanorum Ordo.

117. Certum eſt, quod Sixtus IV., Conſtitutione: *Cum præcelſa*, varias conceſſerat Indulgentias, dicta Officia, & Miſſam recitantibus, vel eorum recitationi intereſſentibus; quodque eadem Conſtitutio, a Sacro Concilio Tridentino confirmata, & renovata fuerat. Certum eſt, quod a quindecim dumtaxat elapſis tunc menſibus, die videlicet 18. Novembris 1625., Coronas, ac Numiſmata geſtantibus, ab Abbate Montis Serrati benedicta, centum dierum Indulgentiam conceſſerat Urbanus VIII., quotieſcumque dicerent: *Benedicta ſit puriſſima & Immaculata Conceptio B. M. V.*, prout videri poteſt apud Patrem Amort, *Hiſtor. Indulg. par.* 1. *pag.* 176. Certum eſt, quod idem *Immaculatæ* Conceptionis titulus, in tribus Decretis reperiebatur, a paucis pariter annis, expeditis, tum ab Eminentiſſimo Arrigonio, tum a Sac. Rit. Congregatione. *Sum. num.* 10., nec non in variis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, prout in antecedenti Paragrapho mox vidimus. Præterea Pius V., Conſtitutione: *Super Specula*; Viris doctis conceſſerat, ut in publicis Diſputationibus, de illa quæſtione differere, & utramlibet ſententiam aſſerere, ac defendere valerent. Et licet Paulus V., & Gregorius XV., *ad evitanda in Populo Chriſtiano ſcandala*, adverſariis ſucceſſive prohibuiſſent, ne ſuam ſententiam, ſive publice, ſive privatim aſſererent, aut defen-

derent; expreſſe tamen mandaverant, ac præceperant, ut *in reliquis omnibus* memorata Pii V. Conſtitutio, *firma, & illibata* remaneret, & exacte obſervaretur; ac per conſequens, quod *Immaculatæ* Conceptionis ſententia, in publicis diſputationibus, a Viris doctis aſſeri, & defendi poſſet. Certum eſt tandem, quod, emanato hoc Decreto, plures edidit Conſtitutiones Urbanus VIII., in quibus *titulum Immaculatæ Conceptionis* admiſit, imo & duas, anno 1632. & 1643. datas, quibus expreſſe *præcepit ac mandavit*, ut duo, *Auctoritate Apoſtolica* erigerentur Monaſteria *ſub denominatione*, & *ſub invocatione Immaculatæ Conceptionis*; prout infra videbitur §. 281., & *Summar. num.* 34.

118. Quibus omnibus non obſtantibus, anno 1639. Anconæ Inquiſitor Dominicanus, ab eodem Tribunali periit, quomodo ſe gerere deberet circa quaſdam Concluſiones, in materia Conceptionis typis edendas; &, ut ſequitur, determinatum fuit = *Feria* 4. *die* 29. *Aprilis* 1639.= *In generali Congregatione Sancti Officii .... Inquiſitoris Anconæ lectis litteris, datis* 15. *hujus, quibus conſulit, quomodo ſe gerere debeat circa impreſſionem Concluſionum, in materia Conceptionis B. V., quam facere intendunt FF. Minores Obſervantes dictæ Civitatis; Eminentiſſimi mandarunt, eidem Inquiſitori tranſmitti Decretum, alias factum* 23. *Februarii* 1627., *in ſimili materia emanatum, qui juxta illud ſe gubernet*. Tandem anno 1644., cum Vicarius S. Officii Bononiæ Dominicanus, ſuper eadem materia, Sacrum conſuluiſſet Tribunal, die 23. Januarii ejuſdem anni fuit ei miſſa ſupradicti Decreti copia.

119. Silentio ſepulta hæc remanebant; & licet facultas typis edendi dictum titulum, a quibuſdam Ordinis Prædicatorum Inquiſitoribus ſemel, & iterum denegata fuiſſet; ignorabatur tamen, unde proveniret talis novitas,

quæ

Digitized by Google

quæ etiam ad pauciſſimorum aures pervenerat. Sed anno circiter 1647., ex improviſo patefacta ſunt omnia. Eamdem ſiquidem facultatem denegavit in Urbe Magiſter Sacri Palatii, & paulatim ſequens ſparſum eſt clandeſtine Decretum = *Feria 4. 20. Januarii 1644. In Congregatione generali S. R., & V. Inquiſitionis... Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi DD. Cardinales Inquiſitionis prædictæ decreverunt, quod, quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ, Conceptioni B. Virginis, nullo modo permittatur, ſed ſolum dicatur Conceptio Immaculatæ Virginis; & ita obſervari mandarunt*.

120. Nomine Philippi IV., Hiſpaniarum Regis Catholici, Innocentio X. fuit ſupplicatum pro opportuno remedio; pluresque tunc ſuſtinuerunt, nunquam a Sacro Tribunali emanaſſe generale iſtud ultimum Decretum. In Congregatione Sancti Officii, die 29. Novembris 1648. coram Sanctitate Sua, habita, idem Sanctiſſimus Rever. Patri Magiſtro generali Ordinis Prædicatorum præcepit, ut ſua, ſuper hac materia, jura deduceret; Ibi = *Lecto Memoriali Regis Hiſpaniarum, petentis poſſe continuari in conſuetudine tribuendi titulum Immaculatæ, Conceptioni B. Virginis: Sanctiſſimus mandavit ſignificari Reverendiſs. Patri generali Ordinis Prædicatorum, ut infra aliquem brevem terminum deducat quidquid intendit, ſuper titulo Immaculatæ, Conceptioni B. V. non tribuendo*. Et in alia Congregatione, die 18. Martii 1649., coram eodem Sanctiſſimo, pariter habita = *Sanctiſſimus mandavit Reverendiſſimo Patri Generali Sancti Dominici, ut dicat in materia, quidquid illi occurrit infra menſem*. Hæc autem duo Reſcripta magis, ac magis pluribus iterum perſuaſerunt, genuinum non eſſe Sacri Tribunalis fœtum memoratum Decretum. Non enim, inquiebant, Defenſoribus indigeret Sacrum Inquiſitionis Tribunal, pro ſuis exe-

cutioni mandandis, aut defendendis Decretis. Cum olim actum fuit, tempore Gregorii XV., de inhibitione Patribus Dominicanis peragenda, ne in poſterum verbo *Sanctificationis* in Officiis Divinis, & in Miſſa uterentur; æquum quodammodo viſum fuit, eos interpellare, ut ſua apud Eminentiſſimos deducerent jura, rationeſque, ſi quas habebant, eis repræſentarent; potuiſſet enim fieri, quod aliquam recitandi *Sanctificationis* Officium facultatem habuiſſent, Eminentiſſimis Patribus incognitam. Cum igitur ad præſens, eodem modo citetur ſemel, & iterum Prædicatorum Ordo, ad evidentiam reſultat, tractari cauſam, dictum præciſe, & unice Ordinem, non autem Sacrum Tribunal concernentem.

121. Quatuor reperiuntur Scripturæ, contra hunc *Immaculatæ* titulum tunc exaratæ. Duas per extenſum refert Pater Alva in Armamentario Seraphico, *a col.* 7. *uſque ad* 26., eaſque erudite, & adæquate refellit. Alia apud eumdem habetur *Rad. Sol. col.* 2097. & *ſeq.* Quarta vero, & eſt fere eadem, reperitur in Codice Ghiſiano, 120. ſignato, *fol.* 95., & in ejus initio, Eminentiſſimis Patribus exponitur, *quod Romana Eccleſia*, per Decretum Sixti IV. (*Cum præcelſa*) *præbuit aſſenſum, ut Feſtum*, & *Officium Conceptionis celebraretur*. Frigida expoſitio, quæ certe, contentis in Conſtitutione: *Cum præcelſa:* nullimode cohæret, prout quilibet judicare poteſt. Deinde, tractando de Officio, & Miſſa a Nogarola compoſitis, dicitur in eadem Scriptura, quod Miſſa Immaculatæ Conceptionis: *Egredimini:* in duobus Miſſalibus reperitur, Venetiis, an. 1547., & 1558. impreſſis; & pariter Officium *Sicut lilium*, *in paucis* dumtaxat quibuſdam Breviariis; ſed utriuſque hujus aſſertionis ſinceritas, ex Summario noſtro *num.* 6. & 7. facile agnoſci poteſt, ubi quinquaginta referuntur Miſſalia Romana, in quibus omni-

omnibus, nullo excepto, dicta habetur Miſſa; nec ullum, a tempore Sixti IV. uſque ad Pium V. typis impreſſum reperiri potuit, in quo eadem non extet. Adſunt ibi pariter triginta, & amplius Breviaria Romana, in quibus Officium *Sicut lilium* reperitur.

122. Tandem examinat ejuſdem Scripturæ Auctor, vivæ vocis Pii V. Oraculum, quo aſſerunt Franciſcani, conceſſum ſibi anno 1569. fuiſſe, ut Officium *Sicut Lilium* recitarent. Et ſuper hoc obſervat, reperiri propria Ordinis Minorum Officia, vi dicti vivæ vocis Oraculi, anno 1574. edita, paucis videlicet ab emanato oraculo elapſis annis; ſed ibi non reperiri illud Officium: *Sicut Lilium*; quod pro prima vice, inquit, inſertum eſt inter eadem Franciſcanorum Officia propria, Pariſiis anno 1585. impreſſa: *Sed qua auctoritate*, ſubdit, *Officium illud connumeretur inter conceſſa a Pio V. vivæ vocis Oraculo, non conſtat; cum inter Officia, anno* 1574. *impreſſa vi dicti Oraculi, non reperiatur.* Refert Pater Alva *Rad. Sol. col.* 2112., ſummam tunc temporis, ſed inutiliter, adhibitam fuiſſe diligentiam pro invenienda, ac videnda illa Editione, anno 1574., abſque Civitatis nomine peracta. Nec revera inveniri hodie potuit talis Editio, nec ulla a tempore Pii V. peracta, in qua non extet Officium *Sicut lilium*; bene vero una reperta eſt Veneta anni 1573., in noſtro Summario *num.* 8. relata; & Calendarium, Toleti, anno 1578. editum, in quo, *inter Feſta propria, & ſpecialia Ordinis Minorum*, proprium tenet locum *Conceptio Immaculata B. M. cum Octava*; ſignum evidens, falſum eſſe, quod ante annum 1585., Officium, & Feſtum illud annumeratum non fuerit inter Officia, & Feſta propria Franciſcanorum. Verum eſt, quod ante annum 1568. non reperiebatur dictum Officium inter propria FF. Minorum Officia; cum enim in

ipſo

ipſo Breviario Romano cum ſua Octava extaret tamquam commune univerſali Eccleſiæ; *A Sancta namque Romana Eccleſia ordinatum fuerat, & inſtitutum, ut in Dei Eccleſia recitaretur*; non debebat, nec poterat inter peculiaria Franciſcana Officia reponi. Statim ac autem approbatum fuit novum Breviarium Romanum, in eoque aſſignatum, pro die 8. Decembris, Officium *ſicut in die Nativitatis, ſub Ritu duplici minori*; tunc Ordini Minorum licentiam dedit Pius V. annumerandi toties recenſitum Officium *Sicut lilium* cum Octava, inter ſpecialia propria ſua Officia, prout ab eo tempore indeſinenter, & ſemper fuit peractum. Pluribuſque aliis peculiaria pariter, & propria conceſſit Officia idem Pius V., ac præſertim Hiſpaniarum Regnis, prout notatur in eorum Breviariis tunc editis; & Canonicis Regularibus Lateranenſibus Sancti Auguſtini, die 18. Decembris 1570., ut habetur etiam in Officiis eorum propriis, Venetiis, anno 1610., apud Jacobum Antonium Somaſchum typis mandatis.

123. Supremum, re infecta, diem obiit Innocentius X., & die 7. Aprilis 1655., in Summum Pontificem, ejus loco aſſumptus eſt Alexander VII., cui, memorati Sereniſſimi Regis Catholici nomine, ſupplex præſentatus fuit Libellus, ut recenſitis diſſidiis, ac novitatibus finem tandem imponere dignaretur. *Sum. num.* 11. Cum autem idem Pontifex plene informatus reperiretur de omnibus, a ſex, aut ſeptem annis ſuper hoc negotio tractatis, & diſcuſſis. „ Illico (ex ipſa Relatione, Regi Catholico tranſmiſſa, narrat Pater Loſſada *Diſcuſ. Theolog. append. num.* 83.) „ ad ſe arceſſiri juſſit Magiſtrum Sacri Palatii, „ ei indicens, ac præcipiens, ne deinceps ullatenus prohi- „ beret imprimi *titulum Immaculatæ Conceptionis*. Magi- „ ſter vero Sacri Palatii adiit Regium Oratorem, eumque

„ cer-

„ certiorem fecit de injuncto ſibi a Sanctiſſimo mandato, „ quod a ſe prompto animo fore executioni mandandum „ teſtatus eſt. Spondens inſuper, ſe ſtudioſe curaturum in- „ poſterum, ne quid, ex hoc capite, Regi Catholico di- „ ſplicens, aut ingratum prodiret „ Idem refert Pater Hippolytus Maraccius, *lib. Cæſares Mariani*, in Epiſtola ad Alexandrum VII., ſequentibus verbis; Ibi: „ Vix Pontifica- „ tu inito, ut fragrantiſſimi amoris tui erga Deiparam Vir- „ ginem ſignum aliquod explicares; cum nonnulli, vi de- „ creti nunquam publicati, & a Sede Apoſtolica nunquam „ approbati, *titulum Immaculatæ Conceptionis* in typis o- „ mnino proſcriptum eſſe vellent; & hanc patrum noſtro- „ rum vocem, in libris edendis, exarari deinceps non poſ- „ ſe contenderent. Tu, ne vocis hujus *Immaculatæ* elo- „ gium, *Conceptioni* B. V., poſthæc in typo denegaretur, „ ordinatione tua, ſumma cum omnium gratulatione, ef- „ feciſti; & ſcandalum, quo Fideles ex hujus tituli, ubi- „ que ab omnibus decantatiſſimi, denegatione afficiebaa- „ tur, imperio tuo, e medio ſublatum eſſe voluiſti. Suſti- „ neri enim nullo pacto poſſe judicaſti, a Chriſtifidelibus „ adhiberi amplius non poſſe titulum illum, quem Sixtus „ IV. Pontifex Maximus, in Extravaganti ſecunda adhi- „ buit; quem Concilium Tridentinum, quem Alexander „ VI., quem Paulus V., quem Gregorius XV., ejuſdem „ Sixti Conſtitutionem confirmantes, & approbantes, re- „ tinendum eſſe cenſuerunt; & quem innumeri fere Scri- „ ptores Eccleſiaſtici, doctrina, & ſanctitate illuſtres, in „ ſuis operibus, & omnes fere Chriſtiani Orbis Academiæ „ in ſuis juramentis, jam a multis ſæculis libere ſemper „ uſurparunt; præſertim *cum prorſus inintelligibile* iis qui „ ſapiunt, & tibi omnium ſapientiſſimo *videretur*, poſſe „ ſcribi, *Beatam Virginem ſine Originali macula fuiſſe* „ *conceptam:* & quod idem omnino eſt, ſcilicet: *Conce-*

„ *ptio-*

„ *ptionem B. Virginis fuiſſe Immaculatam*, non poſſe lit-
„ terarum monumentis conſignari.„

114. Paucis vero elapſis menſibus, die videlicet 28. Octobris 1655., in Sacra, & Univerſali Sancti Officii Congregatione lectum fuit quoddam Memoriale Confratrum Immaculatæ Conceptionis Faventiæ, petentium, in Feſto Sanctiſſimæ Conceptionis, ſibi permitti impreſſionem quarumdam Compoſitionum metricarum, *ut ſolitum erat quotannis*, *cum titulo Immaculatæ* in eodem Feſto permitti. Ex quo apparet, nil aliud tunc eos petiiſſe, niſi quod *ſervaretur ſolitum*, quodque nihil ſuper hoc, in Myſterii præjudicium innovaretur. Unde Alexander VII. Reverendiſſimo Patri Sancti Officii Commiſſario præcepit, ut Faventiæ Inquiſitori, Ordinis Prædicatorum, juxta petita ſcriberet, prout fecit die 6. Decembris ejusdem anni. *Sum. num.* 12. In hac autem Epiſtola quædam attentione digna videntur, quæ Relationem a Patre Loſſada, & a Patre Maraccio mox peractam, totaliter comprobant. Primo enim dictus Reverendiſſimus Commiſſarius Inquiſitori Faventiæ præcipit, ut quaſcumque Scripturas typis mandari permittat *cum titulo Immaculatæ Conceptionis*; quia, inquit, *ſic practicatur Romæ*, & in aliis Civitatibus, *quæ ſuper hoc puncto recurſum fecerunt*. Aliam deinde affert rationem, a Patre Maraccio ad litteram relatam; quod cum ab omnibus typis mandari permittatur, Beatiſſimam Virginem *ſine peccato Originali fuiſſe conceptam*; nullus debet, imo nec prudenter prohibere poteſt, ne imprimatur *Immaculata Conceptio*; ſiquidem Conceptio *Immaculata*, & Conceptio *ſine peccato Originali* idem omnino ſignificant, nec differunt niſi *ſicut implicitum*, & *explicitum*, *ſicut definitum*, & *definitio*; unde *ridiculum* videretur, *unum* permittere, & *aliud* prohibere; ſicuti foret permittere, quod Petrus ſit, vel vocetur *Animal ratio-*

tionale; & prohibere ne ſit, vel dicatur *Homo*. Plura ſine dubio adjunxiſſet idem Reverendiſſimus, ſi emanatam vidiſſet Alexandri VII. Conſtitutionem: *Sollicitudo*, in qua toties replicatur præſervatio *B. M. V. a peccato Originali in primo inſtanti Creationis ſuæ Animæ, & infuſionis ejus in Corpus*; & *Cultus*, ſecundum eamdem piam ſententiam, *in Eccleſia Romana*, Conceptioni *exhibitus*, & nunquam immutatus. Si enim *Conceptio Immaculata*, & *Conceptio ſine Peccato Originali* idem ſunt; idem erunt pariter *Conceptio Immaculata*, & *Præſervatio B. M. V. a Peccato Originali in primo inſtanti Creationis ſuæ Animæ*; idem erunt Cultus ab Eccleſia Romana dictæ *Præſervationi* exhibitus, & Cultus ab eadem Eccleſia *Immaculatæ Conceptioni* præſtitus.

125. Nulla, vivente Alexandro VII., ſuper hoc articulo inſurrexit alia difficultas. Imo, ut verificaretur, *quod Sacri Myſterii veneratio contradictionibus crevit, & Palmæ ad inſtar, quo violentius oppreſſum eſt, vehementius aſſurrexit*; *ſupra* §. 54.; varia expedita tunc fuere Brevia pro Confraternitatum erectionibus, cum titulo, vel *Immaculatæ*, vel *puriſſimæ Conceptionis*; *Sum. num.* 13.; prout etiam a quibuſdam aliis Pontificibus deinde fuere conceſſa. *Ibidem lit. A.*, ubi major dictorum Brevium numerus forſan reperiretur, ſi inimicus homo Regeſtum, a die 27. Julii 1686., uſque ad 1. Februarii 1691. emanata Confraternitatum Brevia continens, e Brevium Archivo non abripuiſſet. Varia expedita pariter fuere a Sac. Rit. Congregatione Decretà, cum eadem *Immaculatæ Conceptionis* expreſſione, *lit. B.* Cumque Clemens IX. Patribus Societatis Jeſu, anno 1667. per Apoſtolicas Litteras conceſſiſſet, ut Officium Conceptionis ſub Ritu Duplici ſecundæ Claſſis cum Octava recitare poſſent; illud, ejuſque Octavam, ſeparatim a Breviario, *cum titulo Immaculatæ Conceptionis*, typis

mandari in Urbe curarunt. *Ibid. lit. C.*, optime agnoſcentes, recitari non poſſe in Eccleſia *Maculatæ* Conceptionis Officium.

116. Silentio prætermitti non debet Conſtitutio Alexandri VII. = *Ad Paſtoralis dignitatis faſtigium* = (de qua infra §. 189.) qua idem Pontifex in forma ſpecifica approbavit, confirmavit, & executioni mandari præcepit Statuta Congregationis Scholæ Chriſti, de ejus mandato, a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium Negotiis præpoſitâ, prius examinata, & confirmatione Apoſtolicâ digna judicata, in quibus cap. 19. habetur, quod recipiendus in ejuſmodi Congregatione ter primo dicere debeat: *Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum, & puriſſima Conceptio Dominæ noſtræ, ſine labe Peccati Originalis*; ac deinde *juret in manibus Obedientiæ*, id eſt Superioris, *defenſurum ſe* IMMACULATAM *Deiparæ Virginis abſque labe Originalis Peccati* CONCEPTIONEM. Et ulterius cap. 23. = *Quod Obedientia*, ſeu Superior, *in principio Scholæ dicat: Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum, & Fratres reſpondeant: Amen; ac poſtea adjungat: Et puriſſima Conceptio Dominæ noſtræ ſine labe Peccati Originalis; reſpondentibus pariter Fratribus: Amen*. Hæc autem Conſtitutio, in mox recenſitis circumſtantiis, eo fuit ſacro Myſterio favorabilior, quod prima extiterit, ſaltem quam invenerim, qua hujuſmodi JURAMENTA *Immaculatam defendendi Conceptionem*, Auctoritate Apoſtolica ſpecifice confirmata fuerint. Anno ſiquidem 1617. publicato Pauli V. Decreto, in Congregatione Sancti Officii die 31. Auguſti edito, quo fuit prohibitum, ne de cætero in quibuſcumque Actibus publicis ullus aſſerere auderet, Beatiſſimam Virginem cum Peccato Originali fuiſſe conceptam; Univerſitas Barchinonenſis, die 11. ſequentis Octobris, & 17. Novembris Statutum edidit, ac publicavit, quo præcipiebat, ut omnes

Do-

Doctores, Cathedratici, & Officiales juramentum præſtarent de nunquam impugnando, ſed ſemper defendendo, Beatiſſimam Virginem Mariam ſine Peccato Originali fuiſſe conceptam; & quod omnes qui Gradum Doctoratus, vel Baccalaureatus reciperent, aut Cathedras, vel Officia in Univerſitate obtinerent, idem Juramentum præſtare deberent; facultate data, & poteſtate Rectori Univerſitatis, ut quoslibet renitentes compelleret ad hujuſmodi Statuti inviolabilem obſervationem per propinarum, & ſtipendiorum privationem, ac Cathedrarum ſuſpenſionem, nec non & privationem. Huic autem Statuto ſeſe oppoſuerunt quidam Doctores, quorum nomine D. Raphael Riera, Eccleſiæ Barchinonenſis Canonicus, Sancti Thomæ Doctor, & ejuſdem antea in Barchinonenſi Univerſitate Interpres, ſa. mem. Paulo V. ſupplicavit, ut quid ſuper hac re faciendum exiſtimaret, declarare, & mandare dignaretur. Remiſſus fuit ſupplex Libellus Congregationi Sancti Officii; & die 5. Julii 1618. ſequens emanavit Reſcriptum videlicet = *Sanctiſſimus dixit Statutum videri conforme Decreto ultimo publicato a Sanctitate ſua circa Conceptionem Beatiſſimæ Virginis. Et ſi nemo inſtat pro reſponſione, nihil reſcribendum; ſin autem, Sanctitas ſua inclinat reſcribi Epiſcopo pro obſervantia Decreti*. In eo vero ſtatu res permanſit & executioni mandatum fuit Statutum; ſed nulla emanavit Conſtitutio, nullumque Decretum, expreſſe & poſitive illud confirmans. E contra vero pro confirmatione Statutorum Congregationis Scholæ Chriſti, emanavit, prævio examine peracto, Breve ſupra recenſitum; & erecta eſt Romæ eadem Congregatio in Eccleſia S. Ildephonſi Auguſtinianorum Diſcalceatorum, cujus Confratres, ab eo tempore uſque ad præſens, ſub oculis Summorum Pontificum, & totius Sacri Collegii, *Juramentum præſtant defendendi IMMACULATAM CONCEPTIONEM* B. M. V.,

Q 2 quod

quod eſt multo plus, quam typis dumtaxat dare eumdem titulum; eo magis quod Alexander VII. præcepit in ſua Conſtitutione executionem ſtatutorum dictæ Congregationis Scholæ Chriſti; ac proinde Fratres ejuſdem Congregationis *de mandato dicti Summi Pontificis* memoratum *emittunt Juramentum defendendi Immaculatam Conceptionem*.

ARTICULUS X.

De inſtantia facta Alexandro VII., pro obtinenda Conſtitutione, quæ incipit: Sollicitudo.

127. Piæ Sententiæ Adverſarii, in variis Libellis, *contra titulum Immaculatæ Conceptionis* exaratis, inſudaverant plurimum ut probarent, Verbum: *Conceptio*: quod, ante Gregorii XV. Decretum, idem ſignificabat ac *Immaculata Conceptio*, iis videlicet temporibus, quibus *ipſi* (verba ſunt prioris eorum Libelli, in Armamentario Seraphico refutati) *ad fugiendam omnem æquivocationem, & melius propriam ſententiam explicandam, utebantur voce* Sanctificationis, *& cavebant a nomine* Conceptionis; *quaſi idem importaret Conceptio, & Immaculata Conceptio*; Emanato tamen memorato Decreto, æquivocum evaſiſſe illud idem nomen, & non amplius piæ Sententiæ eſſe proteſtativum, ſed Conceptionem ſignificare pro eo inſtanti, quo fuit Sancta, videlicet pro primo, ſi præſervata; pro ſecundo vero, ſi a peccato contracto mundata fuerit: *Neceſſario dicendum eſt*, (§. 25. poſterioris eorum Libelli, in eodem Armamentario) *Sanctitatem Conceptionis B. Virginis, quæ colitur in Eccleſia Catholica, & juxta ſenſum Eccleſiæ Catholicæ, non eſſe illam, quam aliqui in primo inſtanti ponunt; nec illam, quæ ab aliis ponitur in ſecundo inſtanti; quia utrumque dubium, & opinabile eſt, & a parte*

rei

Digitized by Google

rei aliter ſe habere poteſt, ſed eſt illa Sanctitas pro inſtanti illo, quo vere fuit Sancta.

128. Econtra vero Armamentarium Seraphicum, Matriti anno 1649., contra duos illos Libellos editum, contrarium totis viribus adſtruebat. *Unicam hanc veritatem probare*, (inquiunt dicti Operis Auctores in Præfatione, ſeu Monito ad Univerſitates, & Theologos) *confirmare, ſuadere volumus, nomine Conceptionis, Sanctitatem B. Virginis in primo animationis inſtanti, Fidelibus colendam proponi. Hoc Pontificiæ Conſtitutiones ſtatuunt, Eccleſiæ ſuſcipiunt, Univerſitates docent, Reges, & Provinciæ ſtatuunt, Populus amplectitur, magni cum parvis vovent, & jurant.* Et col. 55. = *Articulo ſecundo, totius cauſæ cardo, & robur continetur, & ejus principalis concluſio eſt; Cultum, quem Eccleſia ſolemniter defert Conceptioni B. Virginis, modo, & ſemper dicatum eſſe Gratiæ, & Sanctitati præſervativæ a peccato Originali, ipſius Animæ infuſæ in primo inſtanti creationis, & unionis ad corpus &c. In eodem ſenſu, quo Doctores omnes, nemine diſſentiente, intellexerunt Immaculatam Beatiſſimæ Virginis Conceptionem, Eccleſia Catholica illam ſolemni Feſto celebrat, Indulgentiis, & omni gratiarum genere proſequitur, ubique colens, & prædicans præſervationem ejuſdem B. Virginis a peccato originali, & Sanctitatem in primo inſtanti animationis.* Et col. 365. = *De Conceptione B. Virginis, non eſt apud FF. Minores ſpeciale Feſtum, ſed Officium tantum. Id enim celebramus, quod tota Catholica Eccleſia, quamvis ſub diverſa Officii formula . . . Itaque aſſerimus, in Eccleſia eſſe legitimam conſuetudinem celebrandi ſolemni Feſto præſervationem Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Dei a peccato Originali. Hoc confidentiſſime pronunciamus.*

129. De his omnibus recentiſſima, etiam extra Hiſpaniam, habebant argumenta Seraphici Armamentarii Aucto-

ctores. Anno enim 1646. die 25. Martii, Sereniſſimus Luſitaniæ Rex Joannes, concurrentibus unanimiter cum eo generalibus Regni Comitiis, Votum emiſerat tenendi, & tuendi *etiam uſque ad ſanguinis effuſionem, ſi neceſſe foret*, præſervationem B. M. V. ab Originali peccato, *Summ. num.* 14., eo præſertim innixus fundamento, quod *Sancta Romana Eccleſia Sanctiſſimam, & Immaculatam ejus Conceptionem celebrabat*. Cui Regio Diplomati, inquit Pater Sebaſtianus Novaes, *Lilium inter Spinas, pag.* 256., omnes Luſitaniæ Cathedrales ſubſcripſere, præeunte Metropolitana Ulyſſiponenſi. Similiter anno 1647. die 18. Maji, Ferdinandus III. Imperator in manibus Viennenſis Epiſcopi voverat, ac Deo promiſerat, *Immaculatæ Conceptionis Feſtum* ſolemniter, etiam quo ad forum, quotannis, prævio jejunio in ejuſdem pervigilio, in ſuis Auſtriæ Dominiis celebrandum fore. *Ibidem litt. A.*

130. Tot, in Hiſpaniis præſertim, orta ſunt diſſidia, & ſcandala, occaſione iſtius ab Adverſariis ſuſcitatæ novitatis, ut Sereniſſimus Philippus IV. ſpecialem ad Alexandrum VII. deputaverit Oratorem, ſuam exorans Sanctitatem, ut declarare dignaretur, quid celebraret, quidve coleret Sancta Romana Eccleſia; quid ubique terrarum colerent Chriſtifideles. An Sanctificationem ſolummodo Beatiſſimæ Virginis, licet ſub nomine Conceptionis, ut quidam publicabant? An Conceptionis Sanctitatem, pro eo inſtanti, quo revera fuit Sancta, præſcindendo videlicet a primo, & a ſecundo, prout ſuſtinebant Libellorum Auctores? An tandem Præſervationem B. Virginis a peccato Originali in primo ſuæ creationis, & animationis inſtanti, ut ſupponebatur in omnibus Hiſpaniarum Dominiis, & ut demonſtrabant Armamentarii Seraphici Auctores? Quid autem declaraverit Alexander VII., inferius videbitur in ejus Conſtitutione, quæ ad litteram compacta apparet ex

ipſiſmet

ipſiſmet propoſitionibus, quas præfati Operis Auctores, contra piæ ſententiæ Adverſarios, adſtruere ſibi aſſumpſerant.

ARTICULUS XI.

De quibuſdam rebus, pro faciliori intelligentia Conſtitutionis Alexandri VII. inſervientibus.

131. IN Archivo Ghiſiano, duo extant Codices, *num.* 120. & 121. ſignati, in quibus plurima habentur Documenta, quæ, vel pro extenſione dictæ Conſtitutionis Alexandro VII. inſervierunt, vel ejuſdem extenſionis occaſione exarata fuerunt. Primo enim adſunt ibidem Conſtitutiones Summorum Pontificum Sixti IV. Alexandri VI. Pii V. Pauli V., & Gregorii XV., favore Conceptionis, emanatæ. Adeſt Auctoritas Sancti Franciſci Saleſii, *lib.* 2. *de amore Dei cap.* 6., declarantis, quomodo Salvator Mundi Sanctiſſimæ ſuæ Matri redemptionem præſervativam ſingulari privilegio applicuerit; nec non & alia Stephani, Archiepiſcopi Patrenſis, & Epiſcopi Torcellani, *Seſſ.* 10. *Concilii Lateranenſis ſub Leone X.*, dicentis, quod *Rex Magnus, ab initio, & ante ſæcula, terram Immaculatam præparaverit, in qua ædificaret ſibi Domum, & de qua glorioſe educeret Immaculatam Æternam Sponſam, Matrem juſtorum lætantem.* Adſunt pariter variæ aliæ Auctoritates, tum Sacræ Scripturæ, tum SS. Patrum, quæ ſparſim olim afferebantur, tam contra piam ſententiam, quam ipſius favore. A folio 37. ad 43., adſunt, ut ſupra dictum eſt, Tridentinorum Patrum Sententiæ de Conceptione B. Virginis, *ſumma fide, ac diligentia, ex originalibus Tridentini Concilii monumentis collectæ*; ibique, relatis quorumdam Concilii

cilii

Digitized by Google

cilii Patrum ſententiis, petentium, ut legerentur, & examinarentur Sixti IV. Conſtitutiones, quæ a Sacro Concilio innovabantur, ſubiungitur: *Deinde legerunt Extravagantes Sixti IV. circa ipſam Conceptionem. Primam quæ incipit*, Cum præcelſa; *Secundam quæ incipit:* Grave nimis; *& dimiſſa eſt Congregatio hora decima quinta.*

132. Foliis 79. 257. 272. 278. 283. 327., & 336. adſunt ſeptem formulæ diverſæ, ſeu ſeptem exemplaria, quæ minutas vocant, ſpatio octo menſium, tum ab ipſo Alexandro VII., tum, & de mandato ejus, a Patre Hilarione Rancati, Sanctæ Crucis in Hieruſalem Abbate exarata; antequam ad Conſtitutionis expeditionem deveniretur. A folio 247., ad 256. variæ Litteræ Alexandri VII. ad dictum Abbatem; & a folio 262. uſque ad finem, nec non & in Codice ſignato *num.* 121., variæ ejuſdem Abbatis ad eumdem Pontificem, ex quibus habetur, quod pro exaranda, & limanda dicta Conſtitutione plurimum ſimul inſudarunt.

133. Folio 220. adeſt ſupplex Libellus, nomine Catholici Regis, Alexandro VII. præſentatus, in quo, relatis omnibus, a Summis Pontificibus favore piæ Sententiæ, & Cultus ſecundum eam B. Virgini præſtiti peractis, ſic habetur, videlicet ,, His non obſtantibus, non deſie-
,, runt adverſæ ſententiæ Aſſertores, contra tot Apoſto-
,, licarum Conſtitutionum tenorem, multa in contrarium
,, verbis, & ſcriptis dicere, ex quibus gravia populorum
,, ſcandala orta ſunt, quorum omnium maximum, &
,, caput eſt *moderna aſſertio* aliquorum dicentium, *San-*
,, *ctam Romanam Eccleſiam* non exhibere Cultum, *nec ce-*
,, *lebrare Feſtum Conceptionis Immaculatæ*, in eo ſenſu,
,, in quo Hiſpaniarum Eccleſiæ, a temporibus Sixti IV.
,, celebrant, atque a Sancta Romana Eccleſia celebra-
,, tum, & inſtitutum credunt, *nempe Sanctitatis Virginis*

„ *in primo inſtanti infuſionis Animæ, ſeu præſervationis a*
„ *peccato Originali*; temere aſſerendo, ſuper hoc a San-
„ cta Romana Eccleſia Decretum, ſeu Bullam contra
„ prædictum ſenſum ſub ſan. mem. Innocentio X. ema-
„ naſſe. „

134. Varia poſtea enumerat, in Hiſpania, ſuper hac materia, ſcandaloſe perpetrata, & concludit: „ Quibus
„ proinde permotus, dictiſque malis occurri cupiens Rex
„ Catholicus... ad S. V. recurrit, ac ſupplicat, ut tot
„ ſuorum Prædeceſſorum veſtigiis inhærendo... his ma-
„ lis opportunum remedium adhibere dignetur; hanc mo-
„ dernam aſſertionem repellendo, & *declarando*, *Feſtum*,
„ *ſeu Cultum Conceptionis*, *a Sancta Romana Eccleſia*,
„ & dictis Pontificibus *inſtitutum*, & approbatum, *cele-*
„ *brari in laudem*, & *honorem Virginis*, *in primo inſtan-*
„ *ti animationis* a peccato Originali *præſervatæ*. „

135. Sub Innocentii X. Pontificatu, Aſſeſſoris Sancti Officii munus exercuerat Illuſtriſſimus Albitius, inter Cardinales deinde, anno 1654. ab eodem Pontifice cooptatus. Omnes contrectaverat, ac ſedulo examinaverat Scripturas, ſacro huic Tribunali, ſpatio plurium annorum, tam contra titulum Immaculatæ Conceptionis, quam ipſius favore, & ſuper Cultu, eidem Myſterio exhibito, præſentatas. Congregationibus intervenerat, in quibus eadem materia agitata, & diſcuſſa fuerat; ac proinde plenam, & perfectam de omnibus conſecutus fuerat notitiam. Ipſius præſertim Votum, ſuper Catholici Regis inſtantia, exquiſivit Alexander VII., quod *fol.* 126., *ac ſeq. Ghiſiani Codicis*, per extenſum, imo & autographum reperitur.

136. In eo autem refert, qualiter nomine Regis Catholici petitum fuerit, ut Sanctitas ſua ad removenda ſcandala declaret, *Sanctam Romanam Eccleſiam Feſtum* Con-

R ceptio-

ceptionis *in eo ſenſu celebrare*, quo fuit a Sixto IV. inſtitutum, ſeu potius confirmatum, *hoc eſt*, *Feſtum Conceptionis Virginis*, *a peccato Originali præſervatæ*. Pariter refert, quod anno 1625. *hæc eadem inſtantia* ſan. mem. Urbano VIII., & *Congregationi Sancti Officii* a pluribus *facta fuerit*, *quodque* eadem Congregatio, *communi novem Eminentiſſimorum Cardinalium voto cenſuerit*, *rem eſſe adeo claram*, *ut declaratione non indigeret*; *quæ tamen declaratio fieri poſſet*, *quotieſcumque pro ea habenda perſiſteretur*. Quod, hoc non obſtante, facta tunc non fuerit illa declaratio, ob quaſdam difficultates, ſeu obiectiones, quæ Urbanum VIII. ab ea detinuerunt.

137. Quod hæc Cauſa, per plures annos ſilentii tenebris involuta, lucem de novo aſpicit, ob novas contentiones a piæ Sententiæ Adverſariis excitatas, qui inter alia, auſi ſunt, non ſolum ſermonibus, & colloquiis aſſerere, ſed etiam typis edere, *Verbum Conceptio*, quo utitur Sancta Mater Eccleſia in celebratione Feſti Conceptionis, *per Conſtitutionem Gregorii XV. reddi æquivocum*; cui malo, nec per Decreta Pauli V. & Gregorii XV. occurri poteſt; *cum hoc ſit novum inventum*, *& inde nova oriantur ſcandala*; ac propterea Philippum IV. penes Sanctitatem ſuam inſtare, ut huic malo, & hiſce ſcandalis occurrat, declarando, Sanctam Romanam Eccleſiam celebrare Feſtum Conceptionis, non quidem ſub nomine æquivoco, ſed ſub certo Conceptionis Immaculatæ. Cui petitioni cenſet idem Eminentiſſimus, annuendum eſſe, prout jam anno 1625. annuerat ipſamet Sancti Officii Congregatio. Ut autem hanc ſuam comprobet ſententiam, totus eſt in diluendis obiectionibus, quæ alias ſan. mem. Urbanum VIII. detinuerunt ab hac eadem declaratione facienda.

138. Primo ergo dubitavit Urbanus, ne declaratio, ſi fieret cum facultate aliter opinandi, contraria decerneret.

Pu-

Pugnantia enim inter ſe videntur, quod quis teneatur, in Miſſa, & Officiis Divinis Virginem a peccato Originali præſervatam colere, ac venerari; & ſimul facultatem habeat ſentiendi, eam in eodem peccato Originali conceptam fuiſſe.

139. Sed facilis eſt evaſio, inquit noſter Eminentiſſimus. Poteſt enim inſimul ſtare opinio ſpeculativa cum opinione contraria practica, ut docent omnes, qui de rebus moralibus ſcripſerunt; & ratio eſt, quia ſicut veritas ſpeculativa, & practica habent diverſa principia, ex quibus diverſæ deducuntur concluſiones; ita & opinio ſpeculativa ſemper perſeverare poteſt, practica vero pro diverſis temporibus, & circumſtantiis mutari. Poteſt igitur inſimul ſtare, quod Eccleſia declaret, Feſtum Conceptionis practice celebrari debere ſub titulo immaculatæ, & quod relinquat Fidelibus facultatem opinandi ſpeculative contrarium. Quod uno, vel altero probat exemplo, & etiam confirmat auctoritate Patris Franciſci de Aravjo, Ordinis Prædicatorum, aſſerentis, *quod mandatum de celebrando Feſtum Conceptionis Immaculatæ; opinionem contrariam tenentes non cogit ad mutandum judicium.*

140. Conſtantem autem, & invariabilem ſemper fuiſſe *Fidelium, & Eccleſiæ intentionem, & ſenſum celebrandi Feſtum Immaculatæ Conceptionis*, probat pariter idem Eminentiſſimus ex Epiſtola Divi Bernardi ad Lugdunenſes; ex Bartholomæo Brixienſi Epiſcopo, qui vixit ab anno 1227., uſque ad 1287., & Joanne Bacconio, qui uſque ad annum 1340. floruit. Tum ex Bulla Sixti IV. *Grave nimis*; & ex Auctoribus, præſertim Dominicanis, qui ſuper eadem materia ſcripſerunt. Oſtendit deinde, *ſenſum Romanæ Eccleſiæ*, in Cultu Conceptioni exhibendo, *per mutationem Officii, minime fuiſſe mutatum*; nec per Bullam Pii V. *Super ſpeculam*; nec per Decretum Gregorii XV.,

qui nullo modo ſignificationem vocis *Conceptio* immutavit. Tandem quarumdam aliarum minoris momenti obiectionum inſubſiſtentiam pariter demonſtrat.

141. Quando Conſtitutionis Exemplar extendebat Abbas Hilario, Alexander VII. non ſolum viva voce, ſed etiam in ſcriptis, ſuam ei aperiebat mentem, & voluntatem. *Volumus*, ſcribebat manu propria idem Pontifex, *in hac nova Conſtitutione, multa Adverſariis prohibere, eiſdem ab emanatis uſque nunc Litteris Apoſtolicis nondum prohibita, videlicet: Quod non poſſint Myſterium in dubium revocare, nec Nos a noſtra pacifica poſſeſſione deturbare; nec Conſtitutiones, ſavore Myſterii emanatas, in ſenſu diverſo interpretari ab eo qui a nobis explicatur* = „ Intendiamo proibire agli Avverſarii più coſe, che non hanno proibite loro le altre Coſtituzioni, e ſotto maggiori pene; e però V. Signoria può eſprimere queſte novità, *di revocare in dubbio il Miſterio*: il poſſeſſo noſtro: d' interpretare diverſamente le Coſtituzioni da queſto ſenſo &c. „ *Epiſt. Alex. VII. ad Abbat. Hilar. in Codice, fol.* 248. Et in alia ſimili, *fol.* 250. = „ Dalla penna di V. S. deſideraremmo un' altra ſorte di minuta, che può cavare dalla già fatta, che cominciaſſe con le parole della parte ſopra la pia Sentenza, ſpiegandovi il Miſterio chiaro, e le ultime oppoſizioni, e faſtidj inferiti da i Contrarj, non oſtante le proibizioni fatte loro; che ſeguiſſe la diſpoſizione noſtra, cioè che però per rimediare proibiamo, *che non ſi poſſi revocare in dubbio tale pia Sentenza, come ſopra ſpiegata*. „

142. Exaravit Abbas Hilario hanc novam Conſtitutionis formulam, juxta Exemplar, a Sanctitate ſua ſibi tranſmiſſum, ſed cum mutationibus ab eadem Sanctitate ſua indicatis, eamque communicavit variis tum Cardinalibus, tum Prælatis Congregationis Sancti Officii, qui omnes,

ſuas

ſuas ſuper eadem exararunt obſervationes, eaſque eidem Abbati conſignarunt, qui in ſcriptis ſuam ſuper omnibus aperuit mentem; & cuilibet obiectioni, & animadverſioni ſibi factæ reſponſum dedit, prout mox videbimus. His vero prænotatis, tranſeamus ad memoratæ Conſtitutionis expoſitionem.

ARTICULUS XII.

Analyſis Conſtitutionis Alexandri VII.

143. „ Sollicitudo omnium Eccleſiarum . . . . Sane „ vetus eſt Chriſtifidelium, erga ejus Beatiſſi„ mam Matrem pietas ſententium, ejus Animam in pri„ mo inſtanti creationis, atque infuſionis in Corpus, fuiſ„ ſe ſpeciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum „ Jeſu Chriſti ejus Filii, humani generis Redemptoris, a „ macula peccati Originalis præſervatam immunem; atque „ *in hoc ſenſu*, ejus Conceptionis Feſtivitatem ſolemni ri„ tu colentium, & celebrantium. „

144. Clara ſunt iſtius Paragraphi verba, nec ulla indigent explicatione. Hoc ſolum obſervari poteſt, quod in ultima Conſtitutionis formula, ab omnibus jam correcta, & limata, propria manu adjunxerit Alexander VII. illud verbum: *in Corpus*, quod hic, & infra ab aliis omiſſum fuerat. Cumque in eadem formula diceretur: *Intuitu meritorum paſſionis Jeſu Chriſti*; verbum: *paſſionis:* delevit, prout ibi videri poteſt in Codice *fol.* 79.; quædam etiam parvi momenti facta fuit alia mutatio in iſto Paragrapho, videnda in principio Reſponſionis Abbatis Hilarionis, *Sum. num.* 15. Quæ quidem Reſponſio clarior appareret, ſi objectiones, & animadverſiones, in ea refutatæ, per extenſum reperiri potuiſſent. Obſervandum eſt etiam, Conſtitu-

ſtitutionem hic loqui *de antiqua Fidelium pietate*, ante Sixti IV. tempora; & aſſerere, quod tunc temporis ſolemniter celebrabatur B. Virginis Conceptio, quodque in dicta Feſtivitate colebatur eadem Beatiſſima Virgo, *in primo inſtanti Creationis ſuæ Animæ*, & infuſionis ejus in Corpus, a macula peccati Originalis præſervata. De Feſtivitate, inquam, loquitur, de qua Elenchus Chronologicus, aliqualiter copioſus, videri poteſt in noſtro Summario *num.* 2.

Sequitur Textus Conſtitutionis.

145. „ Crevitque horum numerus, atque *hujuſmodi* „ *Cultus*, poſt editas a fel. rec. Sixto PP. IV., Prædeceſ- „ ſore noſtro, *in ejus commendationem*, Apoſtolicas Con- „ ſtitutiones, *quas* Sacrum Concilium Tridentinum inno- „ vavit, atque obſervari mandavit. „

146. In hoc ſecundo Paragrapho declarat ſummus Pontifex, Sixtum IV. ſuas edidiſſe Conſtitutiones, *in commendationem Cultus*, qui a Chriſtifidelibus Beatiſſimæ Virgini antiquitus exhibebatur, in primo Creationis inſtanti a peccato Originali præſervatæ; & Concilium Tridentinum eaſdem innovaſſe Conſtitutiones. Quibuſdam illa diſplicebant verba: *In ejus commendationem*. Sed reſpondit Abbas Hilario, quod licet Conſtitutio: *Grave nimis:* in commendationem dicti Cultus directe non emanaverit; hoc tamen negari non poteſt de alia, quæ incipit. *Cum præcelſa*. Unde cum Concilium Tridentinum ambas innovaverit, & executioni mandari præceperit; ſemper verificatur, quod Conſtitutiones Sixti IV., a Concilio Tridentino innovatæ, *in commendationem memorati Cultus* emanaverint. *Ibidem litt. A.* Jam ſupra §. 90. probatum eſt, recenſitas ambas Sixti IV. Conſtitutiones a Tridenti-

no

no Concilio innovatas fuiſſe, non ſecundam dumtaxat, prout aliqui prætendunt. Tria igitur in iſto brevi Paragrapho habemus, nempe Sixtum IV. ſuas edidiſſe Conſtitutiones *in commendationem Cultus* qui, jam ab antiquo tempore, Beatiſſimæ Virgini a Peccato Originali præſervatæ *in primo inſtanti* Creationis ſuæ Animæ, a Chriſtifidelibus tribuebatur: Hujuſmodi Cultum editis eiſdem Conſtitutionibus creviſſe; easque a Sacro Tridentino Concilio innovatas, & obſervari mandatas fuiſſe.

Textus Conſtitutionis

147. „ Aucta rurſus & propagata fuit pietas hæc, & „ *Cultus* erga Deiparam, *poſt erecta*, hoc nomine, ap- „ probantibus Romanis Pontificibus, *Religioſum Ordinem*, „ & Confraternitates, ac conceſſas ab iiſdem Indulgentias; „ ita ut, accedentibus quoque pleriſque celebrioribus „ Academiis ad hanc Sententiam, jam fere omnes Ca- „ tholici eam complectantur. „

148. Si, tempore Alexandri VII., *omnes fere Catholici* piam complectebantur Sententiam; legitime infertur, teſte eodem Summo Pontifice, quod *nullus fere* Catholicus tunc remaneret contrariæ Sectator. Quantum autem ponderis habeat omnium *fore* Catholicorum unanimis conſenſus, nemo eſt qui ignoret. Audiamus D. Hieronymum in Dialogo adverſus Luciferianos: *ſi Eccleſiam*, inquit, *per totum Orbem diffuſam non habet Chriſtus: aut ſi in Sardinia tantum habet; nimium pauper factus eſt*. Audiamus D. Auguſtinum in Epiſt. ad Evodium cap. 3. num. 6. de iis agentem, quos Chriſtus, ad Inferos deſcendens, a doloribus Inferni ſolvit: *Et de illo quidem*, inquit, *primo Homine, Patre Generis Humani, quod eum inde ſolverit, Eccleſia* FERE *tota conſentit; quod eum non* ina-

Digitized by Google

inaniter crediſiſſe credendum eſt, undecumque hoc traditum ſit; etſi Canonicarum Scripturarum hinc expreſſa non proferatur auctoritas. Et Epiſt. 39. qu. 5. = *Multa in Scripturis Sacris interpretandis dici poſſunt, quæ improbanda non ſunt; ſed eligo in his verbis hoc eligere, quod* OMNIS, VEL FERE OMNIS *frequentat Eccleſia.* Videantur etiam duæ S. Bernardi Epiſtolæ, videlicet 126. ad Epiſcopos Aquitaniæ, & 127. ad Guillelmum Pictavorum Comitem, quibus demonſtrabat *ex unanimi totius* FERE *Eccleſiæ conſenſu*, Innocentium II. tamquam legitimum Pontificem eſſe recipiendum; Anacletum vero, Petrum Leonis antea dictum, veluti Antipapam eſſe abiiciendum. In prima Epiſtola, habita eorum mentione, qui Innocentium ſequebantur, de paucis Anacleti Sectatoribus ait = *Et tamen adhuc iſti, neſcio qua contentioſa importunitate, & importuna contentione reclamant, vocant in cauſam Orbem, & cum ſua Paucitate Univerſitatem flagitant judicari.* In ſecunda vero ſic eos alloquitur = *Miror, quanam verſutia, modo veſtra illa prudentia circumventa fuerit; eamdem Matrem veſtram, & Dominam* (Eccleſiam) *deſerere; niſi forte & hoc vobis veſtri illi Conſiliarii perſuadere conentur, ad ſolam Petri Leonis Domum, Univerſalem Eccleſiam redactam eſſe.* Unde concludit: *Tutius proinde vobis eſt, ut ab Univerſitatis conſenſu, & conſilio non recedatis. Quem omnis Religio, quem Regum Univerſitas receperunt, Vobis quoque & honorificum, & ſalutiferum eſt ut recipiatis.* Quæ omnia Cauſæ, de qua agitur, jure, ac merito applicari poſſunt; præſertim cum pietas, & devotio erga immaculatam Conceptionem, a tempore Alexandri VII. quamplurimum adhuc creverit, prout infra videbimus. In Bullario Romano, anno 1672. Romæ edito, legitur: *poſt erecta... Monaſteria Religioſorum Ordinum;* ſed in Conſtitutione, quæ fuit typis mandata, &

Ro-

Romæ publicata anno 1661., & in memorata formula, propria Alexandri VII. manu quibuſdam in locis correcta, habetur: *poſt erecta ... Religioſum Ordinem, & Confraternitates*, conformiter ad mentem Abbatis Hilarionis. *Ibidem litt. B.* De cætero ſi Religioſus Ordo, & Confraternitates erecta non fuiſſent in honorem BB. Virginis, a Peccato Originali præſervatæ: ſi indulgentiæ in ejuſdem honorem conceſſæ non fuiſſent; nullimode anſam præbere poterant, & motivum adaugendi, & propagandi hujuſmodi pietatem, & Cultum.

Textus Conſtitutionis.

149. „ Et quia ex occaſione contrariæ aſſertionis ... „ *Oriebantur in Populo Chriſtiano, cum magna Dei offen-* „ *ſa, ſcandala, jurgia, & diſſenſiones*; fel. mem. PP. „ Paulus V., etiam Prædeceſſor noſter, vetuit, horum „ opinionem, præfatæ ſententiæ contrariam, publice do- „ ceri, aut prædicari; quam prohibitionem, piæ mem. „ Gregorius PP. XV., ſimiliter Prædeceſſor noſter, ad „ privata etiam colloquia extendit; mandans inſuper, *in* „ *favorem ejuſdem Sententiæ*, ut in Sacroſancto Miſſæ Sa- „ crificio, ac divino Officio celebrandis, tam publice, „ quam privatim, non alio quam *Conceptionis* nomine „ uti quicumque debeant.„

150. Hic declarat Alexander VII., quod cum præcepit Gregorius XV., ut in Miſſa, ac Officiis Divinis celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio, quam *Conceptionis* nomine uti quicumque deberent; hoc *in favorem piæ Sententiæ* peregit, non vero ut prohiberet in Officiis Divinis titulum *Sanctæ*, vel *Immaculatæ* Conceptionis, prout quidam tunc ſomniaverant. Alias prohibuiſſet, Conceptionem, in Breviario Romano, nun-

cupari *Sanctam*, aut *digniſſimam*; & ſicuti inclytus Prædicatorum Ordo (qui tunc, vi præfati Gregorii XV. Decreti, abſtinere debuit a recitatione Officii *Sanctificationis*) in Conceptionis Officio, quod illius loco ſubrogavit, vel non dixit Reſponſorium: *Felix namque es, Sacra Virgo Maria*; ut videri poteſt in ejuſdem Ordinis Breviariis annis 1639., & 1702. typis editis; vel ſi recitavit, & recitat illud, in eo & cantavit, & cantat: *Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam Conceptionem*; ut legitur in aliis ejus Breviariis, annis 1672., 1699., & 1732. impreſſis; (duo præ manibus habentur, nempe 1639., & 1672., alia vero tria reperiuntur in Bibliotheca Minervæ.) Ita univerſalis Eccleſia idem Reſponſorium mutare debuiſſet, non autem dicere, prout dicit: *Quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem*. Iſtud autem cantat Sancta Romana Eccleſia, quia ſic ei præcepit Pius V. in ordinatione novi Breviarii Romani; & cum Alexandro VII., mentem Gregorii XV. optime novit; ac ulterius, *Sanctitatem Conceptionis*, non *ſoli Chriſto* tribuit, ut §. 101. viſum eſt, ſed etiam *Beatiſſimæ Virgini Mariæ*. Non prohibuit igitur Gregorius XV. devota, & laudabilia epitheta, verbo *Conceptionis*, a Pio V. appoſita; nec alia, a *Sancta Romana Eccleſia* in Officio *Sicut Lilium* ordinata, & a Concilio Tridentino, tum per recitationem dicti Officii, & Miſſæ *Egredimini*, tum per Conſtitutionum Sixti IV. innovationem recepta, & approbata; nec præcepit, ut in Divinis Officiis *nudo* Conceptionis *nomine*, ſed ſolum ut *non* alio quam *Conceptionis* nomine quicumque uti deberent; & hoc ad prohibendum *favore piæ Sententiæ*, ne amplius recitaretur *Sanctificationis* Officium; prout videri poteſt §. 110. Similiter idem Gregorius mandans, *ut in Divinis Officiis non alio quam Conceptionis nomine uti quicum-*

que

que deberent, non mutavit ſignificationem vocis *Conceptio*, nec illam, *favore Sententiæ contrariæ* æquivocam reddidit; ſed eodem prorſus modo, eodem ſenſu, & iiſdem terminis, quibus anno 1439. idem mandaverant Baſileenſes Patres; omnibus *in favorem* præciſe *piæ Sententiæ* præcepit, ut in Divinis Officiis non alio, quam illo *Conceptionis* nomine uterentur. *Videantur ſupra* §. 110. & 111.

Textus Conſtitutionis.

151. „ Nihilominus .... pergunt aliqui contrariæ illius opinionis Aſſertores, contra præfatas prohibitiones, „ tum privatim, tum publice præfatam Sententiam aut „ impugnare, aut vellicare, & *favorem a Romanis Pontificibus*, *Cultui*, & *Feſto ſecundum illam præſtitum* ita „ interpretari, ut fruſtrentur: imo *Eccleſiam Romanam* „ huic Sententiæ, & *Cultui juxta illam B. Virgini exhibito* „ *favere negant*; Pios Chriſtifideles e ſua pacifica quaſi „ poſſeſſione deturbare conando; unde offenſiones, ſcandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. „ & Gregorius XV. noſtri Prædeceſſores, perdurant adhuc &c. „

152. In iſto Paragrapho reſpuebant aliqui iſta verba: *Pios Chriſtifideles a ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando:* tum quia hæc verba: *pacifica poſſeſſio:* inſtrumento magis Notarii, quam Bullæ Pontificiæ convenire videbantur; tum & præſertim, quia poſſeſſio non videbatur fuiſſe pacifica, attento quod Patres Dominicani, & alii Viri eruditi contrariam tenuerant, & tenebant opinionem. Ad hoc autem ultimum reſpondet Abbas, diſtinguendam eſſe veritatem, aut probabilitatem piæ Sententiæ, a Feſtivitate Conceptionis, quam celebrat Eccleſia Romana. De prima quæſtione, inquit, hic non agitur,

 ſed

ſed de ſecunda dumtaxat. Et loquendo de Conceptionis Feſtivitate, quam celebrat Eccleſia, declarat Conſtitutio, pios Chriſtifideles eſſe *in poſſeſſione pacifica intentionis Eccleſiæ relate ad hunc Cultum*, videlicet, *quod ipſa ſemper coluit, & colit, ac venerat B. Virginem, a peccato Originali in primo inſtanti præſervatam immunem*; prout, cohærenter ad Sixti IV. Conſtitutiones, adeo clarum viſum fuit Sancti Officii Congregationi coram Urbano VIII. habitæ, ut *ab omnibus unanimiter* pronuntiatum fuerit, dictas Conſtitutiones, ſuper hoc puncto, declaratione non indigere.

153. Nunc vero, ſubdit idem Abbas, Patres Dominicani, poſt emanatum Gregorii XV. Decretum, ex improviſo dixerunt, clarum non haberi in dictis Sixti IV. Conſtitutionibus, quod Eccleſia Romana Feſtum celebraverit, aut celebret juxta piam Sententiam; ſed illud in eo ſenſu celebrare, qui indifferenter tam piæ Sententiæ, quam oppoſitæ adaptari poteſt; quod ſic probant: Gregorius XV. Dominicanis præcepit, ut, ſub nomine *Conceptionis*, Feſtum illud celebrent, prout ab Eccleſia celebratur; & nihilominus eis non præcepit, ut a propria opinione inpoſterum abſtinerent. Cenſuit igitur dictus Pontifex, verbum *Conceptionis* indifferenter adhiberi poſſe a Feſtum celebrantibus, tam juxta piam Sententiam, quam juxta oppoſitam. Et ideo licet Eccleſia, in Divinis Officiis, verbo *Conceptionis* utatur, non inde inferri poteſt, quod ipſa Feſtum celebret juxta piam Sententiam.

154. Hoc argumento, proſequitur Abbas, *cujus fallacia in aliis ſcripturis fuit demonſtrata*, uſi ſunt Dominicani a tempore Gregorii XV., ut pios Chriſtifideles *a pacifica* deturbarent *poſſeſſione*, in qua erant, *mentis & intentionis Eccleſiæ* in colenda B. Virgine, a peccato Originali præſervata; & de hac poſſeſſione loquitur Conſtitutio, omnibuſque prohibet, ne Chriſtifideles ab ea deturbent. *Ibidem lit. D.*

litt. D. De hac autem pacifica poſſeſſione pluries cum Sanctiſſimo tractaverat Abbas Hilario, & ſupra vidimus, §. 141., Alexandri Epiſtolam, eidem dicentis: =„ Multa „ Adverſariis nondum prohibita, prohibere volumus, vi„ delicet, *quod non poſſint* Myſterium in *dubium revocare*, „ nec *noſtram poſſeſſionem*.„ Præterea in folio 312. Codicis, adeſt Epiſtola ejuſdem Abbatis ad Alexandrum VII., ipſi indicantis, cur in Conſtitutionis Formula appoſitum fuerat: *nunquam immutato:* de quo in ſequenti Paragrapho; quæ quidem Epiſtola ſenſum verborum: *pacifica poſſeſſio:* omnino, ut ſequitur, dilucidat: „ Beatiſſimo Padre: „ In eſecuzione ubbidiente de' cenni della Santità Voſtra, „ mando la minuta, ſteſa per infino al *Datum Romæ*.... „ Nella minuta mandata dalla Santità Voſtra, non ſi è „ mutato, ſe non in qualche parte l'ordine &c. *Non im*„ *mutato:* Queſto Monſignore dice, che va conforme *al* „ *manutenere, & tueri in pacifica quaſi poſſeſſione*, che „ Voſtra Santità ha ſempre coſtantemente avuto in boc„ ca; *e non ſi direbbe con verità, ſe la Chieſa Romana*, „ doppo la Coſtituzione di Siſto IV., apportata di ſopra, „ *aveſſe mutato la Feſta, ed il Culto*; il che anco *darebbe* „ *nota di inſtabilità, e di leggierezza alla ſuddetta Chieſa* „ *&c.*„ De hoc igitur negotio unice erat quæſtio, videlicet, utrum Eccleſia Catholica, in Conceptionis Feſto, & per nomen Conceptionis, Beatiſſimam Virginem veneraretur, in primo ſui creationis inſtanti præſervatam, prout communiter ſupponebant, & tenebant Chriſtifideles; an vero eamdem Virginem ſanctificatam, præſcindendo a tempore quo peracta fuerat Sanctificatio, prout aſſerebant Adverſarii; de quibus, ob hujuſmodi aſſertionem, conqueritur Summus Pontifex, *quod piam Sententiam aut impugnabant, aut vellicabant; & favorem a Romanis Pontificibus Cultui, & Feſto ſecundum illam præſtitum ita interpre-*

pretabantur, *ut fruſtrarentur*. Unde jure, ac merito dicebat Abbas Hilario, argumentum, quo utebantur Dominicani, eſſe fallaciâ infectum. Sic enim ad ſummum argumentari potuiſſent, nempe: Gregorius XV. Dominicanis præcepit, ut ſub nomine Conceptionis Feſtum illud celebrent prout ab Eccleſia celebratur, & prout a Patribus Baſileenſibus, & poſtea a Pio V. præceptum jam fuerat; & tamen eis non præcepit, ut a propria opinione inpoſterum abſtinerent; Cenſuit igitur dictus Pontifex, eis, ob aliquam cauſam, quæcumque illa ſit, indulgeri potuiſſe, ut interne, & inter ipſos ſuam Sententiam adhuc teneant, non obſtante quod Feſtum debeant celebrare juxta piam Sententiam, prout illud celebrat Eccleſia. *Videatur infra* §. 164.

Textus Conſtitutionis.

155. „ Nos conſiderantes, quod *Sancta Romana Ec-*
„ *cleſia* de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conce-
„ ptione Feſtum ſolemniter celebrat, & *ſpeciale*, *ac pro-*
„ *prium ſuper hoc Officium olim ordinavit* juxta piam, de-
„ votam, & laudabilem inſtitutionem, *quæ a Sixto IV.*
„ *Prædeceſſore noſtro tunc emanavit*; volenteſque laudabili
„ huic pietati, & devotioni, & Feſto, ac Cultui ſecun-
„ dum illam exhibito, in *Eccleſia Romana poſt ipſius Cul-*
„ *tus inſtitutionem nunquam immutato*, Romanorum Pon-
„ tificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplo favere; nec
„ non tueri pietatem, & devotionem hanc colendi, &
„ celebrandi Beatiſſimam Virginem, præveniente ſcilicet
„ Spiritus Sancti gratia, a peccato Originali præſervatam;
„ cupienteſque in Chriſti grege unitatem ſpiritus in vin-
„ culo pacis ... Conſtitutiones, & Decreta a Romanis
„ Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & præcipue a Sixto
„ IV. Paulo V., & Gregorio XV. *edita in favorem Sen-*

„ *ten-*

„ *tentiæ* aſſerentis, Animam B. V. M. in ſui Creatione,
„ & in Corpus infuſione, Spiritus Sancti gratia donatam,
„ & a peccato Originali præſervatam fuiſſe; *nec non &*
„ *in favorem Feſti, & Cultus* Conceptioni ejuſdem Virgi-
„ nis Deiparæ *ſecundum piam iſtam Sententiam*, ut præfer-
„ tur, *exhibiti*, innovamus, & ſub cenſuris, & pœnis,
„ in eiſdem Conſtitutionibus contentis, obſervari man-
„ damus. „

156. Notanda eſt quædam veluti concatenatio, quæ in iſto paragrapho reperitur. *Sancta Romana Eccleſia* ſolemniter celebrat Conceptionis Feſtum, & *ſpeciale ac proprium* pro eodem Feſto *olim ordinavit Officium*, in quo ipſa cantabat: *Immaculata Conceptio eſt hodie S. M. Virginis: Immaculatam Conceptionem V. Mariæ celebremus*; Chriſtum *ejus Præſervatorem* adoremus Dominum: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*; & ſimilia, *juxta piam, devotam, & laudabilem inſtitutionem*, quæ a Sixto IV. emanavit. *Volenſque* Summus Pontifex *Feſto* ac *Cultui*, ſecundum illam inſtitutionem, pietatem, ac devotionem, *Beatæ Virgini exhibito*, & *in Eccleſia Romana* non obſtante Officii mutatione, *nunquam immutato*, favere, *nec non tueri pietatem, & devotionem hanc colendi, & celebrandi*, in eadem Eccleſia, *Beatiſſimam Virginem a peccato Originali præſervatam*, ſicuti illam foverunt, & tuiti ſunt alii Summi Pontifices, ſui Prædeceſſores; innovat, & obſervari mandat Conſtitutiones, & Decreta, ſuper hac materia a Sixto IV. Paulo V. Gregorio XV. emanata, declaratque, *ea fuiſſe edita in favorem piæ Sententiæ, & Feſti, ac Cultus ſecundum eam Conceptioni* ejuſdem Virginis in Eccleſia *exhibiti*. Videatur, §. 128., quid ſuſtinebant Armamentarii Seraphici Auctores; & utrum eorum ſententia de verbo ad verbum inſerta, & confirmata reperiatur in præſenti Conſtitutione. Videatur etiam, §. 133. 134. 136.

136., & 137., quid a Summo Pontifice deſiderabat Sereniſſimus Rex Catholicus, & utrum, juxta petita ab eo, præſens Conſtitutio edita fuerit.

157. Iſta verba: *In Eccleſia Romana nunquam immutato:* a Conſtitutionis Exemplari, ſeu formula tolli prætendebant aliqui, ne ſpiritibus malignis, inquiebant, anſa præberetur, ſiniſtre interpretandi mutationem a Pio V. in Conceptionis Officio peractam. Ad hoc autem reſpondit Abbas Hilario: Imo *firmiter teneo*, inquit, *hæc verba* in Conſtitutionis formula *expreſſe fuiſſe appoſita*, *ut malignis tollatur occaſio publicandi*, *Eccleſiam adeo eſſe*, *&* *fuiſſe inſtabilem*, ut, celebrato, a tempore Sixti IV., Conceptionis Feſto iuxta piam Sententiam, *mutaverit* poſtea *Feſtivitatis obiectum*; quando videlicet Pius V. mutavit Officium. At ſicuti propria mutavit Officia SS. Dominici, & Benedicti, ac Viſitationis, & Præſentationis B. Virginis, abſque eo quod Cultum mutaret, vel Sanctitatis eorum, vel dictorum Myſteriorum; & e Calendario abſtulit Sanctum Rochum, nil tamen mutando de Eccleſiæ judicio circa ſanctitatem ejus in Concilio Conſtantienſi canonizatam; ita nec mutavit Conceptionis Cultum, quando præcepit, ut in dicta Feſtivitate recitaretur *Nativitatis Officium*, prout Revelatione Divina Abbati Elſino præceptum olim fuerat, cum in Anglia inſtituta fuit dicta Feſtivitas. Imo cum Doctor Angelicus 3. *part.* *qu.* 27. *art.* 2. dicat, *quod illa Sanctitas*, de qua Feſtum celebrat Eccleſia, *eſt omni ex parte Immaculata puritas*; ſemel ac in Conceptionis Officio, a Pio V. ordinato, eadem Eccleſia adeo clare dicit: *Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem:* ſicut dicit: *tuam Sanctam Nativitatem*; ad evidentiam ſequitur, quod eodem pariter modo per illud Officium, *Conceptionem* ſine peccato colit, quo ſine peccato *Nati-*

vita-

Digitized by Google

vitatem celebrat. *Ibidem litt. E.* Hic autem notandum eſt, quod, cum in ultimo Conſtitutionis Exemplari appoſitum fuiſſet: *ſecundum iſtam ſententiam, ut præfertur, exhibiti:* Alexander VII. propria manu adiunxerit: *piam*, prout ibidem videri poteſt in Codice *fol. 79.*, & 80. Idemque fecit paulo ſuperius in eodem paragrapho, ubi hodie legitur: *juxta* PIAM, *devotam, & laudabilem inſtitutionem*. Verbum enim *piam* ab iſtis duobus locis, in obſequium Dominorum Vizzani, & Hugolini, eraſum fuerat a dicto Exemplari.

Textus Conſtitutionis.

158. „ Et inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas „ Conſtitutiones, ſeu Decreta ita pergent interpretari, „ ut favores per illas dictæ Sententiæ, & Feſto, ſeu Cul- „ tui ſecundum illam exhibito fruſtrentur; vel qui hanc „ eamdem Sententiam, Feſtum, ſeu Cultum, in diſpu- „ tationem revocare, aut contra ea quoquo modo, di- „ recte, vel indirecte, aut ſub quovis prætextu... *ſcri-* „ *pto*, ſeu *voce loqui*, concionari, *tractare*, diſputare, „ *contra ea quidquam* determinando, aut *aſſerendo*; vel „ argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquen- „ do, aut *alio quovis excogitabili modo diſſerendo*, auſi „ fuerint; præter pœnas, & cenſuras &c.„

159. Non ſolum in iſto paragrapho, variis eos ſubiicit pœnis ſummus Pontifex, qui piam Sententiam, Feſtum, aut Cultum ſecundum eam, *in diſputationem revocaverint*; ſed eos etiam, qui contra ea *loqui*, aut *diſſerere* auſi fuerint; & inferius addit: *Non obſtantibus quibuſvis Indultis, & Litteris Apoſtolicis, quibuſvis perſonis quomodolibet conceſſis*. Obſervatum autem fuit, per hæc verba revocatum videri Gregorii XV. Indultum, quo

Ordinis Prædicatorum Patribus conceſſum fuerat, *ut de cætero in privatis eorum colloquiis, inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materia ejuſdem Conceptionis diſſerere, & tractare poſſent*; Unde inſtitum fuit, ut in Conſtitutione: *Sollicitudo:* aliqua de hoc Indulto fieret mentio. Sed reſpondit Abbas Hilario, quod forſan ſuæ Sanctitatis mens erat, eamdem poſtea per aliud ſpeciale Breve illis concedere gratiam, ſi pro ea de novo ſupplicarent. *Ibidem litt. C.*

Textus Conſtitutionis.

160. „ Ac Libros, in quibus *præfata Sententia, Feſtum, ſeu Cultus ſecundum illam, in dubium revocatur*, „ aut contra ea *quomodocumque*, ut ſupra, aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur, prohibemus ſub pœnis &c. & ipſo facto, abſque alia declaratione, pro expreſſe prohibitis haberi volumus, & mandamus. „

161. Poſtquam Summus Pontifex prohibuit, ne pia Sententia, & Cultus, ſecundum illam, Beatiſſimæ Virgini exhibitus, in *diſputationem* revocentur, aut contra ea *ſcripto*, ſeu *voce* ullus *loquatur*, *tractet*, aut *diſſerat*; ulterius nunc proſequitur, vetatque, ne eadem, ſcilicet tam pia Sententia, quam Cultus juxta illam exhibitus, *in dubium revocentur*. Hæc autem inhibitio, eo dignior eſt attentione, quod ante Conſtitutionis extenſionem, pluries, etiam in ſcriptis, ſuam ſuper eadem aperuerat mentem Summus Pontifex, prout ſupra videri poteſt in ejus Litteris, §. 141. citatis, & relatis. Verum eſt, quod in dictis ſuis Litteris expreſſe, & abſolute dicebat, *ſe prohibere velle, ne pia Sententia, ut ſupra explicata, in du-*

dubium revocari poſſet; quod tamen a Conſtitutionis Extenſoribus ſic nude, & poſitive appoſitum in ea non fuit; ſed alio modo, prohibendo videlicet Libros, *in quibus præfata Sententia, & Feſtum, ſeu Cultus ſecundum illam, in dubium revocantur*.

Textus Conſtitutionis.

162. „ Vetamus autem, Sixti IV. Conſtitutionibus „ inhærentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc, „ contrariam opinionem tenentes, videlicet, glorioſam „ Virginem Mariam cum Originali peccato fuiſſe con- „ ceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incur- „ rant; cum a Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede „ *nondum fuerit hoc deciſum*, prout Nos nunc minime „ decidere volumus, aut intendimus; quin potius, con- „ trariam illam opinionem, hæreſis, aut peccati morta- „ lis, aut impietatis damnare audentes; præter pœ- „ nas &c. „

163. Eaſdem pœnas, quibus eos ſubiecit, qui *ſcripto*, aut *voce*, in *diſputationem*, aut *in dubium revocaverint* tum *piam Sententiam*, tum & *Cultum*, *ſecundum eamdem*, Beatiſſimæ Virgini in Eccleſia *exhibitum*; eaſdem nunc eis infligit, qui opinionem contrariam, hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare auſi fuerint; vel aſſeruerint, quod eam tenentes, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant. Hoc enim a Sancta Sede nondum fuit deciſum, videlicet, utrum dictas mereantur notas, & cenſuras, qui contrariam tenent opinionem. Et hic notandum eſt, quod Summus Pontifex expreſſe, & poſitive, contrariam tenere Sententiam non permittit; ſed, data hypotheſi, quod aliqui eam interne teneant, cenſuras explicat, & deſignat, quibus affici non debent;

prout olim fecerat Sixtus IV. in ſua Conſtitutione: (*Grave nimis*). *Suadeo* (inquit P. Petrus Spinel, Ord. Prædicat. in Apolog. pro Immacul. Conceptione pag. 32.) *Suadeo noſtro Oppoſitori, ut integre conſideret illum terminum*, vetamus *Ss. Alexandri VII.*; *talis enim terminus ſolum cadit, & appellat, ut ſentientes infectionem B. V. non cernerentur hæretici, & peccare mortaliter*. Et pag. 56. = *Sed circa libertatem ſentiendi, conſiderandum eſt, quod hæc libertas ſola eſt circa non eſſe hæreticos, nec mortaliter peccare; non vero eſt libertas ad ſentiendum Conceptionem puram, licitam, ædificantem,... & oppoſitam, fidelibus non acceptam; in hoc enim non datur libertas, ſed neceſſitas*. Unam poſuerant clauſulam in ſuis reſpective Decretis Paulus V., & Gregorius XV., quæ in hac noſtra Conſtitutione appoſita non fuit, videlicet = *Per hoc tamen Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in præſenti Decreto diſpoſita*. De hac, inquam, clauſula, in præſenti Conſtitutione non fuit quæſtio.

164. Sequens tandem fuit propoſitum Dubium, videlicet = Utrum tenerentur omnes piam amplecti Sententiam, ſemel ac a Sanctitate ſua declaratum fuerit, Feſtum Conceptionis, ſecundum eamdem ſententiam, ab Eccleſia celebrari. Ad hoc vero fidenter, & abſolute reſpondet Abbas Hilario, *quod omnes celebrare tenebuntur dictam Feſtivitatem juxta eamdem piam Sententiam*; quilibet tamen tenere poterit, opinionem contrariam immunem eſſe ab omni nota hæreſis, peccati mortalis, & etiam impietatis, cum in Conſtitutione ſic diſpoſitum legatur. *Quod autem hæc duo*, ſubdit, *inter ſe ab invicem non pugnent, in aliis Scripturis probatum eſt*. = *Ibidem litt. F.*

165.

Digitized by Google

165. Peracta, ab Abbate Hilarione, Reſponſione, ad præſens ſimul cum Conſtitutione, enucleata, negotium iterum cum duobus Prælatis, de mandato Alexandri VII., ex integro examinavit, novumque Conſtitutionis Exemplar cum eis confecit, quod Sanctitati ſuæ, pro Conſtitutionis mox relatæ expeditione, tranſmiſit, ut patet ex ſequenti ejus Epiſtola, *in Cod. fol.* 333. „ Beatiſſimo Padre: Que- „ ſta mattina ſono ſtati quì da me li duoi Monſignori „ De Roſſi, e Vizzani; e doppo conſiderate maturamen- „ te tutte le oſſervazioni fatte ſopra della minuta, ſi è „ aggiuſtata in modo, che è paruta a tutti non vi eſſere „ biſogno di farvi ſopra nuova Congregazione, e che la „ Santità Voſtra poſſa venire alla ſpedizione. „

166. His tamen non contentus Summus Pontifex voluit ipſe omnia de novo perpendere, præcepitque memorato Abbati, ut ſcripturas ſupra hac eadem materia exaratas ſibi tranſmitteret; prout habetur ex alia ejuſdem SS. Epiſtola *fol.* 256. = „ Se V. Signoria ha alcuni altri quinterni, „ mandati da Noi su queſte materie, ce gli rimandi, che „ giacchè vogliamo di nuovo veder tutto, non oſtante la „ ſtagione, non vogliamo che ci ſcappi coſa alcuna, che „ non abbiamo riveduta „. Accurate igitur omnia, & ſingula ponderavit, penſitavitque ſua Sanctitas, & in ultimo Conſtitutionis Exemplari, ſibi, ut mox dictum eſt, tranſmiſſo, quædam adhuc propria manu adiunxit, delevitque, ut ſupra tetigimus, & prout in eodem Exemplari fuſius videri poteſt; *Codic. fol.* 79., & *ſeq.* Tandem die 8. Decembris 1661. Conſtitutionem edidit, uſque nunc examinatam; & die 10. ejuſdem menſis, Philippum IV. de ejuſdem expeditione certioravit ſequentibus verbis = „ Poſt invocatam, repetitis precibus, Spiritus Sancti gra- „ tiam: Sæpe Viros inſigniter doctos, & Religioſos audi- „ tos: habitas plures, præſertim VV. FF. noſtrorum S.

R. E.

Digitized by Google

„ R. E. Cardinalium general. Inquiſit. Conſultationes; de
„ illorum conſilio, & aſſenſu, Conſtitutionem edidimus,
„ quam ſane, benedicente Domino, conſcientiarum, &
„ animarum quieti componendæ ſalutarem, piæ devotio-
„ nis profectibus accommodam, atque ſingulari, & in hac
„ quoque re, præclare ſpectatæ pietati tuæ magnopere
„ gratam fore ſperamus. „

167. Ex hucuſque relatis evidenter probatur, Recentiores quoſdam, nil aliud, paucis abhinc annis, in hac materia peragere, niſi eadem, quibus obviare voluit Alexander VII., refricare ſcandala; de novo aſſerentes, & ubique clandeſtine ea ſpargentes ſophiſmata, quæ anno 1661. Philippum IV. coegerunt, ut ſpecialem, pro efficaci remedio, eidem Alexandro mitteret Oratorem; & quorum *inſubſiſtentia*, *& fallacia* tunc temporis detecta fuit, & demonſtrata; videlicet, *verbum Conceptionis*, in Gregorii XV. Decreto, & poſt illius publicationem, *æquivocum eſſe* ad ſignificandam, tum præſervationem, tum & ſanctificationem Beatiſſimæ Virginis; ac per conſequens unicuique liberum eſſe, *ſub Conceptionis nomine*, unam vel alteram colere, ac venerari; nihilque ſuper hoc declaraſſe, nec ſtatuiſſe Alexandrum VII. Judicet vero unuſquiſque, quinam Alexandri VII. mentem, ejuſque Conſtitutionis ſenſum melius agnoſcere potuerint; an iſti moderni, qui, elapſis ab emanata Conſtitutione centum annis, proprias ſcribunt, & ſpargunt inanes ideas; An vero Eminentiſſimus Albitius, cujus Votum, veluti Conſtitutionis baſis extitit, & fundamentum; nec non Abbas Hilario Rancati, qui ante annum 1631., Sancti Officii jam & Sac. Rit. Congregationis Conſultor, ab Urbano VIII., *cum aliis peritiſſimis Viris* deputatus fuerat pro Breviarii Romani recognitione, & correctione: *Merati*, *Theſaur. Sac. Rit. tom.* 2. *part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 3. Qui poſtea, anno

Digitized by Google

1661., omnes Scripturas pro expeditione recenſitæ Conſtitutionis : *Sollicitudo :* exaratas præ manibus habuit, & ſcrupuloſe, ac minute ſcrutatus eſt: Qui plures ejuſdem Conſtitutionis formulas confecit, antequam ad ultimo limatam deveniret: Qui Animadverſiones, contra eaſdem formulas, ab Eminentiſſimis Cardinalibus, & a Prælatis Sancti Officii Congregationis peractas examinavit, & cuilibet Reſponſum dedit; Quique octo menſium ſpatio, cum Alexandro VII., pro eodem gerendo, & terminando negotio tantum inſudavit. Adde, ut jam diximus, quod præciſe, & unice emanaverit hæc Conſtitutio, pro iis refellendis, ac improbandis, qui ſpargere, & publicare non ceſſabant, Eccleſiam non celebrare Feſtum præſervationis in primo inſtanti, ſed Conceptionem ut ſic, pro eo inſtanti, quo fuit Sancta; prout ad evidentiam reſultat ex deductis in præſenti Articulo, & in duobus præcedentibus.

168. Præcipuam iſtius Conſtitutionis partem per extenſum refert Pater Natalis Alexander, inclyti Prædicatorum Ordinis jubar, & lumen, *Hiſt. Eccleſ. Sæc.* 13., *&* 14. *Cap.* 13. *art.* 23. *Schol.* 4., ac præmiſſa Doctoris Angelici Auctoritate, 2. 2. *qu.* 10. *art.* 2. dicentis, *quod maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper in omnibus eſt æmulanda*, ſic concludit. „ Auctor ſum, „ inquit, Fratribus meis Prædicatoribus, ut, depoſitis an„ tiquæ, & *jam antiquatæ* Opinionis præjudiciis, *cujus* „ *tenebras Spiritus Sanctus diſpulit*, etſi nondum ita pla„ ne, ac perfecte, ut quæſtio iſta ſit in Fidei luce, per „ Divinam Revelationem, Eccleſiæ factam, conſtituta; „ communem, piam, & *Eccleſiaſticam Sententiam*, *ac de*„ *votionem erga Immaculatam* Deiparæ Virginis *Conceptio*„ *nem* amplectantur, prædicent, & propagare ſtudeant „. Si quis autem ignoret quid ſit Opinio *antiquata*; adeat Bibliothecam Lucii Ferraris *tom. 6. pag.* 342. *Edit. Rom.*; ubi

ubi recenſens idem Auctor præcipua Cenſurarum genera, quibus notari poſſunt Propoſitiones, ſequentia habet: *Antiquata eſt illa, quæ antiquitus admittebatur tamquam probabilis, quia nondum erat cognitum principium certum; ſed jam licet non ſit expreſſe damnata, eſt tamen incompoſſibilis cum novo Decreto Romanæ Cathedræ*. Et Cardenas, *apud Joan. Ant. de Panormo, Scrutin. Doctrin. cap. 7. art. 10. num. 1.*, diſcrimen aſſignat inter Propoſitionem *damnatam*, & *antiquatam*, quod illa ſit, *quam expreſſe damnat Pontifex Romanus, vel per verbum* damnamus, *vel per æquivalens. Propoſitio vero* antiquata *eſt, quæ licet non inveniatur* damnata *expreſſe, & formaliter, eſt tamen incompoſſibilis cum aliquo Decreto Pontificio, aut alio principio certo, denuo invento*. Addit etiam De Panormo ibidem *num. 5.*, quod *antiquata reddi poteſt aliqua Opinio, vel per poſitivam aliquam Legem, aut Decretum illam expreſſe damnans; vel per illationem quæ fieri queat ex aliquo hujuſmodi Decreto, & altero ſimili principio certo; vel etiam ab extrinſeco, quod ab ea jam fere omnes Theologi receſſerint, unanimiter illam rejicientes, & improbantes*. Cum igitur Pater Natalis *antiquatam* vocat *Conceptionis Maculatæ* Opinionem; idem eſt ac ſi diceret, quod licet tamquam *probabilis* ſuſtineri olim potuerit; Cum tamen *Spiritus Sanctus tenebras*, quibus offundebatur hæc quæſtio, *hodie diſpulerit*: Cum Romana Cathedra favore oppoſitæ Sententiæ, piæ videlicet, toties, & adeo clare locuta fuerit; Cumque omnes fere non ſolum Theologi, ſed & cujuſcumque generis Catholici illam rejecerint, & improbaverint; incompoſſibilis eſt eadem *Maculatæ Conceptionis* Sententia cum novis Sanctæ Sedis Decretis & probabilis amplius nec eſt, nec vocari poteſt. Econtra vero *Immaculatæ Conceptionis* Sententia, *licet in fidei luce conſtituta adhuc non ſit*, eſt tamen *communis, pia*, & *Eccleſiæ* Sen-

ten-

tentia. Quid enim ſignificare poteſt *Eccleſiaſtica* Sententia, niſi ipſius *Eccleſiæ* Sententiam? Hæc jam ſentiebat, hæc ſcribebat Pater Natalis Alexander, antequam Clemens XI. noſtri Myſterii Feſtivitatem ab univerſali Eccleſia celebrari præcepiſſet: Antequam Benedictus XIV. Cappellam Pontificiam pro eadem Feſtivitate in perpetuum inſtituiſſet; & antequam tot Conſtitutiones Apoſtolicæ, totque Sacrarum Congregationum decreta, de quibus infra, favore ejuſdem ſacri Myſterii emanaſſent.

169. Objiciet hic aliquis, quod Pater Natalis Alexander, aliis in locis, quædam in præjudicium *piæ Sententiæ*, & Cultus *juxta illam* exhibiti, ſcripſerit; verbi gratia, quod Sancti Patres, & antiqui Doctores contrarium tenuerint, quodque B. Virginis Conceptio celebratur, non propter propriam ejus Sanctitatem, ſed propter Sanctitatem, & dignitatem perſonæ conceptæ, quæ prædeſtinata erat, ut Dei Mater eſſet. Ad hæc autem facile reſpondetur, mirum non eſſe, quod Natalis, juxta doctrinam, quam in ſuo Ordine ſuxerat, & juxta præjudicia quædam, quibus a juventute imbutus reperiebatur, aliquando locutus fuerit. Et hic ea applicari poſſent, quæ Pater Conſtantinus Roncaglia ſcribit in Monito prævio ad Opera ejuſdem Alexandri, Lucæ typis edita, videlicet: *Illud tamen ingenue fatendum, me tali eruditione, ac omnigena litratura Natalem præditum ubique reperiſſe, ut, ſi a quibuſdam præjudiciis liber extitiſſet, non auderem illis contradicere, qui poſtremis hiſce temporibus, nemini eſſe ſecundum contendunt*. Deinde Auctoritas a nobis allata, legitur in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scholiis, id eſt in Reſponſionibus, quas, ætate jam provectus dedit ad cenſuram, adverſus dictum Opus poſt varias ejus editiones peractam; ſicuti deſumpta pariter ex eiſdem Scholiis fuit alia Auctoritas, ſupra §. 66. relata, in qua idem Natalis aſſerit, quod Baſi-

Digitized by Google

leenſe Decretum, favore Immaculatæ Conceptionis editum, *nemo pium, & ſalutare eſſe negaverit, niſi publicæ pietatis, & devotionis Fidelium erga Deiparæ Virginis Immaculatam Conceptionem hoſtis*. Cum autem dicta Scholia, Operis compoſitione longe ſint poſteriora; magis Natali ſeni, quam juveni credere, & fidem adhibere debemus. Audiamus ſuper hoc Dominum Ladvocat, qui in ſuo Dictionario Hiſtorico, verbo *Alexandre*, aſſerit, dictam Hiſtoriam Eccleſiaſticam, *cum Scholiis, & correctionibus in folio editam*, plurimi præſertim haberi ob modeſta, ac prudentiæ plena Reſponſa, iis data, qui dictum Opus cenſuris notaverant; Ibi = „ On a de lui primo une Hiſtoire „ Eccleſiaſtique in 8., reimprimée avec des additions, & „ corrections *in folio*, qui eſt eſtimée principalement a „ cauſe des Diſſertations, & de ſes Réponſes modeſtes, „ & judicieuſes aux Inquiſiteurs qui avoient cenſuré cet „ ouvrage. „

ARTICULUS XIII.

De variis favoribus, poſt emanatam Alexandri VII. Conſtitutionem, a Sancta Sede, piæ Sententiæ præſtitis, & de Octava Feſti Immaculatæ Conceptionis.

170. QUantum, a publicata Alexandri VII. Conſtitutione, auctus fuerit, & propagatus iterum *ille, ſecundum piam ſententiam, Cultus*, vix credi poterit. Examinata ſunt Regeſta Sacræ Rituum Congregationis; & centum, ac ſeptuaginta ibidem reperta ſunt Decreta, pro ejus ampliatione, ab illo tempore conceſſa, & edita. Examinata ſunt Brevium Confraternitatum Regeſta; & mille Brevia & ultra, ex eis extracta ſunt Confraternitatum erectionum, quæ ſub invocatione, aut

titulo

Digitized by Google

titulo ejuſdem Sacri Myſterii, ubique terrarum, Auctoritate Apoſtolica, ab eo tempore peractæ ſunt; eumdem ad minus Bullarum numerum, ſub plumbo, pro ſimilibus erectionibus expeditarum inventuri, ſi Datariæ ſcrutarentur Regeſta; cum promiſcue erigantur hujuſmodi Confraternitates, vel per Brevia vel per Bullas. Prima autem ex dictis Confraternitatibus, elapſo vix menſe ab emanata Alexandri VII. Conſtitutione, erecta fuit in Eccleſia FF. B. M. V. de Mercede, Civitatis Granatenſis, ſub denominatione *Triumphi* Conceptionis B. M. V., per Litteras Apoſtolicas: *Cum ſicut accepimus*: 14. Januarii 1662. datas. *Sum. num.* 16. Sciebat enim Alexander VII., ſciebant & Miniſtri ejus, publicata Conſtitutione: *Sollicitudo*; jure ac merito celebrari poſſe ſolemniter *Conceptionis Triumphum*. Et ut, majori adhibita pompa, hoc fieret, benigne variis conceſſit locis, quibus Conceptionis Octava nondum indulta fuerat, ut, ſaltem ſequenti anno 1662. per octo continuos dies, illum ſolemniter celebrare poſſent, cum Miſſis cantatis, concionibus &c. etiam die Dominica Adventus, & duplicibus Feſtis tunc occurrentibus; præcepitque idem Pontifex, ut, ad perpetuam rei memoriam, quædam ex dictis conceſſionibus in Acta Sac. Rit. Congregationis referrentur. *Ibidem litt. A.*, & aſſervantur ſimiliter Conciones, occaſione hujuſmodi Feſtivitatum habitæ, & typis mandatæ. *Litt. B.*

171. Nec tacere hic debemus gratiam, a Clemente X., magnæ Britanniæ Reginæ anno 1673., abſque ullo forſan exemplo, conceſſam videlicet, quod in Regia Somerſetana ejus Cappella, *votiva SS. Conceptionis Miſſa*, quolibet anni Sabbato celebrari poſſet, adeo paucis exceptis Sabbatis, ut ſi Epiphania, & Circumciſio Domini, ac Feſtivitates Aſſumptionis, SS. Petri, & Pauli, Sancti Joannis Baptiſtæ, & omnium Sanctorum, die Sabbato tunc venerint, cele-

brata eſt dicta Sanctiſſimæ Conceptionis Miſſa votiva. *Ibidem litt. C.* Signum evidens ingentis erga Sacrum Myſterium devotionis, tam in petente, quam in concedente gratiam. Hujuſmodi devotionis plurima jam præbuerat ſigna idem Summus Pontifex, inter quæ non infimum tenet locum Breve incipiens: *Exponi Nobis: dat.* 30. *Jan.* 1671., quo duobus Monialium Monaſteriis Conceptionis B. V. M., curæ, & gubernio Theatinorum Neapoli ſubjectis, omnia privilegia, omneſque conceſſerat gratias, quibus gaudent Moniales Conceptionis Civitatis Toletanæ, ſimulque eiſdem Patribus Theatinis *licentiam, & facultatem* impertitus fuerat *benedicendi Scapularia parva cærulæi coloris, illaque Chriſtifidelibus diſtribuendi, pio devotionis erga prædictum Myſterium affectu, ea geſtare cupientibus.* Quæ quidem erga eadem Scapularia devotio plurimum noſtris crevit temporibus, emanata alia Clementis XI. Conſtitutione, incip. = *Cæleſtium munerum:* data 12. Maii 1710. *Bullar. Rom. tom.* 10. *part.* 1. *pag.* 234., qua idem Pontifex, examinato prius negotio in Sacra Sancti Officii Congregatione, *laudabilem Chriſtifidelium erga Myſterium ſupradictum devotionem magis, magiſque in dies augeri, & propagari cupiens,* (Nullus a trecentis annis reperietur Summus Pontifex qui idem non deſideraverit) omnibus, & ſingulis utriuſque Sexus Chriſtifidelibus, quibus hujuſmodi Scapularia benedicta inpoſterum diſtribuentur, die quo illa primum ſuſceperint, indulgentiam plenariam: In cujuslibet mortis Articulo, itidem plenariam: Similem pariter iis, qui die Feſto ejuſdem Conceptionis aliquam ex Eccleſiis PP. Theatinorum viſitaverint; ac alias tandem pro omnibus Beatiſſimæ Virginis Feſtivitatibus conceſſit, & elargitus eſt. Cumque eodem illo tempore Capitulum generale eorumdem Patrum, Præſide Eminentiſſimo Pauluccio, Sanctitatis ſuæ tunc a Secretis Status, celebratum Romæ fuerit;

fuerit; Sanctitas ſua, per manus ejuſdem Eminentiſſimi, iſtud Breve Patribus congregatis benigne tranſmiſit cum formula, qua uti deberent pro benedictione, & diſtributione hujuſmodi Scapularium, in cujus formulæ fine ſequentia habentur: *Deſcribatur in Codice nomen illius qui Scapulare ſuſcepit, & ipſe dicat: Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum, & benedicta ſit puritas, & Immaculata Conceptio Virginis Mariæ:* prout refertur in Opuſculo, Romæ tunc typis edito, cui titulus: *Succinto Ragguaglio dell' Abitino, che ſi diſpenſa da i Padri Teatini ad onore dell' Immacolata Concezzione: Roma pel Buagni.*

172. Tranſitum nunc facientes ad noſtræ Feſtivitatis Octavam, vidimus, annis 1272. 1323. 1334., & 1364., eam variis in locis fuiſſe celebratam. *Sum. num. 2. ad dictos an.* Habemus pariter, quod anno 1477. *Sixtus IV., Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli auctoritate confiſus,* ſua in perpetuum valitura Conſtitutione, omnes Chriſtifideles, Indulgentiarum conceſſione invitaverit, ut eamdem Octavam ubique terrarum feſtivis Officiis colerent; quodque, tranſactis ſeptuaginta fere annis, Concilium Tridentinum dictam Conſtitutionem innovaverit, ac executioni mandari præceperit. Adrianus Baillet *in Vitis SS. ad diem* 8. *Decembris* negat, Sixtum IV. noſtram inſtituiſſe Octavam; ibi enim loquens de Conceptionis Feſtivitate, a Sixto IV. ſtabilita, ait: *Quelques uns prétendent même, quoique ſans fondement, qu'il y inſtitua l'Octave.* Sed ex hoc habemus, iſtum Auctorem Breve Sixti IV. *Cum præcelſa* non vidiſſe; alias ſequentia in eo legiſſet, cubitalibus verbis Octavam exprimentia, nempe: *Statuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli Chriſtifideles utriuſque ſexus, qui Miſſam, & Officium Conceptionis ejuſdem Virginis glorioſæ, juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem dilecti Filii Magi-*

ſtri

ſtri Leonardi de Nogarolis, Clerici Veronenſis, Notarii noſtri, & quæ deſuper a Nobis emanavit, Miſſæ, & Officii hujuſmodi inſtitutionem, in die Feſtivitatis Conceptionis ejuſdem Virginis Mariæ, ET PER OCTAVAS EJUS, *devote celebraverint, & dixerint, aut illis Horis Canonicis interfuerint; quoties id fecerint, eamdem prorſus indulgentiam* &c. Ex quibus etiam alia reſultat falſitas, ab eodem Baillet aſſerta, videlicet Conceptionis Officium a Sixto IV. ut ſupra approbatum, a duobus Religioſis ſui Ordinis compoſitum fuiſſe, nempe a Leonardo de Nogarellis, & a Bernardino de Buſtis, ibi = *Il approuva auſſi un Office particulier de la Conception, composé par deux Religieux de ſon Ordre, Leonard de Nogarellis, & Bernardin de Buſtis*; ſolus enim de Nogarolis, qui non erat Franciſcanus, illud compoſuit Officium, licet Bernardinus de Buſtis aliud poſtea etiam exaraverit. Publicato novo Pii V. Breviario, in quo ad diem 8. Decembris, Conceptionis Feſtum ſub Ritu duplici minori, ac per conſequens ſine Octava, fuit appoſitum, idem Pontifex anno 1569. univerſo Franciſcanorum Ordini eam conceſſit. *Sum. num.* 8. In Bibliotheca S. Mariæ de Scala, adeſt Breviarium FF. B. M. de monte Carmelo, Venetiis anno 1573. editum, elapſis quinque annis a publicatione novi Breviarii Pii V., & in eo habetur Officium *Sicut Lilium* cum Octava. In Calendario perpetuo, Toleti anno 1578. impreſſo, *Sum. ibidem*, decem videlicet annis a publicatione ejuſdem novi Breviarii Romani, notatur eadem Octava pro Diœceſi Granatenſi, & pro Ordine B. M. V. de Mercede. In Bibliotheca Sancti Iſidori adſunt Officia propria FF. Ordinis Servorum B. M. V., Romæ 1609. edita, & ibi adeſt noſtra Octava. Ferdinandus, Colonienſis Archiepiſcopus, & Elector, die 27. Novembris 1628., Edictum publicavit, quo in ſuis Diœceſi-

ceſibus, diem Feſtum Conceptionis Immaculatæ ſemper Virginis, ſingularis contra hæreſes Imperii Patronæ, cum Octava fieri mandavit. In Rubricis particularibus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, menſe Decembris, *n.* 50. legitur: *Feſtum Conceptionis B. M. V. extat cum Octava in antiquo Ordinis Breviario; & noviſſime Sacra Rituum Congregatio, die* 12. *Junii* 1638., *indulſit celebrari in toto Ordine cum Octava*. Rituale Congregationis B. M. de Calvaria, ſub Regula S. Benedicti, editum Pariſiis an. 1661. = *Die* 8. *Decembris: Officium Immaculatæ Conceptionis duplex ſecundæ claſſis cum Octava*. Die 20. Novembris 1662. Clerus Civitatis, & Diœceſis Gerundenſis, cum ab immemorabili tempore celebraret Feſtum Conceptionis cum Octava, repetendo ſingulis diebus Lectiones diei Feſti, obtinuit a Sacr. Rit. Congregatione facultatem recitandi inpoſterum Lectiones Octavarii Barcinonenſis; ac per conſequens eadem Octava, in dicta Barcinonenſi Diœceſi, tunc temporis etiam recitabatur; & die 15. Martii 1664. Auguſtiniani Diſcalceati Galliarum, ab eadem Sac. Congregatione facultatem obtinuerunt recitandi Conceptionis Officium, pariter cum Octava. Idem etiam Feſtum ii omnes cum Octava recitabant, qui Beatiſſimæ Virginis Conceptionem, vel ut Titularem, vel ut Patronam venerabantur.

173. Rebus ſic ſtantibus, Philippus IV. eamdem ab Alexandro VII. petiit gratiam, pro omnibus Hiſpaniarum, & Indiarum Dominiis; remiſſaque a Sanctitate ſua inſtantia ad Sac. Rit. Congregationem, & ibi acriter diſcuſſa, ac ſuperatis variis oppoſitionibus, & difficultatibus, quæ apud P. Dominicum Loſſada, *Diſcuſſ. Theolog. Append. num.* 92., videri poſſunt; tandem conceſſa eſt gratia, & expeditum S. R. Congregationis Decretum die 2. Julii 1664. *Sum. num.* 13. *litt. B.*, & die 7. ejuſ-

7. ejuſdem menſis, pro eodem negotio emanavit Conſtitutio Apoſtolica, incipiens: *Quæ inter præclara*. Quis autem, iis attentis, quæ in præcedenti paragrapho narrata ſunt, ſibi unquam perſuaſiſſet, quod Sereniſſimus Rex Catholicus oppoſitiones, & contradictiones pro hujuſmodi obtinenda gratia reperire, & repellere debuiſſet? De cætero adeo crevit ubique pium eamdem recitandi Octavam deſiderium, ut, ſpatio ſex circiter annorum, ad omnes fere Orbis Catholici partes de præcepto extenſa fuerit; videlicet, 12. Novemb. ejuſdem an. 1664., Regnis, & Dominiis, Imperatori ſubiectis: 21. Januarii 1665. Ditionibus Archiducis Auſtriæ: 13. Junii ejuſdem, Reipublicæ Venetæ: 17. Auguſti, Ditionibus Ducis Sabaudiæ: 18. Septembris, Regno Neapolis: 19., Etruriæ: 27., Provinciis Ducis Bojarienſis: Comitatibus Flandriæ, & Burgundiæ: Statui tum Mediolanenſi, tum Finarienſi: Siciliæ, & Sardiniæ Regnis. Reſpublica Januenſis ante annum 1666. Officium etiam recitabat primæ claſſis cum Octava. Anno 1667. 17. Septembris, extenſa pariter fuit Patribus Societatis Jeſu. 21. Octobris, Temporali Ditioni Eccleſiæ. 31. ejuſdem, Patribus Auguſtinianis. Anno 1668. 8. Februarii, Diœceſibus Mutinen., & Regien. 20. ejuſdem, Galliarum Regno. Anno 1670. 21. Junii, Diœceſi Auguſtanæ, & Provinciæ Albaniæ; 9. Auguſti, Portugalliæ Regno; & 13. Septembris, Statui Maſſæ. Tandem Anno 1672. 31. Decembris, Diœceſi Vercellen.; & elapſis deinde viginti circiter annis, anno videlicet 1693., die 15. Maii, ad Univerſalem Eccleſiam ab Innocentio XII. extenſa fuit; quod quibuſdam fere inutile tunc videbatur, cum nullus vix reperiretur Orbis Terrarum angulus, in quo non recitaretur. Et revera nullum omnino invenietur in Sancta Romana Eccleſia Officium, nulla Feſtivitas, nec Feſtivitatis Octava, quæ tot Diœceſibus,

Digitized by Google

ſibus, tot Provinciis, Regnis, ac Ordinibus religioſis indulta fuerint, priuſquam Eccleſiæ Univerſali concederentur. Nullum reperietur Myſterium, nullumque Feſtum, pro cujus Cultus ampliatione, tot, & adeo frequentes apud S. Sedem peractæ fuerint inſtantiæ, non a quibuſdam dumtaxat Myſterii devotis, ſed ab omnibus, & fere a ſingulis Regnorum Chriſtifidelibus. Videatur Breve Clementis IX., noſtram Octavam ſtatui Eccleſiaſtico de præcepto iniungens, in eoque legetur, quod Summus Pontifex hoc peregerit, *piis annuens Votis Cardinalium, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, necnon & Chriſtifidelium tam almæ Urbis, quam cæterarum Civitatum, Oppidorum, & Locorum*, Sedi Apoſtolicæ in Temporalibus ſubditorum.

174. Non ſolum ſub Ritu duplici ſecundæ claſſis cum Octava, recitatur in Eccleſia Officium Immaculatæ Conceptionis; ſed ulterius ad Ritum duplicem primæ Claſſis, favore plurium Religioſorum Ordinum, Provinciarum, & Regnorum, elevatum fuit. Sub hujuſmodi enim Ritu illud recitant omnes Franciſcani Religioſi, videlicet Obſervantes, Reformati, Conventuales, Cappucini, Tertii Ordinis Patres, & tot Moniales, ſub Regulis S. Claræ, S. Eliſabeth, & Immaculatæ Conceptionis, ubique terrarum militantes: Ordines pariter B. M. de Mercede, Carmelitarum Diſcalceatorum, & Poloniæ Patrum Marianorum: Melitenſis Religio, Reſpublica Januenſis: Integra Regna Hiſpaniarum, Luſitaniæ, & utriuſque Siciliæ; nec non Auſtria, & plurimi Germaniæ Principatus; omneſque Eccleſiæ, Civitates, Diœceſes, ac Provinciæ, quæ Beatiſſimam Virginem, ſub Immaculatæ Conceptionis invocatione, in Patronam elegerunt. Similiter, quando Clemens XI. hanc eamdem Feſtivitatem, inter Feſta de præcepto pro univerſali Eccleſia, anno

Digitized by Google

1708. annumeravit, pluribus jam in locis, & Regnis hoc modo celebrabatur; videlicet, in omnibus Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Poloniæ, Ducis Sabaudiæ, & totius fere Germaniæ Dominiis, nec non eis in Regionibus, quarum, ſub illo titulo, Beatiſſima Virgo reperiebatur Patrona. Tandem Benedictus XIV., pro ejuſdem Myſterii Feſtivitate, Cappellam Pontificiam in perpetuum decrevit; & ſic nulla amplius ex eis prærogativis illi deficit, quæ Nativitati B. M. V. conceſſæ fuerunt.

175. Imo & pluribus, abſque comparatione gaudet privilegiis Sacrum Immaculatæ Conceptionis Myſterium, quam illud Nativitatis; & videtur paulatim id ſuſcepiſſe Eccleſia, quod anno 744. jam inculcabat Joannes Euboenſis Epiſcopus, *Orat. in Concept. Deiparæ*, (ſupra, §. 3.) nempe: *Si Templa nec præter tantæ rei dignitatem dedicamus*, QUANTO MAGIS FERVENTIORI STUDIO, DEVOTIONE INFINITA, AC DEI TIMORE SOLEMNITAS HÆC CELEBRANDA EST, *in qua non ex lapide fundamenta jaciuntur, nec manu hominum Dei Templum exædificatur &c.*, quodque Sæculo ſequenti Georgius Nicomedienſis, in ſua etiam *Conceptionis* Oratione (§. 4. citata) Chriſtifidelibus pariter commendabat, videlicet: *Cum itaque hodierna Feſtivitas illuſtrioribus omnibus ſolemnitatibus, Miraculorum in ipſa conſummatorum ratione, præeat; iiſque, ceu fundamentum, ac crepido, ſuppoſita, quidquid in illis Sacramentorum diſpenſatum eſt, pro fundamenti ratione in ſe colligat; par omnino eſt, ut tamquam principio, & cauſæ univerſorum bonorum, venerationem ei adhibeamus*, IMPENSIORIQUE EAM GAUDIO CELEBREMUS. Tot igitur non reperientur, Officium Nativitatis ſub ritu duplici primæ claſſis recitantes, quot mox vidimus de Conceptionis Officio. Non reperientur tot Indulgentiæ conceſſæ; tot Confraternitates ſub ejus invocatione erectæ; Ordines Religioſi, ſub ejus titulo

titulo, aut protectione fundati; tot Vota illam defendendi; tot apud Sanctam Sedem Principum inſtantiæ, ut de Fide definiatur. Vix illi numerari poſſunt qui Officium Immaculatæ Conceptionis, diebus Sabbatis non impeditis recitant; quod pariter de Nativitatis Officio non ſubſiſtit. Sub ſilentio enim prætermiſſis innumeris fere Collegialibus Eccleſiis, & particularibus Monaſteriis, quæ hujuſmodi potiuntur privilegio; illud a Sancta Sede, vel a Sacra Congregatione obtinuerunt Ordines Religioſi Sancti Franciſci, Sancti Franciſci de Paula, S. Auguſtini, Societatis Jeſu, S. Joannis de Deo, Servorum B. M. V., Clericorum Regularium Minorum, Clericorum Regularium Sancti Pauli, Ordo Hieroſolymitanus, Congregatio Somaſcha, Congregatio B. Petri de Piſis &c. Illud obtinuerunt Diœceſes Burgen, Angelopolitana, Cabilonen, Urbevetana, Egitanien, Januen, Durangen, Brugnaten, Naulen, Baſileen, Sancti Jacobi Cubenſis, Panormitana, Apten, Ilcinen, Sinnen, Helven, Sanctiſſimæ Trinitatis de Buenos Ayres, Guamanguen, &c. Et tandem Regna, & Dominia integra Portugalliæ, Poloniæ, & Cæſareæ Majeſtatis extra Italiam. Declararunt Summi Pontifices, dicta concedi privilegia, ad magis promovendam devotionem erga *Immaculatam Conceptionem*, ut videre eſt in Decreto *Taurinen*, 13. Martii 1742. emanato, ibi = *Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus XIV.* AD MAGIS PROMOVENDAM DEVOTIONEM ERGA IMMACULATAM CONCEPTIONEM BENIGNE INCLINATUS INDULSIT, *ut ſingulis Sabbatis minime impeditis, Officium proprium cum Miſſa* IMMACULATÆ CONCEPTIONIS *B. M. V. ſub ritu ſemiduplici, a Capitulo, & Canonicis . . . recitari poſſit, & valeat*. Idem declaravit Sacra Congregatio, prout pariter videri poteſt in Decreto *Durangen* 28. Aprilis 1731., ibi = *Sacra Congregatio*, AD MAGIS AUGENDAM FIDELIUM DEVOTIONEM *in illis*

Partibus, benigne conceſſit, ut ab univerſo Clero ſæculari, & regulari utriuſque ſexus præfatæ Civitatis, & Diœceſis, Officia nempe .... SANCTISSIMÆ CONCEPTIONIS, ſingulis Sabbatis non impeditis &c. Nec majori iſtius devotionis dilatationi obſtat, quod ſub die 7. Julii 1753. decreverit eadem ſacra Congregatio, *quod preces de Officiis votivis ſemel in menſe, vel ſemel in hebdomada recitandis, amplius non recipiantur*. Ab emanato enim hoc Decreto, die 23. Januarii 1754. inſtante Eminentiſſimo Ulixbonenſi Patriarcha, conceſſa eſt iterum gratia, favore noſtri Myſterii, pro Clero ſæculari, & regulari Regni Portugalliæ: Conceſſa eſt, die 11. Maii ejuſdem anni, univerſo Societatis Jeſu Ordini: Conceſſa eſt, die 24. Julii 1756., inſtante Rege Fideliſſimo, pro Regno Algarbiorum, ac cæteris ſuæ Majeſtatis Dominiis; & 28. Auguſti ejuſdem anni, Diœceſi Sanctiſſimæ Trinitatis de Buenos Ayres, nec non die 15. Decembris 1759. Monialibus Regii Monaſterii Xantonen. Ex quibus reſultat, Decretum anno 1753. datum, vel noſtrum forſan non reſpicere Myſterium; vel relate ad illud in deſuetudinem jam abiiſſe.

176. Locum hic habere id poteſt, quod refert Pater Franciſcus Diaz a Sancto Bonaventura, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Catholici Hiſpaniarum Regis olim Concionator, & Theologus, *Appendice 9. ad Arborem Seraphicam, Innocentio XIII., nec non Mundi Potentatibus, eidem obedientiam præſtantibus, dicata, & pro Capitulo generali dicti ſui Ordinis, anno 1723. Romæ typis edita, & publicata*; Videlicet, quod ipſe, anno 1708., Clementi XI., plurimis, & quam maximis perturbato anguſtiis, quamdam præſentaverat relationem proſperorum eventuum, quos, bellorum, & diſcordiarum temporibus, nacti fuerant plurimi, qui, ad prædicta vitanda mala, Beatiſſimam Virginem Mariam, in Myſte-

rio

rio ſuæ Immaculatæ Conceptionis, *aliquo obſequio oblato*, devote invocaverant. Qua quidem narratione motus fuit idem Summus Pontifex ad ſtatuendum, quod prædictum Feſtum deberet ubique terrarum inpoſterum ab omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ſicut alia Feſta de præcepto, ſervari, & celebrari, ac ſub præcepto obſervationis Feſtorum comprehendi; prout videri poteſt in Brevi: *Commiſſi nobis:* die 6. Decembris 1708. emanato; in quo ſermo habetur *de tot, tantiſque, quibus premebatur Chriſtiana Reſpublica, & Catholica Eccleſia neceſſitatibus*. Subiungit Pater Diaz, quod, hac publicata Conſtitutione, ſtatim, elapſo vix menſe, reciproca ſecuta eſt, *Domino benedicente, & Deipara opem ferente*, ac integra concordia inter Sanctam Sedem, & Auguſtiſſimum Imperatorem, non ſine ingenti lætitia, tam ſuæ Sanctitatis, quam totius Eccleſiaſtici Status.

177. Accedat igitur Gamaliel *act.* 5. *verſ.* 38., nobiſque declaret, utrum *ex Hominibus, an potius ex Deo* provenerit iſta omnium Chriſtifidelium erga Immaculatam Conceptionem pietas, & devotio, ſimulque Summorum Pontificum, & Eccleſiæ, tot ſæculorum ſpatio, unanimis, & nunquam interruptus conſenſus, pro ejuſdem Myſterii Feſto, & Cultu augendo. Veniat Pater Bartholomæus a Medina, Sacri Prædicatorum Ordinis, qui, licet alibi ſententiæ fuerit contrariæ, a ſequentibus tamen, *in* 3. *part. qu.* 27. *art.* 2., anno circiter 1578., abſtinere non potuit; Ibi: „ Suffragantur huic Sententiæ omnes Univerſitates Studiorum, in quibus Viri Docti, „ & Magiſtri ſequuntur hanc Sententiam, & maxime „ Schola Pariſienſis, reliquarum Parens, & Magiſtra. „ His accedit *conſenſus totius Populi Chriſtiani*, qui non „ eſt parvæ auctoritatis. Siquidem *Vox Populi, Vox Dei*. „ Certe hac in re, videtur impletum eſſe illud: *Ex ore*

Digitized by Google

„ *infantium*, & *lactentium perfeciſti laudem:* ſed & illud
„ animadverſione dignum eſt, quod hæc Sententia *de*
„ *Immaculata* B. Virginis *Conceptione*, a parvis initiis
„ profecta, crevit in immenſum, quod eſt argumentum
„ ſolidæ veritatis, *ut inſinuatur Actorum quinto*. „

178. Veniat Pater Vincentius Juſtinianus Antiſtius, ejuſdem Ordinis, qui, eodem fere tempore, Tractatum de Immaculata Conceptione edidit, cujus Synopſim exhibent Monumenta Litteraria Trevoltienſia anni 1709., occaſione verſionis gallicæ, anno 1706. peractæ. In dicto autem Tractatu, inquit Pater Plazza, *pag.* 332. decem, & octo conſiderationibus, piæ Sententiæ argumenta, pulchre, & erudite perpendit Antiſtius, in quarum poſtrema obſervat, a Sancto Patriarcha Dominico, uſque ad ſua tempora, Sanctos, magnoſque Viros ſui Ordinis, piæ Sententiæ adſtipulatos fuiſſe; nominatim vero laudat Albertum Magnum, D. Thomam, Catharinum, Viguerium, Utinum, Thaulerum. Teſtatur quoque, *omnes* quotquot ſua ætate *Dominicanos Concionatores* audivit, *Immaculatam* Dei Genitricis *Conceptionem* coram populo prædicaſſe. Paragrapho decimo ejuſdem Tractatus, plurimum ponderat Gamaliëlis dictum: *Si eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur*; & ex generali omnium Fidelium, & totius Eccleſiæ, erga illam Sententiam, tunc temporis conſenſione, demonſtrat, *Opus Dei eſſe, non autem Hominum*; *prout*, ſubjungit ibidem, *erudite probavit Magiſter noſter Joannes a Penna, Univerſitatis Salamantinæ Cathedraticus*.

179. Veniat Pater Laurentius Guttierez ejuſdem Ordinis, qui anno 1618. Sermonem de Immaculata Conceptione coram Catholico Rege habuit, & Compluti edidit cum Epiſtola, eidem Regi inſcripta, ubi ſex enumerat rationes, quæ ipſum ad piam ſententiam, priori relicta, am-

amplectendam impulerant; quarum una, quarta videlicet, ſequentis eſt tenoris. „ La piedad, y devocion de los Fie„ les. Porque *eſta Conſpiracion, y unanime conſentimiento,* „ no ſolo de vulgo de ignorantes, ſino *de todas las Ge„ rarquias de Ombres Santos, y Sabios de la Igleſia*... es „ verdaderamente un grandiſſimo indicio de inſpiracion „ Divina; porque no era conforme a tan prudente, y al„ ta providencia permitir, que caſi toda la Igleſia erraſ„ ſe, no por un dia, ni dos, ſino por muchos años en „ coſa tangrave„ = *Apud P. Plazza pag.* 334. Pater autem Echardus *tom.* 2. *ad an.* 1627. de eodem Patre Guttierez ait: „ Cathedram Veſpertinam in Acade„ mia Complutenſi .... & Primariam rexit. Ab in„ genii acumine, & perſpicuitate Lectionum, apud o„ mnes plurimi factus. „ Et poſtea inter ejus Opera recenſet: *Sermon de la Concepcion Immaculada de la B. Madre di Dios, predicado en preſencia Del Rey Catolico D. Felipe III.* Quid ergo ulterius dixiſſent eruditiſſimi iſti Theologi, ſi his noſtris temporibus ſua exaraſſent Opera? Tandem cum apud Græcos, quatuor fere ſæculorum ſpatio, ignotum fuiſſet qua die natus fuerat Salvator Mundi, ac poſtea per aliquos, qui ex Occidente venerant, indicata fuiſſet; magna ſtatim ſolemnitate ab omnibus celebrari cœpit. Elapſis autem decem circiter annis, ac in dies, erga ejuſmodi 25. diem Decembris, creſcente Fidelium devotione, ſermonem habuit S. Joannes Chryſoſtomus, *tom.* 2. *edit. Maurin.* 1718. *pag.* 354., in quo ſequentia leguntur, Ibi = „ Habeo porro tres ad probandum demonſtra„ tiones, per quas omnino intelligimus, hoc ipſum eſſe „ tempus, quo Jeſus Chriſtus Dominus Noſter, ac Dei „ Verbum, in lucem eſt editus. Quarum hæc prima eſt, „ quod tanta celeritate quaquaverſus hoc Feſtum denun„ ciatum ſit, & ad tantum faſtigium excreverit, adeoque

„ incla-

„ inclaruerit. Et quod Gamaliel de prædicatione dixit:
„ *Quoniam ſi eſt ex Hominibus, diſſolvetur; Si vero ex*
„ *Deo eſt, non poteſtis diſſolvere illud, ne forte & Deo*
„ *repugnare inveniamini*. Hoc & ego fidenter de die hoc
„ pronunciaverim, quoniam ex Deo Deus Verbum eſt,
„ idcirco non ſolum non diſſolutum eſſe, quin potius per
„ annos ſingulos majus incrementum ſumere, clarioremque evadere. „ Hæc Sanctus Chryſoſtomus, quæ Sacroſancto noſtro Myſterio a fortiori applicari poſſunt; cum non ſolum decem annorum, ſed plurium Sæculorum ſpatio, *per annos ſingulos majus ſumat incrementum, clariuſque*, & celebrius *evadat*. Unde ſi hujuſmodi Cultûs decennale dumtaxat incrementum, veluti argumentum demonſtrativum a Sancto Chryſoſtomo reputatum fuerit ad probandum, eumdem Cultum ex Deo provenire, non autem ex Hominibus; demonſtrativum pariter a fortiori dici poteſt, ac debet in caſu de quo ad præſens agitur.

ARTICULUS XIV.

Novæ inſurgunt oppoſitiones contra titulum Immaculatæ, *tribuendum Conceptioni*.

180. ANno 1668. iterum recruduit, tempore Alexandri VII. ſopita, imo & deciſa controverſia circa titulum *Immaculatæ Conceptionis*. Sancti Officii Congregationi recurſum habuit generalis Conventualium Procurator contra Bononienſem, & Parmenſem Inquiſitores Dominicanos, qui de novo facultatem denegabant, typis mandandi hujuſmodi titulum; Eminentiſſimoſque Patres ſupplicavit, ut, attenta Conſtitutione ſan. mem. Alexandri VII. *Sollicitudo*, ſuper hac materia emanata, iniungere, & præcipere dignarentur Patribus Inquiſitoribus, ne

ſuos

Digitized by Google

ſuos hac in re perturbarent in poſterum Religioſos, *Sum. num.* 17. Recurſum etiam fecit Bononienſis Inquiſitor, ab eadem Sacra Congregatione quærens, utrum Concluſiones quaſdam, a Patribus Conventualibus ſibi præſentatas, typis mandari, ac publice defendi permittere deberet, in quarum titulo habebatur, eas defendi debere die 8. Decembris, *qua ab omnibus Chriſtifidelibus ſolemniter celebratur Feſtivitas Immaculatæ Conceptionis. Ibidem litt. A.* De ſolo *Immaculatæ* titulo hic revera non agebatur, ſed de integra propoſitione, videlicet; *quod ab omnibus Chriſtifidelibus celebretur Feſtum Immaculatæ Conceptionis*; ſeu de titulo *Immaculatæ*, qui *Conceptioni* tribuebatur, loquendo de Feſto quod ab omnibus celebratur. Die 7. Martii ejuſdem anni, R. D. Aſſeſſori iniunxerunt Eminentiſſimi Patres, ut Bullam ſan. mem. Alexandri VII. referret. Et in ſequenti Congregatione, die 14. celebrata, ab eodem lecta fuit dicta Bulla; conſideratoque illius tenore, fuit reſolutum, *Inquiſitori Bononiæ* ſcribendum eſſe, *quod in titulo dictarum Concluſionum nihil continebatur* Apoſtolicis Conſtitutionibus *repugnans*, ac per conſequens *illas currere relinqueret. Ibidem litt. B.*, & ita ſcriptum fuit 17. ejuſdem menſis. *litt. C.* Diuturno autem non indiguit examine hoc negotium; ex una enim parte, clara ſunt Conſtitutionis verba declarantis, Sanctam Romanam Eccleſiam, in Conceptionis Feſtivitate, Beatiſſimam Virginem colere, in primo ſuæ Creationis inſtanti, a peccato Originali præſervatam immunem; & hujuſmodi Cultum ab ejus inſtitutione in Eccleſia nunquam immutatum fuiſſe; & ex alia, varii in ſacra Congregatione reperiebantur tunc temporis Cardinales, inter quos Eminentiſſimus Albitius, qui pro exaranda dicta Conſtitutione cum Alexandro VII. fatigaverant, ac per conſequens germanum illius ſenſum optime callebant.

181. Die 5. Decembris 1669., Aſſeſſor Sancti Officii expoſuit Sacræ Congregationi Litterarum Inquiſitoris Cremonenſis Dominicani tenorem, ſequentibus verbis., „Non „ ha voluto paſſare alle ſtampe alcuni eloggj preſentatili „ da alcuni Regolari Franceſcani, e dei Servi, che dicono: „ *Immaculata Conceptio B. M. V.*, ma gli ha riſpoſto, „ che oſſervino la Bolla d'Alexandro VII., che dice: *Of-* „ *ficium, & Miſſa Conceptionis Beatiſſ. Virginis Immacu-* „ *latæ*; e non al riverſo, come dal congiunto Exempla- „ re. Per ovviare dunque all' arroganza di chi altera le „ Bolle, e Decreti Apoſtolici, attende i ſentimenti della „ Sagra Congregatione.„ Quis talia legens ſubito non crederet, Servitas, & Franciſcanos Apoſtolicas falſificaſſe, vel adulteraſſe Conſtitutiones? Decrevit nihilominus Sacrum Tribunal: *Reſcribatur Inquiſitori ad formam Litterarum ſcriptarum Inquiſitori Bononiæ die 17. Martii* 1668. *in caſu ſimili*.

182. Die 20. Septembris 1673., examinato in Sacra Congregatione Sancti Officii quodam Scripto, in quo continebatur novus modus colendi *Immaculatam Conceptionem* V. Mariæ; Eminentiſſimi, audito prius Voto Reverendiſſimi Magiſtri Sacri Palatii, prout ſequitur, decreverunt: *Reſcribatur Inquiſitori*, (Papiæ) *ut permittat impreſſionem Folii, cui titulus: Modo di pratticare una divota Novena ad Onore dell' Immacolata Concezzione della gran Madre di Dio &c.* In hujuſmodi autem Folio pluries habetur: *Immacolata Concezzione*; & in fine, ſequentes reperiuntur verſiculi: *In Conceptione tua, Virgo, Immaculata fuiſti = Immaculata Mariæ Virginis Conceptio, ſit nobis ſemper ſalus, & protectio = Sum. num.* 18.

183. Cum Reverendiſſimus Capiſucchius, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, ſub die 17. Februarii 1678. per Edictum publicum, parvum quoddam Immaculatæ Con-

Conceptionis Officium prohibuiſſet; ſan. mem. Innocentius XI., per Litteras in forma Brevis, 18. Decembris ejuſdem anni expeditas, Imperatorem certiorem reddidit, ſub dicta prohibitione non comprehendi Officium *Sicut Lilium*, a Sancta Sede approbatum. *Sum. num.* 19.; & reipſa, cum correctum tunc fuerit memoratum parvum Immaculatæ Conceptionis Officium, non ſolum nihil ab eo fuit expunctum, quod in Officio *Sicut Lilium* reperiretur; ſed ulterius, cum in ejuſdem Oratione haberetur: *Ut qui nunc tuam Sanctam Conceptionem devoto affectu recolo:* fuit emendatum, & poſitum: *Ut qui nunc tuam Sanctam, & IMMACULATAM Conceptionem devoto affectu recolo:* (*Ibid. litt. A.*) Quæ correctio eo majoris eſt ponderis, ac auctoritatis, quod pro ea peragenda, deputati ſpecialiter fuerint quinque Conſultores, inter quos adfuerunt D. Michael Angelus Riccius, ad cujus dumtaxat relationem prohibitum fuerat idem Officium, & Reverendiſſimus Capiſucchius, qui illud prohibuerat. Auxitque eamdem hujuſmodi parvi Officii correcti auctoritatem Innocentius XI., dum, Conſtitutione: *Creditæ nobis:* data 7. Junii 1680., in forma ſpecifica confirmavit Eccleſiaſticorum Bavariæ Statuta, in quibus præcipitur, quod Clerici pueri, qui præ ætatis teneritudine, Officium parvum B. M. V. necdum orant, *Officium Immaculatæ Conceptionis, a Sede Apoſtolica approbatum*, præcipue pro conſervanda caſtitate perſolvant. *Bullar. Roman. tom.* 8. *pag.* 135.

184. Acquieverant tandem Inquiſitores Dominicani, & impreſſionem *tituli Immaculatæ Conceptionis*, cohærenter ad Summorum Pontificum, & Congregationis Sancti Officii mandata plurium annorum ſpatio permiſerant. At cum Clemens XI. diem Conceptionis inter Feſta de præcepto adſcripſiſſet per ſuum Breve: *Commiſſi nobis:* dubita-

bitavit poſtea R. P. Ludovicus Gotti, Bononienſis Inquiſitor, an in poſterum impreſſionem hujuſmodi tituli permittere deberet. Non enim, inquiebat, Summus Pontifex in dicto Brevi, *Conceptioni* tribuit titulum *Immaculatæ*, ſed ſolummodo *B. M. Virgini*, dicens *Feſtum Conceptionis B. M. V. Immaculatæ*. Sacram igitur ſuper hoc conſuluit Congregationem, quæ 25. Maii anni 1712. decrevit: *Reſcribendum Patri Inquiſitori Bononiæ, quod non impediat imprimi Conciones, aliaque Themata, in quibus Conceptioni B. M. V. titulus Immaculatæ tribuatur* = Quibus non obſtantibus, anno 1734. iterum in Sacro Tribunali propoſitum fuit idem Dubium; & die 5. Januarii, præceperunt Eminentiſſimi Domini Cardinales, *ut colligerentur Decreta Sacræ Congregationis, ad rem facientia, & Cauſa denuo referretur*. Quibus collectis, ac mature conſideratis, & examinatis, die 19. ejuſdem menſis, & anni, iterum fuit reſolutum: *Permittatur titulus Conceptionis Immaculatæ*. Cumque, his denuo non obſtantibus, Inquiſitor Faventiæ ejuſdem tituli impreſſionem adhuc prohiberet; recurſu contra eum habito, die 22. Januarii 1738. iterum emanavit Decretum: *Scribatur Patri Inquiſitori Faventiæ, quod permittat ſervari ſolitum*. Ex quibus Deciſionibus in judicio contradictorio toties emanatis habetur, non poſſe amplius, a Sanctitatis ſuæ vel Sacrarum Congregationum Miniſtris inhiberi *titulum Immaculatæ Conceptionis*; & cohærenter ad Conſtitutiones Apoſtolicas eos ſe gerere, qui ſuſtinent, docent, & typis mandari ubique curant, *ab omnibus Chriſtifidelibus*, die Octava Decembris, *celebrari Feſtivitatem Immaculatæ Conceptionis*.

AR-

ARTICULUS XV.

Omnia Urbis Tribunalia in ſuis Decretis, Cardinales Urbis Vicarii in ſuis Edictis, & Summi Pontifices in ſuis Conſtitutionibus, titulum Immaculatæ Conceptionis *admittunt.*

185. TOt Contradictiones contra Sacrum Myſterium, toties per temporum intervalla refricatas, quis, amabo, abſque admiratione, & ſtupore audire, vel legere poterit? Ceſſet tamen admiratio, ceſſet & ſtupor. Agitur enim *de Immaculatæ Conceptionis B. V. Myſterio*, quod, Divina permittente Providentia, contrarietatibus ſemper patuit; ſed eadem ſimul diſponente, *palmæ ad inſtar*, ut alibi dictum eſt, *quo validius opprimitur, eo vehementius aſſurgit*. Hoc autem in præſenti caſu, magis forſan quam in ullo alio comprobatur. Jam ſupra vidimus §. 125. & *Sum. num.* 13. quod, diſſipatis procellis, quæ contra titulum *Immaculatæ Conceptionis* tempore Innocentii X. excitatæ fuerant, plurima emanarunt Brevia, ac plura Sac. Rit. Congregationis Decreta, in quibus, cubitalibus litteris, appoſitus fuit *dictus Immaculatæ Conceptionis titulus*, Adverſariis adeo exoſus factus. Quot autem, ab anno præſertim 1720., uſque ad 1746., emanaverint iterum ab eadem Sac. Rit. Congregatione, *cum eadem Immaculatæ Conceptionis expreſſione* Decreta, vix numerari poteſt. Duæ ſunt, dictæ Congregationis, Decretorum formulæ diverſæ; In una dicitur: *Sacra Rit. Congregatio conceſſit:* In alia vero legitur: *Sanctiſſimus Dominus noſter conceſſit*. Triginta, & amplius præ manibus habentur Decreta, juxta primam formulam edita, quibus fuit indultum, ut qualibet die Sab-

bati

bati non impedita, variis in locis recitaretur, ſub Ritu ſemiduplici, Officium *Immaculatæ*, vel Officium *Sanctiſſimæ Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. *Summ. num.* 20. Plurima alia juxta ſecundam formulam, & cum eadem *Immaculatæ Conceptionis* expreſſione emanarunt, pro eadem indulgenda gratia. *Ibid. litt. A.* Imo omnibus Dominiis, Cæſareæ Majeſtati extra Italiam ſubiectis, ſub Ritu duplici, & cum eodem *Immaculatæ Conceptionis* titulo, idem conceſſum eſt. *Ibid. litt. B.*; & proteſtati ſunt Summi Pontifices, hujuſmodi ab eis concedi gratias, *ad magis promovendam Devotionem erga Immaculatam Conceptionem* B. M. V. *Ibid. litt. C.*

186. Varia ſimiliter, cum eodem nomine *Immaculatæ*, vel *SS. Immaculatæ Conceptionis*, edita ſunt Decreta, quibus conceſſa eſt licentia Miſſam cantatam *de Immaculata Conceptione* celebrandi Sabbatis etiam feſto duplici impeditis. *Sum. num.* 21. Varia, quibus Feſtum, & *Officium Immaculatæ Conceptionis*, ad Ritum duplicem primæ Claſſis elevatum eſt. *Ibid. litt. A.* Varia, quibus confirmatæ ſunt electiones B. M. V. in Patronam, *ſub ſpeciali titulo Immaculatæ Conceptionis* peractæ. *litt. B.* Varia, quibus Officium proprium *Immaculatæ Conceptionis* fuit conceſſum. *Ibid. litt. C.* Varia tandem, quibus diverſæ aliæ conceſſæ ſunt gratiæ favore *Immaculatæ Conceptionis*. *Ibid. litt. D.* Nec dici poteſt, ſimilia Decreta a ſubalternis Sacræ Congregationis Miniſtris clandeſtine cum expreſſione *Immaculatæ Conceptionis* exarata fuiſſe; licet enim hoc ſuſpicari quis poſſet, ſi duo, tria, vel quatuor dumtaxat adeſſent hujuſmodi Decreta; cum tamen de tot, adeoque ingenti numero agatur, quorum plurima in Urbe typis edita fuerunt, & ubique terrarum publicata; nemo certe inveniri poterit, cui talis ſuſpicio in mentem veniat. Quod autem appoſitio, in his De-

Decretis, *tituli Immaculatæ Conceptionis*, non ſubalternis Miniſtris, ſed omnibus & ſingulis, ut plurimum, Eminent. Sac. Congregationis Patribus tribuenda ſit, perſpicue demonſtrari ulterius poteſt. Prævie ſiquidem ad cujuslibet Congregationis celebrationem typis mandantur Folia, & omnibus Eminentiſſimis Sac. Congregationis Cardinalibus diſtribuuntur, in quibus Cauſarum tituli apponuntur quæ ab unoquoque Eminentiſſimo in proxima Congregatione referri debent. Ii vero Cauſarum tituli in Folio exarantur iiſdem prorſus terminis, quibus continentur in Schedulis, a quolibet Eminentiſſimo Ponente tranſmiſſis. Unde cum Eminentiſſimus Tamburinus die 21. Martii 1744. quamdam referre deberet inſtantiam, a Barchinonenſi Cathedrali peractam, ſuamque tranſmiſiſſet Schedulam tenoris ſequentis, videlicet: *Barchinonen: Elevationis Ritus Feſti* CONCEPTIONIS *B. M. V. ad duplex primæ claſſis, pro Cathedrali dictæ Civitatis*. Eiſdem terminis fuit appoſita in Folio, pro dicta Congregatione tunc exarato, & typis dato. Hoc ſuppoſito, quædam excerpta ſunt e dictis Foliis, evidenter probantia, ipſos Eminentiſſimos Patres titulum *Immaculatæ* libenti ſemper animo tribuiſſe *Conceptioni*, quotieſcumque agebatur de Feſto, de Officio, & de Cultu ejuſdem Sacri Myſterii. *Ibidem litt. E.* Quædam pariter excerpta ſunt e ſimilibus Foliis, quæ Eminentiſſimis Patribus Sacræ Congregationis Concilii diſtribuuntur, & a Reverendiſſimis DD. ejuſdem Congregationis Secretariis exarantur. *Ibid. litt. F.*

187. Non ſolum autem Sacræ Congregationes Rituum, & Concilii Tridentini Interpretum *titulum Immaculatæ Conceptionis* admittunt, verum etiam & alia, Reliquiis & Indulgentiis præpoſita. Siquidem Benedictus XIII., die 5. Septembris 1725., per iſtius Congregationis Decretum benigne indulſit, ut in omnibus Eccleſiis Conventua-

lium

lium Germaniæ, & Galliarum acquiri poſſet indulgentia plenaria die Feſto *Immaculatæ Conceptionis*, non obſtante univerſali Indulgentiarum ſuſpenſione. *Summ. num.* 22.: & die 28. ejuſdem menſis, idem & cum eadem *Immaculatæ Conceptionis* expreſſione conceſſit pro Eccleſiis Minorum de Obſervantia. *Ibid. litt. A.* Anno vero 1727., die 2. Januarii, Summarium Indulgentiarum pro Crucibus, & Numiſmatibus, ab Abbate Montis Serrati benedictis, per ſex Conſultores *ad id ſpecialiter deputatos* confectum, approbavit, & in eo conceſſit: Primo, iis qui dixerint: *Benedicta ſit puriſſima, & Immaculata Conceptio B. M. V.*, quadraginta dies Indulgentiarum. Secundo, ſeptem annos iis qui Roſarium, vel Coronam B. M. V. recitaverint *in honorem ipſius puriſſimæ, & Immaculatæ Conceptionis*. Tertio tandem, varias alias Indulgentias iis qui, recitatis quibuſdam precibus, poſtea adiunxerint: *Benedicta ſit Sanctiſſima Trinitas, & laudetur Sanctiſſimum Sacramentum, ac Puriſſima Conceptio Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, conceptæ ſine peccato Originali*. Hoc autem Summarium die 21. Martii 1729. fuit ab eodem Summo Pontifice in forma ſpecifica confirmatum per Conſtitutionem = *Piis Orthodoxorum* = *In Bullar. Roman. tom.* 12. *pag.* 370.; & die 23. Decembris 1741. idem fuit conceſſum Crucibus, & Numiſmatibus, a Patribus Benedictinis Bohemiæ, Moraviæ, & Sileſiæ benedictis, ac poſtea in forma ſpecifica confirmatum a Benedicto XIV. per Bullam: *Ad augendam* = datam 12. Martii 1742. (*Habetur in Scriptura, Romæ eodem anno typis edita pro Indulgentia de qua in ſeq.* §.)

188. Anno 1742. Sereniſſima Dorothea, Parmenſis Duciſſa Vidua, ſupplicavit pro confirmatione, aut pro nova conceſſione Indulgentiæ centum annorum, a Gregorio XV. omnibus Chriſtifidelibus olim conceſſæ, qui

pie

pie & devote dicerent: *Benedicta ſit puriſſima, & Immaculata Conceptio Beatiſs. M. V.* Inveniri non potuit conceſſionis factæ Decretum; ſed tot argumentis, Documentiſque fuit eadem demonſtrata, ut Sacra Congregatio, Reliquiis & Indulgentiis præpoſita, ſub die 21. Maii ejuſdem anni, *omnium, & ſingulorum unanimi conſenſu, & Voto*, ſequens ediderit Reſcriptum, videlicet: *La Sacra Congregazione ha ſtimato poterſi accordare per nuova conceſſione, e pubblicazione di Decreto, l' Indulgenza di cento anni, da guadagnarſi una ſol volta il giorno, a chi pronunzierà, in qualunque Idioma, la Giaculatoria:* Benedicta ſit puriſſima, & Immaculata Conceptio B. M. V. *Quale Indulgenza ſi dice già accordata dalla Santa Memoria di Gregorio XV.* Sic legitur in Actis dictæ Sac. Congregationis, in quibus etiam ſequens adeſt ſan. mem. Benedicti XIV. Reſolutio, ſub die 8. Junii, a R. D. Secretario inſerta: *Sanctiſſimus non approbavit, ſuamque mentem hoc pacto mihi Secretario explicavit, ſcilicet quod Sanctitas ſua revocare non intendit Indulgentiam, vel eam de medio tollere, quæ a ſan. mem. Gregorio XV. creditur elargita, quatenus ea a præfato Summo Pontifice revera fuerit conceſſa. Intendit tamen eam de novo non elargiri; hocque, non ob remiſſam animi ſui erga Immaculatam Conceptionem Beatiſſimæ Virginis devotionem, ſed ob gravem inter Opus iniunctum, ac ipſam Indulgentiam incongruitatem* &c. Ex quibus reſultat, quod Summus Pontifex noluit Sacræ Congregationis approbare Reſolutionem, quamtumcumque unanimi, tum Eminentiſſimorum Cardinalium, tum Conſultorum Voto emanatam; non ob aliquam renitentiam promovendi in Eccleſia Cultum, & devotionem *erga Immaculatam Conceptionem*, ſed præciſe ob nimiam, quam putavit adeſſe diſtantiam inter Opus quod iniungebatur, & Indulgentiam quæ concedebatur.

Quapropter ſi Sacra Congregatio pro conceſſione minoris Indulgentiæ Sanctiſſimo conſuluiſſet, abſque ulla vel minima difficultate publicatum tunc fuiſſet Decretum, quo univerſis Chriſtifidelibus, ubique terrarum exiſtentibus, qui pie, & devote memoratam recitaſſent orationem: *Benedicta ſit puriſſima, & Immaculata Conceptio B. M. V.*, aliqua conceſſa fuiſſet Indulgentia, ſicuti pro Crucibus, & Numiſmatibus benedictis conceſſam vidimus.

189. Nec pariter renuit Sacra Eminentiſſimorum Dominorum Congregatio, negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, nec renuerunt plures alii Eminentiſſimi Cardinales, & varii Summi Pontifices, eumdem *Immaculatæ Conceptionis* titulum admittere, & approbare, quotieſcumque illud peragendi ſeſe eis obtulit occaſio. Unde cum Scholæ Chriſti Congregatio ſan. mem. Alexandro VII. ſupplicaſſet pro ſuarum Conſtitutionum approbatione, & confirmatione, in quarum capite 19. præcipitur, quod quicumque in dicta Congregatione recipiendus erit, ter primo dicere debeat: *Laudetur SS. Sacramentum, & puriſſima Conceptio Dominæ noſtræ ſine labe peccati originalis*; Deinde *quod* JURET *in manibus Obedientiæ*, id eſt Superioris, DEFENSURUM SE IMMACULATAM *Deiparæ Virginis abſque labe originalis peccati* CONCEPTIONEM. Idem Pontifex, audito prius Sacræ Congregationis Voto, cui illas examinandas commiſerat; die 10. Aprilis 1665. Litteras dedit Apoſtolicas, incip. *Ad paſtoralis dignitatis faſtigium*, quibus recenſitas Conſtitutiones in forma ſpecifica ſequentibus verbis approbavit, & confirmavit = „ Nos... præinſertas Conſti„ tutiones, in Congregatione Ven. Fratrum noſtrorum „ S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus „ Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, de mandato „ noſtro examinatas, & *approbatione, ac confirmatione*

Apo-

„ *Apoſtolica dignas judicatas*, auctoritate Apoſtolica tenore „ præſentium approbamus, & confirmamus pro Congregationibus, ſeu Confraternitatibus ſub nomine Scholæ „ Chriſti, & ſub earum Conſtitutionum obſervantia, „ tam hucuſque erectis, quam inpoſterum erigendis in „ univerſis Regnis, & Dominiis Hiſpaniarum, ac etiam „ in alma Urbe noſtra &c. „ *Bullar. Rom. tom. 6. part. 6. pag.* 54., *& ſeq.* Innocentius XI. per Breve: *Credita nobis:* dat. 7. Junii 1680. in forma etiam ſpecifica confirmavit Conſtitutiones Eccleſiaſticorum Bavariæ, in quibus præcipitur, quod Clerici pueri, qui præ ætatis teneritudine Officium parvum B. M. V. necdum orant, *Officium Immaculatæ Conceptionis, a Sede Apoſtolica approbatum* præcipue pro conſervanda caſtitate perſolvant. Iſtæ autem *Conſtitutiones*, inquit Summus Pontifex in dicto Brevi, *per Congregationem nonnullorum ex venerabilibus S. R. E. Cardinalibus, ſuper hoc negotio a Nobis ſpecialiter deputatam, reviſæ, & in nonnullis correctæ fuerunt*. = *Eod. Bullar. tom.* 8. *pag.* 135.

190. Alexandro VIII. pariter pro ſimili confirmatione ſuas præſentavit Conſtitutiones Ordo B. M. de Mercede, in quarum diſt. 1. cap. 3. jubetur recitari quotidie, poſt Orationem mentalem, Antiphonam Conceptionis cum Oratione, prout in ſuo Rituali, ea videlicet quæ incipit: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*; & diſt. 6. cap. 7. ulterius præcipitur, ut Graduandi, prævie ad Graduum receptionem, *JURENT tenere, tueri, defendere, prædicare, atque docere, Animam Beatiſſimæ Virginis in primo inſtanti ſuæ creationis, & infuſionis in Corpus, a peccato Originali præſervatam fuiſſe, & IN HOC SENSU Feſtum Conceptionis ejus ab Eccleſia celebrari*. Eas nonnullis Cardinalibus *mature, & diligenter* examinandas commiſit idem Pontifex; cumque ad Cœlos poſtea evolaſſet, Innocentius

XII. ipſius ſucceſſor, per Litteras in forma Brevis, incip. *Ex injuncto:* die 7. Decembris 1691. datas, ſpecifice eas confirmavit, ſequenti præmiſſa narrativa, videlicet = ,,
,, Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Martinus Sal-
,, vator Gilaberti Vicarius, & in Romana Curia Procura-
,, tor generalis Ordinis Fratrum B. M. de Mercede Re-
,, demptionis captivorum in Sacra Theologia Magiſter,
,, quod cum alias .... nova Conſtitutionum ejuſdem Or-
,, dinis coordinatio, ſeu compilatio facta fuerit, ſubinde
,, Conſtitutiones hujuſmodi ſic coordinatæ, ſeu compilatæ
,, ad fel. rec. Alexandrum PP. VIII. Prædeceſſorem no-
,, ſtrum tranſmiſſæ fuerint, ut ſuo, & hujus Sanctæ Sedis
,, patrocinio munirentur; ipſe Alexander Prædeceſſor eaſ-
,, dem Conſtitutiones ſibi exhibitas nonnullis ex Vener.
,, Fratribus noſtris, tunc ſuis, S. R. E. Cardinalibus, quo-
,, rum pietas, prudentia, rerum uſus, & Sacrorum Cano-
,, num peritia ſibi longe perſpecta erat, diſcutiendas com-
,, miſit, qui mandatis ejuſdem Alexandri Prædeceſſoris
,, morem gerentes, illas mature, diligenterque examina-
,, runt, & nonnullis adjectis, aliiſque, ubi opus fuit, cor-
,, rectis, & emendatis, Conſtitutiones ipſas in unum vo-
,, lumen redigi curarunt tenoris qui ſequitur, videlicet
,, &c.,, *Bullar. eod. tom.* 9. *pag.* 141. Ex quibus habetur, quod præfati Eminentiſſimi *mature & diligenter* dictum volumen examinarunt, & quod varia in eo correxerunt, & emendarunt, eo tamen intacto relicto, & approbato, quod noſtrum, ut ſupra, concernit Myſterium, ac ejus in Eccleſia Feſtivitatem.

191. Anno 1719. varia edidit Decreta generale Ordinis Minorum Conventualium Definitorium, quorum primum tenoris erat, & eſt ſequentis, nempe = ,, Sacra Mi-
,, norum Conventualium Religio, Beatiſſimæ Virginis Con-
,, ceptionem ſingularibus devotionis officiis a ſuis primor-
,, diis

„ diis quovis tempore proſecuta eſt. Quamobrem Majo-
„ rum ſuorum ſemitis inhærendo decrevit Venerabile De-
„ finitorium, eamdem B. Virginem *ſub titulo Immaculatæ*
„ *Conceptionis* in Patronam principalem ſibi aſſumere; fir-
„ miſſimam ex eo ſpem concipiens, futurum ut in Ordine
„ noſtro erga eamdem Deiparam, *ejuſdemque Immaculatæ*
„ *Conceptionis Myſterium* pietas, & religio in dies ferve-
„ ſcat, & augeatur.„ Mature fuerunt examinata a Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, ac poſtea, de ejus conſilio, omnia in forma ſpecifica, uno tamen excepto, videlicet nono (materiam de qua agitur nullatenus reſpiciente) a Clemente XI. approbata, & confirmata fuerunt per Litteras incip. *Ex injuncti nobis:* 7. Maji 1720. datas. *Eod. Bullar. tom.* 11. *pag.* 161. In forma item ſpecifica confirmavit Innocentius XIII. Conſtitutione: *In ſupremo:* dat. 3. Septembris 1723., Patrum Marianorum Congregationis Poloniæ Statuta, in quibus præſcribitur,„
„ ut Officium divinum juxta ritum Ordinis Minorum, &
„ in ſpecie *Officium Immaculatæ Conceptionis* recitetur: Ut
„ renovatio Votorum fiat quolibet anno in *Feſto Imma-*
„ *culatæ Conceptionis:* Ut Præpoſitus in ſingulis Domibus
„ aſſignet Promotores Confraternitatis *Immaculatæ Conce-*
„ *ptionis;* hique adlaborent, ut quamplurimos Clientes,
„ & Cultores *Immaculatæ Conceptioni* B. M. V. pariant.„
Approbaverat jam idem Pontifex die 26. Martii 1722. per aliam Conſtitutionem: *Cum ſicut:* Statuta Congregationis Immaculatæ Conceptionis, & S. Ivonis, apud Clericos Regulares Sancti Caroli ad Catenarios Romæ erectæ, in quibus cap. 10. habetur formula promulgandi Congregationis Officiales, noviter electos, videlicet: *In nomine SS. Trinitatis, & ſub invocatione Immaculatæ Conceptionis, ac S. Ivonis, Pauperum Advocati, electi ſunt &c.* Tandem Clemens XII. Conſt. *imperſcrutabilis:* data pridie. nonas

Decembris 1730., ſpecifice etiam, inſtante Philippo V. Rege Catholico, confirmavit Academiæ Cervariæ Conſtitutiones, de mandato Benedicti XIII. a Cardinalibus Pico, & Belluga prius examinatas, & probatas; in quibus, *cap.* 26. *De Candidatis*, præcipitur, ut *jurent*, ſe Immaculatam B. Virginis Conceptionem ſtrenue propugnaturos ibi: *jurabunt, ſe Immaculatam B. Virginis, hujus Academiæ Patronæ, Conceptionem, & Conſtitutionem* Unigenitus *ſa. me. Clementis XI: ſtrenue propugnaturos*. = *Eod. Bullar. tom.* 13. *pag.* 114. Ex quibus omnibus collective ſumptis habemus, non ſolum omnes Urbis Congregationes, verum etiam Summos Pontifices, de earum, & plurium aliorum Cardinalium conſilio, & Voto, in forma ſpecifica approbaſſe, & confirmaſſe tum *titulum Immaculatæ Conceptionis*, tum & *Vota*, ac *Juramenta* Sacrum Myſterium *ſub eodem titulo* tuendi, & prædicandi; ac ejuſdem Feſtum, & Cultum promovendi. Quæ omnia ab eo præſertim tempore peracta ſunt, quo idem titulus ab Adverſariis impugnari cœperat.

192. Nemo eſt autem qui ignoret, Statuta, & Decreta, in forma ſpecifica a Summis Pontificibus confirmata, veluti ab eiſdem directe, & immediate emanata conſiderari debere: *Ea noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impertimur*. (*In leg.* 2. *Cod. de veteri jure enucleando*.) Talia Statuta, & Decreta, Papalia evaſerunt, teſte Barbatio *Conſil.* 60. *num.* 14. & *ſeq. lib.* 3. Ibi = „ Statutum a Papa confirmatum in forma ſpecifica, tranſit in legem Papalem, perinde ac ſi ab ipſiſmet Pontificibus confirmantibus fuiſſet ordinatum; „ & Cardinali de Luca *de Regal. Diſc.* 3. *num.* 4. Ibi = „ Confirmatio Apoſtolica in forma ſpecifica ſtat loco „ novæ Conceſſionis, quæ ſuum debet ſortiri effectum, „ perinde ac ſi gratia confirmata, fuiſſet facta ab ipſo-

„ met

„ met Papa. „ Idemque tenent omnes, qui de hac materia tractarunt. Si quis vero de hoc iterum dubitaret, Clementis XII. Conſtitutionem mox citatam legat, Statuti confirmativam Academiæ Cervariæ, videlicet: *Jurabunt, ſe Immaculatam B. V. Conceptionem ſtrenue propugnaturos*. Præcipit ſiquidem in ea Summus Pontifex, quod iſtud Statutum, ſimul cum aliis, de verbo ad verbum, nullo penitus verbo omiſſo, ad unguem executioni mandetur: *Omnia, & ſingula præinſerta Statuta, & integrum eorum tenorem, de verbo ad verbum, nullo eorum verbo penitus omiſſo*: Quodque firmiter, & inviolabiliter obſervari debeat, eodem prorſus modo, ac ſi ab eo emanaſſet = *Perinde ac ſi a Nobis emanaſſent, firmiter, & inviolabiliter obſervari debere, Apoſtolica Auctoritate perpetuo decernimus, ac ſtatuimus*. Imo indignationem Omnipotentis Dei omnibus, & ſingulis minatur, qui illud vel in minimo infringere auſerint: *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam &c.* Ex quibus reſultat, quanti fieri debeant ſimilia Statuta, & Decreta, in forma ſpecifica a Summis Pontificibus confirmata. Tollant igitur Adverſarii, ſi poſſunt, a relata mox Clementis XII. Bulla, vel a Cervariæ Statutis, ſpecifice in ea confirmatis, verbum: *Jurabunt*, vel aliud: *Immaculatam*.

193. Tandem Eminentiſſimi Urbis Cardinales Vicarii, Edicta *pro Feſto Immaculatæ Conceptionis*, auctoritate ſua ordinaria, vel etiam de mandato Summorum Pontificum publicari curantes, memorata *Immaculatæ Conceptionis* expreſſione ut plurimum in eis utuntur. In Edicto Cardinalis Mareſuſchii, anno 1731. publicato *pro Immaculatæ Conceptionis Feſtivitate*, in Baſilica Sanctorum duodecim Apoſtolorum peragenda, dicitur, quod celebrabitur in dicta Eccleſia, 8. Decembris, *Feſtum Immaculatæ Conceptio-*

ceptionis, & invitantur Fideles ad Indulgentias ibidem lucrandas, a Sixto IV. olim conceſſas. In alio Cardinalis Guadagni anni 1738. invitantur Fideles *pro Feſto Immaculatæ Conceptionis* in Eccleſia Archiconfraternitatis Sanctæ Mariæ de Pietate. In alio ejuſdem Cardinalis anni 1742. idem Eminentiſſimus hortabatur Criſtifideles, ut Miſſionibus frequenter aſſiſterent, ac per hoc, *juxta Summi Pontificis mentem*, melius ſe præpararent ad celebrationem Feſti *Immaculatæ Conceptionis*. In alio anni 1743. notificatur Chriſtifidelibus, quod Benedictus XIV. quaſdam conceſſit Indulgentias, Triduo intereſſentibus, in Eccleſia Domus profeſſæ Societatis Jeſu peragendo prævie *ad Feſtum Immaculatæ Conceptionis*. In alio ejuſdem anni pariter notificatur, quod Sanctitas Sua Indulgentiam conceſſit viſitantibus Sacrorum Stigmatum Eccleſiam *die Feſto Immaculatæ Conceptionis*. In alio anni 1747. invitantur Chriſtifideles ad Novendium, quod in Eccleſia Sanctorum duodecim Apoſtolorum fieri debet, ut digne ſe præparent pro celebrando *Immaculatæ Conceptionis* Feſto. *Sum. num.* 27., & quolibet anno plura videntur in Urbe ſimilia Edicta, in quibus pariter legitur *Immaculatæ Conceptionis Feſtum*.

194. Concludamus ergo, nullum in Romana Curia adeſſe Tribunal, quod non admittat, quod venerationi non habeat *titulum Immaculatæ Conceptionis*; nullumque in Orbe Catholico reperiri Angulum, quo non pervenerit, ubi publicatum non fuerit aliquod Apoſtolicum Decretum, eumdem *Immaculatæ Conceptionis* titulum continens. Præcepit Sancta, & Univerſalis Inquiſitio, præceperunt & Summi Pontifices, ut titulus ille, in Urbe, & in Orbe libere currere ſineretur, non ignorantes, illum in Baſilica Lateranenſi, omnium Urbis, & Orbis Eccleſiarum Matre, cubitalibus litteris palam, & aperte, plu-

plurium Sæculorum ſpatio, exaratum extitiſſe, ut Chriſtifidelium, Jubilæi præſertim, & quolibet alio tempore, dictam Eccleſiam viſitantium pietas creſceret, ac devotio erga Sacrum *Immaculatæ Conceptionis* Myſterium. Videatur ſuper hoc Cardinalis Raſponus, qui, *de Baſilica Lateranenſi*, *lib.* 3. *cap.* 12. ſequentia refert: *Reperi in Eccleſiæ monumentis, in Sacello Sancti Johannis Evangeliſtæ, ſuperioribus Sæculis, extitiſſe Altare, Immaculatæ Conceptioni B. M. V. dicatum, quod variis circum ad pietatem compoſitis Sententiis in Deiparæ honorem decorabatur, atque ad ſuperiorem partem Altaris ſic erat inſcriptum:* Girum Cœli &c. *A latere dextro:* Immaculatam Conceptionem V. M. celebremus ... *Quæ omnia antiquis characteribus expreſſa fuiſſe teſtatur manuſcriptus Codex, & forſan ab uſque Hilari Sanctiſſimi Pontificis tempore exarata.* Illum eumdem titulum centies in ſuis Decretis adhibuerunt Sacræ Congregationes Rituum, Concilii Tridentini, Indulgentiarum, Epiſcoporum, & Regularium; & in ſuis Edictis Eminentiſſimi Urbis Cardinales Vicarii. Illum recipiunt, & confirmant Summi Pontifices in ſuis Litteris Apoſtolicis; illumque in ſuis Conſtitutionibus adhibent, & adhiberi præcipiunt, prout fecit Urbanus VIII. *Summ. num.* 34. Ipſa tandem Sancta Romana Eccleſia Miſſam, & Officia Divina olim ordinavit, quæ ſpatio centum fere annorum decantavit, etiam in duobus generalibus Conciliis, Lateranenſi ſcilicet, & Tridentino, legitime in Spiritu Sancto congregata, in quorum Oratione dicebat: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparaſti:* & in Verſiculo: *Immaculata Conceptio eſt hodie Sanctæ Mariæ Virginis*; ac in Invitatorio: *Immaculatam Conceptionem V. M. celebremus: Chriſtum, ejus Præſervatorem, adoremus Dominum.*

195. Plures conceſſerunt Indulgentias Summi Pontifices iis, qui vel memorata recitarent Officia, vel ipſorum recitationi intereſſent. Varias itidem iis, qui dixerint: *Benedicta ſit Puriſſima, & Immaculata Conceptio B. M. V.* Qui Coronam B. V. recitaverint *in honorem ipſius Puriſſimæ, & Immaculatæ Conceptionis*; vel qui dixerint: *Laudetur Puriſſima Conceptio Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, Conceptæ ſine Peccato Originali*. Tandem *Immaculatam fuiſſe* glorioſæ Virginis *Conceptionem, ubique terrarum*, in Scholis, & in Eccleſiis, a tempore immemorabili, inter Doctrinæ Chriſtianæ Articulos *traditur, & docetur*, ut Articulo ſequenti mox videbimus, inſtantibus, exhortantibus, & præcipientibus Summis Pontificibus: In omnibus Hiſpaniarum Regnis nulla fit, nec fieri poteſt ad Chriſtifideles Concio, niſi Prædicator, quicumque ille ſit, per ſequentia incipiat verba, videlicet: *Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum, & Immaculata Conceptio B. V. M.* Et Hiſpaniarum Regna, ac Luſitaniæ, nec non plurimæ Civitates, imo, & integræ Provinciæ Germaniæ, Poloniæ, & Italiæ; ac fere omnes Orbis Catholici Univerſitates Votum emiſerunt, eamdem defendendi *Immaculatam Conceptionem*. Non mirum igitur, ſi per Feſtum, vel per Officium *Conceptionis*, nil aliud intelligatur niſi Feſtum, & Officium *Immaculatæ Conceptionis*; nec mirum pariter, ſi per Feſtum, vel per Officium *Immaculatæ*, ab omnibus Chriſtifidelibus nil aliud ubique terrarum intelligatur, niſi *Immaculatæ Conceptionis* Feſtum, & Officium; *Immaculée* (dicitur in Compendioſo Dictionario Theologico, Pariſiis Gallice typis edito anno 1756. *Immaculée, ſans tache. Terme qui ſe dit de la Conception de la S. Vierge, que l'Egliſe reconnoît être Immaculée. C'eſt a dire, que la Sainte Vierge a été preſervée du peché Originel au moment de ſa Conception dans le Sein de ſa* *Me-*

Mere. Si ergo piis Lectoribus offenſioni ea fuerint, quæ Articulo præcedenti contra Sacrum Myſterium, ac ejus titulum peracta fuiſſe narravimus; ſolatio eiſdem ſint in præſenti relata; & ex eis magis, ac magis agnoſcant, idem noſtrum Myſterium *eo vehementius aſſurgere, quo validius opprimitur*.

ARTICULUS XVI.

Ab immemorabili tempore, inſtantibus, & præcipientibus Summis Pontificibus, in Scholis, & in Eccleſiis, tamquam Articulus Doctrinæ Chriſtianæ, *ubique terrarum traditur, & docetur, quod* Immaculata *fuerit Beatiſſimæ Virginis* Conceptio; *& hoc cohærenter ad Sancti Auguſtini principia*.

196. MAjorem cum Officiis Divinis connexionem nulla res habet, quam Doctrina Chriſtiana, illiuſque declaratio, ſeu methodus, qua Populo Chriſtiano explicatur. In illis ſiquidem Redemptoris noſtri, & glorioſæ Virginis, ejus Genitricis Myſteria celebramus, nec non & Sanctorum Feſtivitates, qui cœleſtem aulam conſtituunt: Per iſtam vero modum, & legitimum ſenſum, quo illud peragere tenemur, ab infantia diſcimus, & *Cœleſtis Doctrinæ pabulo enutriti, in ſemitam mandatorum Domini feliciter dirigimur*, ut dicebat fel. rec. Benedictus XIV. in ſua Encyclica, inferius citanda. De Doctrinæ Chriſtianæ Libello ſermo non eſt, qui in una, vel altera Parochia, in una, vel altera Diœceſi particulari adhibetur; ſed de illo dumtaxat, qui ab immemorabili tempore, de mandato Summorum Pontificum, & ad eorum urgentes, & iteratas inſtantias ubique terrarum omnibus Chriſtifidelibus proponitur, ac explana-

tur. Hoc autem ſuppoſito: De expreſſo Clementis VIII. mandato, Robertus Bellarminus, ad ſacram Purpuram poſtea evectus, Libellum Doctrinæ Chriſtianæ exaravit, in duas partes diviſum, unam videlicet Brevem, & Compendioſam pro Pueris, & incipientibus; alteram vero Uberiorem, & Copioſiorem pro Adoleſcentibus, provectis, & Magiſtris.

197. Quanti ponderis, & momenti eſſet pro Eccleſia Catholica illud negotium, nemo eſt qui non videat. Abſit enim quod Parochi, & Epiſcopi ad ipſius Sanctæ Sedis inſtantiam, aliquid falſum in Eccleſiis, & in Scholis docerent, vel ab eo contrarium, quod in Officiis Divinis colere, & celebrare curarent. Remiſſus igitur fuit memoratus Bellarmini Libellus Sacræ Congregationi, pro abuſuum reformatione ſuper hac eadem materia in Eccleſiam introductorum deputatæ, ut illum exacte, & rigide, juxta rei exigentiam, examinaret. Quo ab eadem Congregatione peracto, dictus Summus Pontifex Auctoritate Apoſtolica illum approbavit per Breve incip. *Paſtoralis Romani Pontificis:* dat. 15. Julii 1598. &, *ut poſthac unus, idemque modus in docendo, & diſcendo Doctrinam Chriſtianam ab omnibus teneretur*, illum typis mandari curavit; ac præcepit, ut Romæ, & in ejus Diſtrictu, ſolus ille adhiberetur, & proponeretur Libellus; omnibuſque totius Orbis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Parochis &c. plurimum in Domino commendavit, ut in ſuis reſpective Eccleſiis, & Diœceſibus Libellum hujuſmodi in docendo Chriſtianam Doctrinam adhiberent, & adhiberi curarent. *Sum. num.* 24.

198. Traductus conſequenter fuit in omnes fere linguas, Latinam, Gallicam, Hiſpanam, Polonam; & de mandato Summorum Pontificum, ac Sac. Congregationis de Propaganda fide, in Arabicam, Illyricam, Armenam, Græ-

Græcam, Anglicam, Vallicam, Rethicam, Biſayam, quæ eſt una e principalibus linguis Inſularum Philippinarum &c. *Ibidem litt. A.* In variis Conciliis, & Synodis Provincialibus, ac Diœceſanis iniunctum, & mandatum fuit, ut idem in Eccleſiis, & Scholis reciperetur, & adhiberetur Libellus. *litt. B.*, ubi etiam habetur, illum jam de anno 1600. in linguam Gallicam, & de anno 1607. in *Polonam* traductum fuiſſe. Cumque Urbanus VIII. in ſua Conſtitutione: *Ex debito*; data 22. Februarii 1633. (*Bullar. Rom. tom. 6. part. 1. pag. 336.*), varia pro felici progreſſu Miſſionum Indiarum Orientalium decreviſſet, inter alia præcepit, *ut Religioſi in inſtruendis Populis Catechiſmum Romanum, & Doctrinam Chriſtianam parvam, & magnam bo. mem. Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmini nuncupati, in linguas prædictorum Populorum translatas, & impreſſas, ſi fieri poſſet, omnino adhiberent. Sum. litt. C.* Et Benedictus XIV. in ſua, *de Doctrina Chriſtiana Populis tradenda*, ad univerſos Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos Encyclica, incip. *Etſi minime:* data 7. Februarii 1742. (*in ſuo Bullario tom. 1. pag. 67.*) ponderato prius *quanta cura ab omnibus provehendum ſit tam pium, tamque ſalutare opus Doctrinæ Chriſtianæ*, ſequentibus verbis eos ſic hortatur: *Clementis PP. VIII., aliorumque Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, hortamur in Domino, & enixe commendamus, in Doctrina Chriſtiana tradenda, adhibere Libellum, de Clementis ejuſdem mandato, a Cardinali Bellarmino conſcriptum, mox in deputata Congregatione* DILIGENTER *examinatum, & approbatum; ac denique ab eodem Clemente in lucem eo ſaluberrimo conſilio edi juſſum, ut unus deinceps, idemque modus in docendo, & diſcendo Chriſtianam Doctrinam ab omnibus teneretur. Sum. litt. D.* Tandem bo. mem. Cardinalis Guadagni, ejuſdem Pontificis in Urbe Vicarius, duo edidit, & ſub diebus 3. Octobris

bris 1740., & 25. Januarii 1750. publicavit Edicta, contra eos, qui dictum Bellarmini Libellum, ſine licentia Archiconfraternitatis Doctrinæ Chriſtianæ, typis dabant, aut vendebant; in quorum primo aſſerit, tum parvam, tum & copioſam dictam Doctrinam, de Clementis VIII. mandato editam fuiſſe, *ut unus in perpetuum, idemque modus teneretur, in iis docendis, & diſcendis, quæ Fidelis quilibet credere, ſperare, & obſervare debet*. In ſecundo verò refert, tredecim Summos Pontifices, a Clemente VIII., uſque ad Benedictum XIII., facultatem privativam, ut dicunt, dictæ Venerab. Archiconfraternitati conceſſiſſe, typis edendi, vendendi, & diſtribuendi, per totum Eccleſiaſticum Statum, toties jam recenſitum Libellum. *Ibidem litt. C.*

199. In ſecunda autem hujuſmodi Libelli parte, uberiore ſcilicet in tot linguas, ut *litt. A.* mox vidimus, traducta cui titulus: *Dichiarazione più copioſa della Dottrina Criſtiana:* illa Salutationis Angelicæ verba: *Gratia plena:* ſic Fidelibus explicantur: *La Madonna è piena di grazia, perchè eſſa non ha mai avuto macchia di peccato veruno, nè Originale, nè Attuale*. Et iſta alia: *Dominus tecum:* hoc modo: *Queſta è un' altra lode ſingolare della Beatiſſima Vergine, la quale ci ſignifica, che il Signore è ſtato con la Madonna dal principio della ſua Concezzione con una perpetua aſſiſtenza, governandola, indrizzandola, e diffendendola*. Iſta eſt Doctrina, quæ centum & ſexaginta abhinc annis in Eccleſia Catholica docetur, plaudentibus ubique omnibus Epiſcopis, & ſingulis Chriſtifidelibus: *Maria nullam unquam contraxit Peccati Originalis maculam, & ab initio ſuæ Conceptionis, Dominus fuit ſemper cum illa*. Hæc Salutationis Angelicæ expoſitio proponitur ab Eccleſia, & univerſali Eccleſiæ a Sancta Sede, tamquam Doctrina, ubique terrarum ab omnibus Chriſtifidelibus, ab ipſa infantia

addi-

addiſcenda; ita ut de Pia Sententia dicere id valeamus, quod de ipſius Originalis Peccati Doctrina *lib.* 2. *contra Julian. cap. ultim. num.* 37. ajebat Auguſtinus: *Quam Fideles in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerunt, cujus lac, & cibum parvis, magniſque miniſtraverunt* = Ave Maria, *gratia plena:* Ave Maria, *quæ nulla Peccati Originalis labe infecta unquam fuiſti*. Ut hoc doceatur, hortantur imo & ſtricte præcipiunt Summi Pontifices, & per eos hortatur, & præcipit ipſamet Catholica Eccleſia, legitimum verborum iſtorum: *gratia plena:* ſenſum perfecte callens, quæ a Sancto Luca per vocem græcam: κεχαριτωμένη: exprimuntur; quæ quidem vox idem ſignificat, ac *fabricata, & formata ex gratia*, vel *in gratia*; ut jam vidimus §. 17., & licet ſignificet etiam *formoſa*, Cœlorum tamen Reginæ applicata, in ſenſu communi & generico accipienda non eſt; ſi enim ampliandi ſunt favores, hoc præſertim fieri debet, cum de Beatiſſima Virgine agitur; ac proinde quotieſcumque recitamus Salutationem Angelicam; quotieſcumque dicimus: *Ave Maria, gratia plena*; toties coram Deo revera profitemur, *Mariam nullam unquam contraxiſſe peccati originalis labem*. Unde Pater Lezzana, *in Apolog. pro Immac. Concept.*, loquens de Præſervatione B. V. ab Originali, ait: *Hanc veritatem ingenti Eccleſiæ plauſu conclamatam, omnes firmant, & proteſtantur Fideles, ſi, intentione minime intorta, Oratione Angelica eam Salutantes, Ave gratia plena iterum reſonent, & ſæpius*.

200. Cum Origene ſciebant Summi Pontifices, in Scripturis Sacris alibi non reperiri illam vocem græcam, ipſamque pro ſola exprimenda Salutatione Angelica reſervatam videri = *Quod græce dicitur* κεχαριτωμένη: *ubi in Scripturis alibi legerim, non inveni. Soli Mariæ hæc Salutatio ſervabatur.* (*Orig. homil.* 2. *in Luc.*) Sciebant, Sanctum Stephanum in textu græco κεχαριτωμένος minime vocari, quamvis.

vis *plenus gratia* in noſtra Vulgata dicatur. Sciebant, quod ob hanc Salutationem, Sanctus Amphilochius, quinto ſæculo, Mariam vocavit, *fabricatam* ſine nota, & ſine crimine: *Qui antiquam illam Virginem* (Evam) *ſine probro condidit; ipſe & ſecundam* (Mariam) *ſine nota, & crimine fabricatus eſt*. (ſupra §. 25.) & Sanctus Proclus, *formatam* ex mundo luto: *Non meminerat* (S. Joſephus) *potuiſſe eam effici Dei Templum, quæ ex mundo erat formata luto*. (§. 26.) & *conditam* a Deo ſine ulla dedecoris nota: *Nullam ille inde contrahit labem, quod intra viſcera, quæ citra omnem dedecoris notam condiderat, inhabitat*. (ibidem) Sanctus Andreas Cretenſis, Sæculo ſeptimo, univerſali fermento non fermentatam: *Ex ea, univerſali fermento non fermentata, fit panis ad generis reſtaurationem*. (§. 31.) & Græci in ſuis Officiis divinis, de ſterili utero *ex gratia contextam:* in arida matrice *gratiâ ſcaturientem*; (§. 12.) ac Theodorus, Sæculo octavo, omnis intelligibilis naturæ gloria & claritate *creatam* ſublimiorem. *Quæ vere Dei Mater eſt, ante partum, & poſt partum virgo, atque omnis intelligibilis, ac ſenſibilis naturæ gloria, & claritate, creata ſublimior*. (*Theod. Patriarc. Hieroſol., Epiſt. Synod., in 7. Synodo gener. approbata*.) Sciebant, quid Sanctus Joannes Damaſcenus, de ea loquens, eodem octavo Sæculo dixerit *Orat.* 1. *de Nativ. B. M. V.* Ibi = *Natura gratiæ cedit, ac tremula ſtat, progredi non ſuſtinens.... Natura gratiæ fœtum antevertere minime auſa eſt. Verum tantiſper expectavit, dum gratia fœtum ſuum produxiſſet*; & ulterius: *O beatos Joachimi lumbos, ex quibus prorſus immaculatum ſemen fluxit! O præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis formatus fuit Sanctiſſimus fœtus... Beatus venter, in quo Deus Sanctificationis Arcam, hoc eſt eam, a qua ipſe ſine ſemine conceptus eſt, fabricavit*. Adduut

dunt

dunt aliqui ex noſtris S. Baſilium *Homil. de Chriſti gener.* dicentem: *Ex ſanctitate compacta caro digna erat, ut Deitati Unigeniti uniretur*; ſed de carne Chriſti, non vero B. Mariæ loquitur ibi S. Baſilius.

201. Sciebant tandem, Cœlorum Reginam inferioris non eſſe conditionis, quam Terrarum Imperatrices; quodque, ſi, juxta Romanas Leges, Cæſares omnia iſtis concedebant privilegia, quæ ipſi habebant: *Auguſta, licet Legibus ſoluta non ſit; Princeps tamen eadem privilegia illi concedit, quæ ipſe habet = Ulpianus L. 1. ff. de Legibus*, Idem ſine dubio fecerit Redemptor Mundi, illius favore, quam propria manu, ut Mater ſua foret, ipſe fabricabat: *Hæc, quam tu deſpicis, Manichæe, Mater mea eſt, ſed de manu mea fabricata. Ego Matrem de qua naſcerer feci; ego viam meo itineri præparavi. = S. Auguſt., vel auct. libri de quinq. hæreſ. Cap.* 5. Unde S. Hieronymus, vel ut alii volunt, Sophronius, *Epiſt. de Aſſumpt.* abſque ulla prorſus difficultate aſſeruit, *quod Mariæ ſimul tota ſe infudit plenitudo gratiæ; quodque in ea totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quamquam aliter*. Simul igitur, *non ſucceſſive*, Mariæ tota ſe infudit plenitudo gratiæ, quæ in Chriſto eſt, ſed aliter; in ea ſcilicet per privilegium, in illo vero de jure. Ut enim recte obſervavit olim Guillelmus Pepinus, Ordinis Prædicatorum, *ſupra* §. 105. citatus: *Conceptio Chriſti non potuit aliter eſſe, quam Sancta; Conceptio autem Virginis Mariæ, niſi divinitus, & ex ſpecialiſſima Dei gratia fuiſſet præventa, & præſervata; utique fuiſſet vitioſa, polluta, & maculata, ſicut & Conceptiones cæterorum hominum*. Sibi igitur perſuadeat qui voluerit, vel poterit, Redemptorem noſtrum propriæ Matri id denegaſſe, quod Matri Cain conceſſum fuerat; creationem videlicet Animæ, Diaboli jugo minime ſubjectæ.

202. Quique de Immaculata Deiparæ Conceptione adhuc dubitat, ſibi, & aliis perſuadeat, ſi poſſit, ſequentes Leges omnium hominum favore (excepta dumtaxat Beatiſſima Virgine in caſu de quo agitur) emanaſſe, & publicatas fuiſſe, videlicet: *Iniquiſſimum eſt, Patrem, aut Matrem egere, cujus Filius ſit in facultatibus = Ambigua interpretanda ſunt in meliorem, & humaniorem partem = Odia reſtringenda, favores ampliandi = Cum de alicujus libertate dubitatur, ſemper in libertatis favorem Sententia ferenda eſt = Cum jura Partium ſunt obſcura, Reo potius eſt favendum, quam Actori.* Hæc autem Sacri Myſterii Adverſariis dicta ſint, non vero ejuſdem Devotis, qui nil ambiguum, nil dubium, nil obſcurum in eo reperiunt. Imo unanimiter cum Venerab. Dionyſio Carthuſiano, *lib.* 3. *Sent. diſt.* 3. *qu.* 1. *verſus finem*, clamare non ceſſant: *Horremus, Mulierem quæ caput Serpentis contritura erat, quandoque ab eo contritam: Atque Diaboli Filiam fuiſſe, Matrem Domini fateri: Inſuper & Dominam Angelorum, Servam fuiſſe Peccati: Atque amantiſſimam Dei Patris Filiam, quandoque fuiſſe Filiam Iræ*. Poſtea ſubjungunt: Horreremus dicere, Dei inimicam, Diaboli ſervam, immundam, fœdatam, & conſpurcatam, etiam per unicum inſtans illam fuiſſe, *præ cæteris electam Creaturam, quæ quidem ex Ore Altiſſimi prodivit Primogenita ante omnem Creaturam, & in omni Populo, & in omni Gente Primatum habuit. = Eccleſ.* 24., *& Clemens XIII., Sum. noſtro num.* 32. Quis enim abſque horrore audire poſſet, fœditates, ſpurcitias, & immunditias *ex Ore Altiſſimi* prodiiſſe? Quidquid ex Ore Altiſſimi prodit, *vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis Omnipotentis, in quod NIHIL INQUINATUM INCURRIT. = Sap.* 7. 25. Sique Templum Salomonis quod, ex Sanctis Patribus, mera erat figura Beatiſſimæ Virginis, de lapidibus dolatis, atque per-

perfectis fuit ædificatum: *Domus autem, cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata eſt.* = 3. *Reg.* 6. 7., a fortiori ipſa Beatiſſima Virgo (de qua vere dici poterat: *Opus namque grande eſt: neque enim homini præparatur habitatio:* de qua die Conceptionis Feſto Græci cantant: *in utero geritur, ac formatur Templum divinum*) formari debuit ſine nota, & crimine, & citra omnem dedecoris notam, ut inquit S. Proclus: a fortiori eadem Beatiſſima Virgo (de qua dicit S. Bernardus Serm. 9. de B. V. *Magnus Dominus ædificavit ſibi Domum, id eſt Virginem Mariam*; & poſt eum Sapientiſſimus Idiota, Raimundus videlicet Jordanus, de contempl. Deip. cap. 4. = *Sapientia ædificavit ſibi Domum, ipſam ſcilicet Matrem ſuam Virginem Mariam:*) Eadem, inquam, Beatiſſima Virgo non debuit habitari a Diabolo. Non debuit Diabolus, hujuſmodi Domûs primitias ſibi uſurpare in præjudicium, imò & in opprobrium Omnipotentis Architecti, de quo tunc aſſeri potuiſſet, *ædificaſſe Domum*, non ſibi, ſed Diabolo. Abſit, ut ſimilia de Beatiſſima Virgine dicantur, quæ nihil unquam aliud fuit, *niſi Domus Dei, & Porta Cœli: Domus Domini firmiter ædificata, & bene fundata ſupra firmam petram.* Dicamus potius de ea cum Origene: *Accipite eam ſicuti Unigeniti manſionem, ſicut Domum Dei, ſicut Creatoris omnium propriam, ſicut Regis, Cœleſtiſque Sponſi Domum Immaculatam.* = *Orig. homil.* 1. *ex variis, ſeu in Math.* Dicamus ei cum Georgio Nicomedienſi, *Orat. de Oblat. Deip.*, ibi = *Tuam gloriam Creator eſſe propriam putat, & tamquam Filius in hac gloria tua exultat.* Dicamus ei cum S. Cyrillo = *Salve per quam Dæmones fugantur, per quam tentator Diabolus de Cœlo decidit, per quam prolapſa Creatura in Cœlum aſſumitur*; & cum eodem exclamemus: *Quis unquam audivit, Ædificatorem prohiberi, ne proprium Templum, quod ipſe conſtruxerit,*

inhabitaret? Apud Labbe *tom.* 3. *Concil. col.* 1114. Licet enim iſta verba de Incarnationis Myſterio ibi dicta fuerint, recte tamen etiam applicantur Beatiſſimæ Virginis Immaculatæ Conceptioni. Tandem concludamus cum Cornelio Muſſo, ad Epiſcopatum Bitontinum a Paulo III. promoto: „ Ut Adæ Filia, non inficior, quod omnino „ & ipſa cum reliquis omnibus meruit immunditia illa „ coinquinari. At in Scripturis Sanctis non lego eam Adæ „ Filiam. Lego eam Dei Matrem: *De qua natus eſt Je-* „ *ſus, qui vocatur Chriſtus*. Lego eam plenam gratia: „ *Ave gratia plena*. Lego eam Dei Comitem individuam: „ *Dominus tecum*. Lego eam ſimpliciter benedictam: *Be-* „ *nedicta tu in mulieribus*. Lego eam ab omnibus gene- „ rationibus glorificatam: *Ecce enim ex hoc beatam me* „ *dicent omnes Generationes*. Lego, in ea *Magna feciſſe* „ *eum, qui potens eſt*. Cum his omnibus conferens Pec- „ catum Originale, Maculam, Reatum, fomitem, Pœ- „ nam Æternam, Dei Iram, & Odium; Horret auris pia, „ & religioſa dicere, in Matre Dei (quæ invenit gratiam „ apud Deum, quæ ſalutem Mundo peperit, quam lau- „ dant Aſtra matutina, cum qua eſt Dominus, cui ma- „ gna fecit Omnipotens) hanc tantam, vel per inſtans, „ labem fuiſſe &c.„ *Comment. in Epiſt. ad Rom. cap.* 5.

203. Doctrinam ſupra relatam, videlicet quod Beatiſſima Virgo *formata* & *contexta* fuerit *ex gratia*, & *ex luto mundo*: Quod *ſine nota*, & *crimine* fuerit *fabricata*, & *ſublimior* naturis omnibus *creata*; plurimum olim illuſtraverat Pater Alphonſus de Cabrera, Ordinis Prædicatorum, qui, anno circiter 1595., tres edidit Hiſpanico Idiomate *de Immaculata Conceptione* Sermones, in quorum primo, *tom.* 1. *Conſid. ſup. Evang. pag.* 174. *edit. Cæſaraug.* 1610. ſupponit, quod Chriſtus Dominus, ſtatim ac fuit Incarnatus, Sacrificium Patri æterno obtulerit, mortem

in

in illo primo inſtanti jam acceptans in utero Beatiſſimæ Virginis, quem proinde uterum, veluti Altare Sacrificii peracti repræſentat. Hoc autem ſuppoſito, Machabæorum factum refert, qui, poſtquam mundaverunt Sancta, „ Altare Holocauſtorum, quod profanatum erat, demoliti „ ſunt, *ne forte illis eſſet in opprobrium*; & acceperunt „ Lapides integros, & ædificaverunt Altare novum, ſecundum illud, quod fuit prius. „ Et hoc factum Creationi Beatiſſimæ Virginis ſequentibus verbis applicat, videlicet = Multæ ſunt Animæ Sanctæ, Deo Sacræ, in qui„ bus ipſe habitat per gratiam, quæ cum contaminatæ „ fuerint per peccatum, reconciliantur Deo per baptiſ„ mum, vel per pœnitentiam, quin Divinam dedeceat „ Majeſtatem, quod Deus iterum habitet in eis. Verum„ tamen *Altare Sacratiſſimum* (B. Virgo Maria) in quo „ Dei filius ſe obtulit æterno Patri in holocauſtum im„ menſæ ſuavitatis, acceptans mortem a primo ſuæ Con„ ceptionis inſtanti in Utero Virginis, non ſatis mundari „ poterat, ſi unquam contaminatum fuiſſet; *foret enim in* „ *opprobrium Summo illi Sacerdoti*, ſi in eo Altari ſacrifi„ caret, *ubi prius fuerat Dæmonis Simulacrum*. Oportuit „ ergo, ut fuerit Altare novum, *ex integris Lapidibus* „ *conſtructum*, nunquam contaminatum, ſemper San„ ctum. „ Hæc Pater de Cabrera, de quo Pater Echardus, *ad annum* 1598. ait „ Ad concionandum ſe transfe„ rens, nemini ſecundus parem in Hiſpania habuit nemi„ nem. Omnia in eo confluebant; Doctrinæ ubertas, „ gravitas ſententiarum &c. „ Patri vero de Cabrera adjungi poteſt Pater Taulerus, ejuſdem Ordinis, §. 104. videndus.

204. Jure autem, ac merito in Doctrina Chriſtiana, de qua mox locuti ſumus, docentur omnes ubique terrarum Chriſtifideles, præcipientibus, vel inſtantibus Summis

Pontificibus, Beatiſſimam Virginem a peccato *tum Actuali*, tum & *Originali* fuiſſe immunem; *La Madonna è piena di grazia, perchè eſſa non ha avuto mai macchia di Peccato veruno, nè Originale, nè Attuale:* Si enim (ſepoſita Concilii Tridentini determinatione favore immunitatis a Peccato Actuali facta) unice ſtare velimus Divi Auguſtini Doctrinæ, & principiis; fateri tenebimur, in eodem certitudinis gradu reperiri immunitatem Beatiſſimæ Virginis a Peccato Originali, quo ejuſdem reperitur exemptio ab Actuali. Cenſet ſiquidem Sanctus Pater, ſufficienter probari exemptionem Chriſti Domini a Peccato Originali, oſtendendo, ipſum nullum feciſſe Peccatum; & Apoſtolorum Principem, per hæc ſola verba: *Qui Peccatum non fecit*, ad ſuperabundantiam probaſſe, non ſolum ipſum, toto ſuæ vitæ tempore, nullum commiſiſſe Peccatum, ſed nec in ſua Conceptione contraxiſſe Originale; cum nullus ſit, nec unquam fuerit Homo, qui, contracto Peccato Originali, actualia deinde, adultus factus, non perpetraverit. Audiamus ipſum, *lib.* 5. *contra Julian. Cap.* 15., eidem Juliano dicentem: *Illud ſane magnum, verumque dixiſti, cum poſuiſſes, teſtimonium Apoſtoli Petri dicentis:* Qui Peccatum non fecit: *notandum eſſe, quod judicaverit Apoſtolus ſufficere ad oſtendendum, in Chriſto nullum fuiſſe Peccatum, quia dixit, nullum eum feciſſe Peccatum; ut doceret, inquis*, quia qui non fecit, habere non potuit. *Omnino veriſſimum eſt. Profecto enim Peccatum etiam major feciſſet, ſi parvulus habuiſſet. Nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui Peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu; quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui Peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu*. Cum igitur teneat Eccleſia, quod B. Virgo nullum commiſerit Peccatum; tenere etiam debemus (ſtando Divi Auguſtini principiis, & præſcindendo a Tridentini determinatione) in

Ma-

Maria nullum unquam fuiſſe Peccatum. Nec ſuper hoc, ullum poteſt remanere dubium, *Omnino enim veriſſimum eſt, quod, qui non fecit, habere non potuit*. Nam propterea, diceret hodie Auguſtinus, nulla eſt Mulierum præter ipſam, quæ Peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu; quia nulla eſt Mulierum præter ipſam, quæ peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu: *Peccatum adulta non commiſit: ergo Originale non contraxit. Peccatum non fecit: ergo non habuit*. Hæc, juxta D. Auguſtinum, ad convertentiam dicuntur, de adultis loquendo, poſt Adamum natis.

205. Et hoc argumentum, efficax adeo viſum eſt olim Gregorio Ariminenſi, addictiſſimo Auguſtini Diſcipulo *in 2. Sent. diſt.* 30. *qu.* 2., ut, cum probabiliter teneret, B. Virginem Originale contraxiſſe Peccatum, Ibi = *Et ideo abſque præjudicio melioris Sententiæ, & ſalva ſemper reverentia Matris Dei, dicendum mihi videtur, eam fuiſſe cum Originali Peccato conceptam*; Objecta mox ſibi allata Divi Auguſtini auctoritate concluſerit, ipſam aliquod etiam actuale commiſiſſe peccatum; Ibi = *Ex his patet, quod Auguſtinus de Chriſto infert, quod ſi habuiſſet Originale, etiam feciſſet actuale; & contra vult ſequi:* non fecit Actuale; igitur non habuit Originale. *Et ideo idem ſequitur: Beata Virgo, ſecundum atteſtationem Sanctorum, habuit Originale: Conſequenter concedendum eſſe videtur, quod aliquod etiam aliquando habuit actuale, licet nullum mortale*. Econtra vero Libertus Fromondus, Doctor Lovanienſis, *Comment. in Epiſt.* 1. *Petri, cap.* 2. *num.* 22. relato Divi Auguſtini argumento, ex eo infert, & concludit, Beatiſſimam Virginem Originale non contraxiſſe; Ibi = *Unde quia Virgo Mater nullum Peccatum Actuale, ætatis acceſſu fecit, ut Tridentinum Seſſ. 6. cap.* 23. *definit; ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antece-*

tecedentis ſequitur, nec ipſam habuiſſe Originale, infantilis ætatis exortu; Quod facile, ut puto, Auguſtinus admiſiſſet, ſi eo tempore, ejus rei fuiſſet mota quæſtio. Eadem inferri poſſunt e D. Anſelmi Doctrina, qui *lib. Cur Deus homo cap.* 16. de Chriſto Domino ait: *Dubium non eſt, eum omnino ſine peccato eſſe; HOC AUTEM ESSE NON VALET, niſi, abſque peccato, de maſſa peccatrice ſit aſſumptus.* Nec non e Sancto Gregorio Magno, qui *lib.* 2. *in Ezech. Homil.* 4. *num.* 17. *col.* 1390. *tom.* 1. ait: *Quis homo ſine peccato eſt, NISI ILLE, QUI IN PECCATIS CONCEPTUS NON EST?* Et *lib.* 2. *in Evang. Homil.* 39. *num.* 8. *col.* 1649., pariter aſſerit, quod *ſine culpa in Mundo eſſe non potuit, qui in Mundum cum culpa venit.*

206. Plurimum autem creſcit iſtius argumenti vis, & efficacia, ſi cum Patre Benedicto Plazza, *pag.* 35., obſervemus, omnia argumenta, quæ pro exemptione Beatiſſimæ Virginis a peccato veniali afferuntur, æque ad minus immunitatem illius ab Originali concludere, ac probare. Audiamus Doctorem Angelicum, qui, 3. *part. qu.* 27. *art.* 4., præmiſſo illo principio, videlicet: *Quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & diſponit, ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei*; pro B. Virginis immunitate ab omni peccato actuali, etiam veniali, ſic arguit: „ Beata Virgo fuit electa divinitus ut „ eſſet Mater Dei; & ideo non eſt dubitandum, quod „ Deus, per ſuam gratiam, eam ad hoc idoneam red- „ didit... Non autem fuiſſet idonea Mater Dei, ſi pec- „ caſſet aliquando; tum quia honor Parentum redundat „ in Prole... & per oppoſitum ignominia Matris in Fi- „ lium redundaſſet; tum etiam quia ſingularem affini- „ tatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem acce- „ pit: dicitur autem 2. ad Corinth. 6. = *Quæ Conven- „ tio Chriſti ad Belial?* Tum etiam quia ſingulari modo

„ Dei

„ Dei Filius, qui eſt Dei Sapientia, in ipſa habitavit, „ non ſolum in Anima, ſed etiam in utero; dicitur autem Sap. 1. = *In malevolam Animam non introibit Sapientia, nec habitabit in Corpore ſubdito peccatis*; & „ ideo ſimpliciter fatendum eſt, quod B. Virgo nullum „ peccatum actuale commiſit, nec mortale, nec veniale ut ſic in ea impleatur quod dicitur Cantic. 4. = „ *Tota pulchra es, Amica mea, & macula non eſt in te*.„ Hæc D. Thomas, ſuper quibus ſequentia obſervat Ambroſius Catharinus, Ordinis Prædicatorum, *Diſp. pro verit. Immac. Concept. ad Synod. Trid.*, *Edit. Rom.* 1551. *col.* 62., ibi =„ At hæ cunctæ rationes non minus, imo „ magis concludunt de Originali, quam de Actuali peccato (veniali tamen), cum illud multo majoris ſit ignominiæ, & majorem conſtituat affinitatem cum Belial, „ & magis ſubditum reddat Corpus Peccato, majoreque „ macula fœdet Animam; cum faciat hominem iniquum, „ impium, impurum, Deo inimicum, captivum denique „ Diaboli, & Peccati.... At nihil horum ſit a veniali, „ quod ſtat cum pietate, & amicitia Dei.„ Deinde non videtur cur Canticorum Verba: *Tota pulchra es, Amica mea, & macula non eſt in te:* de Beatiſſima Virgine verificari poſſent quantumcumque Originale contraxiſſet peccatum, non autem ſi in ſua juventute aliquod vel minimum commiſiſſet veniale. Nulla enim adeſt vox in Canticis, nec alibi in Scriptura Sacra, quæ vocem *macula* ad peccata actualia reſtringat; nulla vox, quæ idem verbum ad unum tempus, potius quam ad aliud determinet. Imo in Hebræo non legitur verbum *eſt*, ſed dumtaxat: *& macula non in te*; quaſi dicere voluiſſet Spiritus Sanctus, *nec eſt, nec unquam fuit. Si enim*, ut alibi diximus, *favores ampliandi ſint, & odia reſtringenda*;

cur quotieſcumque de Sacro Myſterio agitur, contrarium ſemper fieri debeat, percipere uſque nunc non potui.

207. Audiamus D. Auguſtinum *lib. de nat. & grat. cap.* 36. probantem, Beatiſſimam Virginem peccatum *omni ex parte* vincere debuiſſe, ex eo quod concipere, ac parere meruerit, quem conſtat, *nullum habuiſſe peccatum*, ibi = „ Excepta Virgine, de qua propter hono-
„ rem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur,
„ habere volo quæſtionem; inde enim ſcimus, quod ei
„ plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni
„ parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit,
„ quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. „ Quæ etiam verba idem Catharinus *col.* 52. ſic elucidat: „ Hic, quæ-
„ ſo, diligenter attendat quiſquis contradicit putans, B.
„ Auguſtinum ſolummodò ſenſiſſe de actualibus peccatis.
„ Quæro enim ab illo, cum de Chriſto ait: *quem con-*
„ *ſtat nullum habuiſſe peccatum*. Loquitur ne de actua-
„ libus tantum? abſit. Hæc igitur ratio quæ utrumque
„ peccatum, & actuale, & originale a Chriſto exclu-
„ dit, urget pariter ut utrumque a Matre per illam ex-
„ cludatur. Si enim immunis ideo dicitur ab actuali,
„ quia ipſa *meruit illum concipere, & parere* qui venit
„ tollere actuale; cur non ab Originali ſimiliter immu-
„ nis dicatur, *cum illum meruerit concipere, & parere*
„ qui debuit tollere Originale, imo ipſum maxime? Cer-
„ te viget prorſus hæc ratio. Tali enim argumento uti-
„ tur B. Auguſtinus, ubi illam vindicat ab inceneratio-
„ ne, & perfectam ejus reſurrectionem aſtruit. *Decens*
„ *fuit*, inquit ille, *ut eſſet integraliter vivens, quæ o-*
„ *mnium integram, perfectamque genuit vitam*. Ita hoc
„ in loco: *Decuit immunem eſſe ab omni prorſus pecca-*
„ *to, quæ meruit illum concipere, qui nullum omnino ha-*
buit,

„ *buit peccatum*. „ Hæc Catharinus. Et Doctor Seraphicus, allata eadem Divi Auguſtini auctoritate *in* 3. *diſt.* 3. *qu.* 1. *art.* 2., ſequentia addit, præſenti quæſtioni plurimum inſervientia, nempe: „ Congruum etiam erat, ut „ B. Virgo Maria, per quam aufertur nobis opprobrium, „ vinceret Diabolum, ut nec ei ſuccumberet AD MODICUM. Unde de ipſa exponit tam Bernardus, quam „ Auguſtinus, illud Geneſ. 3. = *Ipſa conteret caput tuum*. „ Congruum etiam fuit, ut ea quæ placuit Altiſſimo; „ adeo ut fieret ejus Sponſa, & Mater Filii Dei Unigeniti, SIC ESSET IMMACULATA MENTE, ſicut in„ temerata carne. Quoniam ergo B. Virgo Maria ad„ vocata eſt Peccatorum, gloria, & corona Juſtorum; „ Sponſa Dei, & totius Trinitatis triclinium, & ſpecialiſ„ ſimum Filii Dei reclinatorium; hinc eſt, quod ſpecia„ li Dei gratia NULLUM IN EA PECCATUM HABUIT „ LOCUM „. Iſta autem ultima verba non verificantur, ſi Beatiſſima Virgo contraxit Originale; ſicuti nec verificatur, quod fuerit immaculata mente, ſicut intemerata carne.

208. Adde quod ſi aliqua ſint Scripturæ Sacræ loca, quæ primo aſpectu contraria videantur immunitati B. Virginis a peccato Originali; multo plura, & expreſſiora inveniuntur, quæ rigoroſe ſumpta, eam a peccatis ſaltem venialibus exemptam non fuiſſe probarent: *Non eſt homo qui non peccet: Septies cadet juſtus, & reſurget: Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet: In multis peccavimus omnes: Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: In multis offendimus omnes: Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*. Et idem dicendum de Sanctis Patribus, quos noſtræ piæ Sententiæ opponebant olim Adverſarii, quique

B. Virginem quædam commiſiſſe peccata ſaltem levia magis probabant, quam eam cum peccato Originali conceptam fuiſſe. Similiter in pœnam peccati Adæ, omnibus mulieribus, in Evæ perſona dixerat Deus: *Multiplicabo conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Omnibus hominibus dixerat: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. His autem maledictionibus non ſubjacuit Beatiſſima Virgo; ergo a fortiori nec ipſi peccato, cum iſtud multo magis quam cætera quorum eſt radix, & origo, Dei Matrem dedecuiſſet.

209. Tandem ſi, ante Urbani VIII. tempora, Summi Pontifices tot jam piæ Sententiæ favores præſtiterant, ut (teſte eodem Urbano, & cum eo unanimiter teſtantibus octo Eminentiſſimis Patribus, qui Congregationi Sancti Officii 28. Januarii 1627. interfuerunt) nil aliud tunc remaneret, niſi vel *quæſtionem definire*, vel *æquipollentia definitioni* ſtatuere, *Sum. num.* 25.; Quis hodie dubitare poterit, eamdem Sententiam, tot aliis, ab eo tempore, & fere innumerabilibus ditatam, & cumulatam ſucceſſive beneficiis, *definitioni æquipollentia* obtinuiſſe? Quis negare poterit, eam ad minus in eo certitudinis ad præſens reperiri gradu, quo eæ potiuntur Sententiæ, inter Catholicas Veritates annumeratæ, quibus negatis, aut in dubium poſitis, Fides quatitur, licet penitus non evertatur? *Eſt enim aliud Fides Catholica*, inquit Dominicus Bannefius 2. 2. qu. 11. art. 2., *& aliud Doctrina Catholica, ut advertit Magiſter Canus. Sunt enim aliqua, quæ docentur univerſaliter in Eccleſia Catholica, quæ tamen non ſunt Catholica Fides*. Et Melchior Canus, quem citat, *lib.* 12. *de locis Theolog. Cap.* 10. ait = *Quædam enim ſunt Catholicæ Veritates, quæ ita ad Fidem pertinent, ut, eis ſublatis, Fides quoque ipſa tollatur, quas nos, uſu frequenti, non ſolum Ca-*

Catholicas, ſed Fidei Veritates appellavimus. Aliæ Veritates ſunt, etiam ipſæ Catholicæ, & Univerſales, nempe quas univerſa Eccleſia tenet, quibus licet everſis, Fides quatitur, ſed non evertitur tamen. Et ipſe Lampridius *de ſuperſt. vit. Cap.* 2. *pag.* 12. ait = *Ut pietas dicenda ſit germana Catholici hominis virtus, neceſſe eſt, ut .... arctiſſimum fœdus ineat ... cum Doctrina, quam Catholica Romana Eccleſia, errandi neſcia, tradit: Et pag.* 16. = *Noſſe quippe, & fateri coguntur vel ipſi Heterodoxi, non e privatorum ritibus, ac opinionibus, ſed ex ipſa Eccleſiæ Doctrina, in Conciliis potiſſimum, & Cathechiſmis firmata, deducendum eſſe quid eadem Eccleſia credat, ac ſentiat*. Ea igitur uniantur, quæ Articul. 7. de Tridentino Concilio retulimus, cum iis, quæ in Doctrina Chriſtiana Card. Bellarmini continentur, & ubique terrarum traduntur, & docentur; ac poſtea judicet unuſquiſque, *quid tradat, quidve ſentiat* Eccleſia Catholica, & *utrum pietas* erga Immaculatam Conceptionem, *dicenda ſit germana Catholici Hominis virtus*. Judicet pariter, utrum jure, ac merito *antiquatam* nuncupaverit Pater Alexander, Maculatæ Conceptionis Sententiam. (§. 168.) Videamus tandem quid Sæculo proxime elapſo reſpondebat Eminentiſſimus Sfondrati objicientibus, definitam ab Eccleſia nondum fuiſſe piam noſtram Sententiam: *At Eccleſia nihil pro Virgine decidit. Eſto: ſed neque contra Virginem. Imo invitat, rogat, colit, exemploque ſuo omnes Fideles provocat, allicitque, ut venerentur ſine macula conceptam. Si ergo ſine Eccleſia Deiparam Virginem Originalis culpæ tu damnas; cur non potius cum Eccleſia a peccato abſolvis? Quid expectas imperium, cum exempla te provocent? Matrem agit Eccleſia, non Dominam; & ideo ſufficit exemplo præiſſe, quamvis imperio ceſſante. Quid imperium, & præceptum quæris, cum de Voto Eccleſiæ conſtet?* = *Præfat. ad Innoc. vindic.*

AR-

ARTICULUS XVII.

Feſtum a Clemente XI., anno 1708. *Univerſali Eccleſiæ præceptum, pro objecto habet Beatiſſimam Virginem, ab Originali peccato in primo ſuæ Creationis inſtanti præſervatam; ac proinde Sanctam, & Immaculatam ejuſdem Conceptionem.*

210. ALexandrum VII. redarguebat Jacobus Picenini, veluti pugnantia ſtatuentem, cum dixiſſet, Conceptionem Virginis Immaculatam ſe nolle decidere, & tamen, ejus Feſtum approbando, reipſa decidiſſe. Obvium vero aderat huic argumento Reſponſum, videlicet aliud eſſe, Myſterium definire, & aliud ejuſdem Feſtum approbare; Aſſumptionis, Nativitatis, & Præſentationis Myſteria definita nunquam fuiſſe, quantumcumque approbatæ fuerint eorum Feſtivitates. Poterat etiam reſponderi, Alexandrum VII. nunquam dixiſſe, nolle ſe decidere Sententiam Immaculatæ Conceptionis; ſed dumtaxat, ſe nolle decidere, *utrum hæreſis crimen, aut peccatum mortale incurrant*, qui contrariam tenent Opinionem. Aliam tamen viam inire voluit P. Ludovicus Gotti, Ordinis Prædicatorum, ad Sacram Purpuram merito poſtea evectus, in Opere cui titulus: *La vera Chieſa di Chriſto dimoſtrata: part.* 2. *tom.* 2. *art.* 14. §. 5., ibique, memorato Picenini argumento reſpondens, Bellarmini verba primo refert, dicentis: *Fundamentum hujus Feſti præcipuum non eſt Conceptio Immaculata, ſed ſimpliciter Conceptio Matris Dei futuræ. Qualiſcumque enim fuerit illa Conceptio; eo ipſo quod Conceptio fuit Matris Dei, gaudium affert Mundo ejus memoria; tunc enim primum habuimus pignus certum Redemptionis*. Ac deinde ſubjungit idem P. Gotti:

Huc

Huc reſpexit Clemens XI. in ſua Conſtitutione pro dicto Feſto, 6. *Decembris* 1708. Cujus Conceptio gaudium annuntiavit Univerſo Mundo. *Atque ut nemo ſibi perſuadeat, voluiſſe illum hoc facto controverſiam decidere, non illud appellat Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. M. V., ſed Feſtum Conceptionis B. M. V. Immaculatæ*. Ulterius obſervat etiam Valdeſius, *Epiſt. 6. pag. 66.*, indoluiſſe Summum iſtum Pontificem, quod ſuæ Conſtitutionis Editor quidam extra Urbem, hunc ei titulum inſcripſiſſet: *Ut Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. M. &c.*, & ſub die 12. Octobris 1709. Ordinario loci mandaſſe, ut acriter corriperet alterationis hujus Auctores, & vitiatam impreſſionem ſupprimeret. Quæ omnia etiam adoptat Pater Euſebius Amort, a Patre Dalmatio Kick, *part.* 3. *contin. Defenſ. Revel. Agred. cap.* 4. *art.* 5. *argum.* 4. jam refutatus. Quænam autem ſuper his Cardinalis Bellarmini mens fuerit, & ſententia, ſequens oſtendet, ac declarabit Articulus. Nunc vero argumentum enucleabo Cardinalis Gotti, cujus memoriam, quandiu vixero, venerabor, licet eum, juxta præjudicia quædam, a juventute ſibi imbibita, locutum in hoc caſu fuiſſe exiſtimem, prout de Natali Alexandro ſupra §. 169. dictum eſt, & ad præſens demonſtrare conabor.

211. Primo igitur examinandum occurrit, utrum, dum agitur de Feſto, de Cultu, ac de Officio, ly *Immaculata Conceptio* quid amplius ſignificet, quam nudum *Conceptionis* verbum. Cum enim, ut dicebat Joannes Taulerus, *Profana Feſta non agnoſcat Eccleſia*; eo ipſo, quod Feſtum concedit, quod Feſtum celebrat, ac præcipit *Conceptionis* B. M. V., idem omnino eſt, ac ſi præciperet Feſtum *Sanctæ*, aut Feſtum *Immaculatæ* Conceptionis. Elenchum habemus in noſtro Summario *num.* 2. Cultûs variis in locis Sacro Myſterio exhibiti ab anno circiter 1100, uſque

Digitized by Google

uſque ad Concilium Baſileenſe; nilque ibi exprimitur niſi Feſtum *Conceptionis*, Officium *Conceptionis*, Octava *Conceptionis*. Statuta habemus Ordinis Franciſcani annorum 1263., 1416., 1458., & 1475. (§. 70., & 102.) in quibus etiam omnibus Officium, & Feſtum *Conceptionis* nude nuncupatur; ſicuti in Conſtitutionibus Ordinis Carmelitarum anni 1393. Decretum habemus, a Patribus Baſileenſibus anno 1439. editum, quod Adverſariis ſummopere inviſum ſemper fuit, in quo renovatur inſtitutio de celebranda *Sancta Conceptione*, univerſoque Clero Sæculari, ac Regulari ſimul iniungitur, ut ſub nomine *Conceptionis* dictam peragant Feſtivitatem. Quid autem de hujuſmodi Feſtivitate, quæ ſub nudo *Conceptionis* nomine ubique fiebat, dixerit Pater Taulerus, Ordinis Prædicatorum, anno circiter 1350., §. 104. videri poteſt; Videlicet, quod Sancta Romana, & Catholica Eccleſia *Conceptionis* Feſtum *nullo modo* celebraret, niſi *pro certo*, *exploratoque* haberet, *Conceptionem* tantæ Virginis omnis fuiſſe contagionis expertem, *imo & Sanctam*.

212. Sed ne argumentis immoremur dumtaxat probabilibus; audiamus Alexandrum VII., qui expreſſe aſſerit, Chriſtifideles, antiquis illis temporibus, Beatiſſimam Virginem, in primo ſuæ Creationis inſtanti a Peccato Originali præſervatam, ſolemni Ritu coluiſſe: *Vetus eſt*, inquit in ſua Conſtitutione, *Chriſtifidelium pietas ſentientium*, Beatæ Virginis *Animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus, a macula Peccati Originalis præſervatam* fuiſſe *immunem*; *atque* IN HOC SENSU *ejus Conceptionis Feſtivitatem ſolemni Ritu colentium*. Tranſitum facit deinde idem Pontifex ad Sixti IV. tempora, & licet iſte, in ſua Conſtitutione (*Cum præcelſa*) *miram* dumtaxat vocaverit *Conceptionem*, & tam Officium, quam Feſtum nudo *Conceptionis* nomine nuncupaverit; Declarat

ta-

tamen idem Alexander, dictam Conſtitutionem emanaſſe *in commendationem Cultus*, eidem Virgini ab Originali præſervatæ, exhibiti; Ibi = *Crevitque horum numerus, atque hujuſmodi Cultus, poſt editas a ſel. rec. Sixto PP. IV. in ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque obſervari mandavit*. Aſſerit poſtea, Gregorium XV. *in favorem ejuſdem Sententiæ* præcepiſſe, ut in Divinis Officiis, non alio quam *Conceptionis* nomine uti quicunque deberent = *Mandans inſuper in favorem ejuſdem Sententiæ, ut in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant*; Et licet Paulus V., & Gregorius XV., in ſuis Decretis, non aliud, quam nudum *Conceptionis* nomen adhibuerint; declarat tamen, ea emanaſſe *in favorem*, non ſolum piæ Sententiæ, ſed etiam *Feſti*, & *Cultus*, Conceptioni *ſecundum eam* exhibiti = *Conſtitutiones, & Decreta a Sixto IV., Paulo V., Gregorio XV. edita in favorem Sententiæ aſſerentis, Animam B. M. V., in ſui Creatione, & in corpus infuſione, Spiritus Sancti gratia donatam, & a Peccato Originali præſervatam fuiſſe; nec non & in favorem Feſti, & Cultus, Conceptioni ejuſdem Virginis Deiparæ, ſecundum piam iſtam Sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus*. Tandem quamvis in illa Conſtitutione declaret ubique, *ſe favere velle* eidem Sententiæ, ac *Cultui* ſecundum illam exhibito, quem affirmat, *in Eccleſia Romana, poſt ipſius Cultus inſtitutionem, nunquam immutatum* fuiſſe, videlicet, nec per mutationem Officii tempore Pii V., nec per Gregorium XV., prout repræſentatum ei fuerat, quod aliqui, non ſine ſcandalo publicare auſi tunc fuerant; quatuor tamen vicibus nudo *Conceptionis* nomine in ea utitur; nec unquam ſomniavit, quod Feſtum *Conceptio-*

Digitized by Google

nis, Officium *Conceptionis*, & Cultus *Conceptioni* exhibitus aliud ſignificarent, quam *Feſtum*, & *Cultum* BB. Virginis a Peccato Originali præſervatæ, juxta contenta, & toties replicata in dicta ſua Conſtitutione.

213. Præterea tam Alexander VII., quam Clemens IX., & Innocentius XII., per Litteras Apoſtolicas, in forma Brevis expeditas, *Conceptionis* Octavam indulſerunt; & in omnibus eiſdem Litteris, nudam *Conceptionis* vocem adhibuerunt, dicentes: *Officium*, *&* *Miſſa Conceptionis B. M. V. Immaculatæ cum Octava*; ut ibidem videri poteſt, videlicet: Pro Hiſpania = *Quæ inter præclaros:* 7. Julii 1664. = Pro Imperatoris Dominiis: *Eximia Dilecti filii:* 7. Februarii 1665. Pro Ditionibus Ducis Sabaudiæ = *Præclara* = 17. Auguſti. Pro Etruria = *Egregia* = 14. Septembris. Pro Regno Neapolis: *Quoniam chariſſimus:* 18. ejuſdem. Pro Comitatibus Flandriæ, & Burgundiæ: *Cum chariſſimus:* 16. Octobris. = Pro Regnis Siciliæ, & Sardiniæ: *Sacroſancti Apoſtolatus:* 24. ejuſdem. Pro Ducatu Mediolanenſi, & Marchionatu Finarii: *Ex iniuncto nobis*; eodem die: = Pro Patribus Societatis Jeſu: *Auguſtiſſimæ:* 17. Septembris 1667. Pro Dominio Eccleſiaſtico: *Sincera noſtra:* 21. Octobris 1667. Pro PP. Auguſtinianis: *Exigit commiſſæ* = 31. ejuſdem. Pro Gallia: *Præclara:* 20. Februarii 1668., & pro Univerſali Eccleſia: *In Excelſa:* 15. Maii 1693. = In omnibus iſtis Conſtitutionibus, conceditur, vel præcipitur *Officium*, *&* *Octava Conceptionis B. M. V. Immaculatæ*; & tamen nullum reperire potui Auctorem, qui tunc dixerit, memoratos Summos Pontifices noluiſſe alia uti expreſſione, dicendo v. g. = *Officium*, *&* *Miſſa Immaculatæ Conceptionis*, ne putarent Chriſtifideles, iniunctam, vel conceſſam ſibi fuiſſe Octavam BB. Virginis, a Peccato Originali in primo ſui creationis inſtanti præſervatæ, vel

ne

ne crederent, voluiſſe Summos Pontifices Myſterium definire. Hoc, inquam, apud neminem legi, nec ullus dicere poterat. Cum enim plurima ex recenſitis Regnis, & Dominiis, a Sac. Rituum Congregatione eamdem prius obtinuiſſent gratiam, cum expreſſione, *quod Officium, & Miſſam Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. *cum Octava, ex præcepto* recitare deberent, ut videri poteſt in noſtro Summario *num.* 13. *litt. B.*, & deinde Litteras Apoſtolicas, pro majori gratiæ obtentæ robore, ac ſubſiſtentia, cum alia nuda *Conceptionis* expreſſione impetraſſent; Si una ex iſtis expreſſionibus aliquid ab alia diverſum ſignificaret, ſequeretur, quod idem Pontifex, nempe Alexander VII., unum, die 2. Julii 1664. Sereniſſimo Regi Catholico, per organum Sac. Rit. Congregationis, conceſſiſſet; & aliud, tranſactis quinque diebus, ſeptima videlicet ejuſdem menſis, per organum Secretarii Brevium; ſequeretur, quod, vi Decreti Sac. Rit. Congregationis, debuiſſent ſub præcepto recitare *Octavam Immaculatæ Conceptionis*, nempe BB. Virginis, ab Originali præſervatæ; & vi Brevis poſtea obtenti, recitare potuiſſent, vel debuiſſent *Octavam Conceptionis ut ſic*, videlicet, vel præſervatæ, vel ſanctificatæ.

214. Sequeretur, quod Sacra Rituum Congregatio, concedens in ſuis Decretis ut Sabbato non impedito recitetur Officium *Immaculatæ Conceptionis:* In aliis, ut recitetur *Officium Conceptionis:* In aliis, Officium *Sanctiſſimæ Conceptionis*; gratiam aliquam diverſam, per unam ex hujuſmodi expreſſionibus indulgeret, ac per aliam. Sequeretur, quod Eminentiſſimi Urbis Cardinales Vicarii, invitando per ſua Edicta Chriſtifideles, ut digne ſe præparent ad celebrandum *Immaculatæ Conceptionis Feſtum*; eos, videntibus Summis Pontificibus, imo & ſæpe præcipientibus, ad Feſtum celebrandum invitarent ab eo diverſum, quod

a Clemente XI. fuit iniunctum. Sequeretur, Benedictum XIII., *Sum. num.* 22., per organum Sac. Congregationis Indulgentiarum, Chriſtifidelibus Indulgentias conceſſiſſe, non pro Feſtivitate a Clemente XI. de præcepto inſtituta, ſed pro quadam alia diverſa. Videant igitur qui talia affirmant, ne Sacras Congregationes, & Summos Pontifices alibi deridendos propinent. Videant, quomodo, juxta ſua principia, conciliare poterunt conceſſionem ab Alexandro VII. Sereniſſimæ Venetiarum Reipublicæ factam, cum declaratione Sac. Rit. Congregationis poſtea emanata. Eidem ſiquidem Reipublicæ ſub die 13. Menſis Junii 1665., per Litteras Apoſtolicas indulſerat Alexander VII., ut Officium *Conceptionis* cum Octava in ſuis Dominiis recitaretur, abſque ulla Ritus mentione. Unde ſupplicata deinde Sacra Congregatione pro hujuſmodi Ritus determinatione; ſub die 10. Aprilis 1666., *Sum. num.* 13. *litt. B.*, decrevit, *Feſtum Immaculatæ Conceptionis*, Reipublicæ Venetiarum, *Auctoritate Apoſtolica conceſſum*, celebrandum eſſe ſub Ritu duplici ſecundæ Claſſis; *Feſtum Immaculatæ Conceptionis* illud idem nuncupans, quod Alexander VII. in ſuis Litteris nudo *Conceptionis* nomine expreſſerat.

215. Præterea die 8. Decembris 1743. coram ſa. mem. Benedicto XIV. & de ejus expreſſo mandato, lectum, & publicatum fuit Decretum, quo approbatæ fuerunt in gradu heroico Virtutes Vener. Servi Dei Nicolai Factor; & in dicto Decreto legitur: *Nunc autem recurrente ſolemni die, Immaculatæ Conceptioni Matris Dei Sacra, quam Servus Dei præcipuo pietatis, ac religionis cultu venerabatur &c.* Anno deinde 1759. eadem die 8. Decembris, coram Sanctiſſimo Clemente XIII. ſimile pro approbatione Virtutum Vener. Servi Dei Joannis de Ribeira lectum, & publicatum fuit Decretum, in quo ſequentia habentur, nempe: *Hac vero die* 8. *Decembris, recurrente Feſto Conceptio-*

ptio-

ptionis B. M. V. Immaculatæ, *eadem Sanctitas ſua peractis Sacroſanctis Myſteriis &c.* Quis autem dixerit, aliquam Feſtivitatem in primo ex iſtis Decretis indicari ab ea diverſam, quæ in ſecundo Decreto enunciatur? Quis dixerit, aliud *per Feſtum Conceptionis* ibidem ſignificari, & aliud *per diem*, *Immaculatæ Conceptioni Matris Dei Sacram?* Tandem die 5. Aprilis 1756. idem Benedictus XIV. per Breve: *Cœleſtium munerum theſauros:* plenariam conceſſit Indulgentiam ſingulis Chriſtifidelibus, ubique degentibus, qui die ſibi ſemel in anno aſſignata, *ad honorem Conceptionis B. M. V. jejunaverint*, ac vere pœnitentes, & confeſſi, Sacra communione refecti fuerint. Quis autem dubitavit unquam, jejunium perpetuum, de quo ibi agitur, *in honorem Conceptionis B. M. V.* a piis Chriſtifidelibus introductum, *Immaculatam* dumtaxat *Conceptionem*, & nil omnino aliud reſpicere? Quis aſſerere audebit, Benedictum XIV. per hoc Breve devotionem aliquam promovere, & augere voluiſſe ab ea diverſam, de qua loquitur Innocentius XII. in ſua Conſtitutione die 6. Decembris 1692. emanata, in qua cubitalibus litteris iſtud jejunium *in honorem Immaculatæ Conceptionis* inſtitutum narratur, ibi = *Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia Conventus Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Civitatis Salamantin. una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitas ſub titulo, ſeu denominatione JEJUNII PERPETUI IN HONOREM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. M. V. canonice erecta exiſtat &c.* In qua expreſſe teſtatur idem Pontifex, ſe deſiderare, quod ejuſmodi devotio adaugeatur, & dilatetur, ibi = *Nos, ut Confraternitas hujuſmodi majora in dies ſuſcipiat incrementa &c.*

216. Similiter Urbanus VIII., Conſtitutione = *Sanctæ & Immaculatæ:* dat. 26. Novembris 1631., benigne conceſſit, ut in Eccleſia Sancti Jacobi de Urbe, Nationis Hiſpanæ

ſpanæ, *Feſtum Conceptionis* B. V. ſub Ritu duplici primæ Claſſis celebrari valeret. Innocentius X., Conſtitutione = *In his per quæ:* dat. 10. Novembris 1644., ad inſtantiam Philippi IV. Regis Catholici indulſit, ut pro Hiſpaniarum Regnis *Feſtum Conceptionis* inter Feſta, de præcepto obſervanda, annumeraretur; & Alexander VII., ad inſtantiam Ludovici XIV., idem pro Gallia, & cum eadem *Conceptionis* expreſſione conceſſit per Breve = *In his quæ* = dat. 15. Junii 1657. Idem Civitati, & univerſo Senenſi Dominio olim conceſſerat Clemens VII., Conſtitutione: *Cum ſicut:* die 27. Octobris 1528. data, in qua nil aliud legitur niſi = *Feſtum Conceptionis B. M. V.* Quis autem ſomniavit unquam, iterum dico, aliud per dictas Conſtitutiones Gallis, Hiſpanis, & aliis conceſſum fuiſſe, quam celebritatem Feſtivitatis B. M. V., a Peccato Originali præſervatæ, ſeu quod idem eſt, *Immaculatæ Conceptionis?* Nunquam pariter ſomniavit Sancta Catholica Eccleſia, Nativitatem S. Petri, v. g., celebrare, vel in ſuis Calendariis, *cum titulo Nativitatis S. Petri* illam apponere. *Feſta* enim *profana non novit Eccleſia.* Cumque in tali caſu, per Nativitatem S. Petri, intelligi deberet Nativitas Petri, cum *Sanctitate nati*; ideo de hujuſmodi, vel aliorum SS. Nativitate, Sancto Joanne Baptiſta excepto, nec in Breviario, nec in Calendario habetur mentio. Nec celebraretur Nativitas B. M. V., ſi ipſa cum Sanctitate nata non fuiſſet; nec, ob eamdem rationem, celebraretur Conceptio, ſi poſt Conceptionem dumtaxat Sanctificata fuiſſet, prout jam dictum eſt §. 100., & 101., & ſicuti verſiculus quem cantant Franciſcani: *In Conceptione tua, Virgo, immaculata fuiſti:* ſignificat, B. Virginem in Sanctitate, & cum Sanctitate conceptam fuiſſe; ita. Summi Pontifices, præcipiendo Feſtum, vel Officium Conceptionis *B. M. V. Immaculatæ*, Feſtum, & Officium iniungunt B. Virginis,

quæ

quæ *immaculate* fuit concepta. In hac enim Conſtitutione, in qua de nullo alio agitur, niſi de Feſtivitate *Conceptionis* B. V., Epithetum *immaculatæ*, relationem dicit ad Virginem *immaculate* conceptam, de qua celebratur Feſtivitas; eodem prorſus modo, quo *Nativitas Sanctæ Mariæ Virginis*, cum agitur de illius Cultu, & Feſtivitate, nil aliud ſignificare poteſt, niſi Nativitatem Mariæ, quæ cum Sanctitate nata eſt. Dixi: *Cum agitur de Cultu, & Feſto Nativitatis, vel Conceptionis:* Si enim modo hiſtorico v. g. quis narraret, Sanctum Petrum natum, aut conceptum fuiſſe tali, vel tali die; certum eſt, quod hoc nullimode ſignificaret, nec probaret, ipſum natum, aut conceptum fuiſſe cum Sanctitate.

217. Cum autem Nativitas, & Conceptio ideo Sanctæ vocentur, quia perſona, de qua agitur, nata, vel concepta fuit cum Sanctitate, ſeu cum gratia; ſequitur, quod de primario Sanctitas competit perſonæ Conceptæ, vel natæ, & de ſecundario dumtaxat Conceptioni, vel Nativitati. Et propter hoc antiquitus nil aliud dicebant Chriſtifideles, ut ſupra vidimus, niſi Feſtum, vel Officium *Conceptionis* B. M. V. & Summi Pontifices eodem modo ſe geſſerunt, & antiquam Litterarum Apoſtolicarum formulam, ſuper hoc Articulo, ita conſervarunt, ut vix ulla reperiatur Conſtitutio Apoſtolica, (aliud vero dicendum de Sacrarum Congregationum Decretis) in qua vel Officium, vel Feſtum denominetur *Immaculatæ Conceptionis*, excepta dumtaxat Conſtitutione Sixti IV. = *Grave nimis:* in qua veluti tranſeunter ſic nuncupatur; ſicuti in Conſtitutionibus Apoſtolicis non præcipitur Officium, vel Feſtum *Sanctæ Nativitatis*, nec indulgentiæ conceduntur pro die Feſto *Sanctæ Nativitatis*, ſed pro Feſto *Nativitatis* B. M. V. Uno verbo Conſtitutiones Apoſtolicæ reperiuntur, in quibus nuncupantur Moniales Ordinis *Immaculatæ* *Con-*

Conceptionis: Confraternitates ſub invocatione *Immaculatæ Conceptionis:* Conceduntur indulgentiæ viſitantibus Eccleſiam ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis*; ſed Conſtitutiones, in quibus Summi Pontifices, Feſto, vel Officio, eumdem titulum *Immaculatæ Conceptionis* expreſſe tribuant, unicam uſque nunc inveni, 6. Decembris 1692. emanatam, *Sum. num.* 13., in qua aſſignat Innocentius XII. pro Feſto principali Confraternitatis, ibidem erectæ, *Feſtum ejuſdem Immaculatæ Conceptionis*. Superius dicta aliqualiter elucidabit Henricus Gandavenſis, qui *tom.* 2. *quodlibet.*, *quodlibet.* 15. *quæſt.* 13. anno circiter 1280. ſic ſcribebat = „ Cauſa primaria, & per ſe celebrationis Feſti cujuslibet, ſive Conceptionis, ſive Nativitatis, ſive Circumciſionis, ſive alicujus alterius, non eſt niſi Sanctitas, aut Sanctificatio illius de quo, ſive in cujus honorem celebratur; non autem ipſe actus Conceptionis, Nativitatis, aut Circumciſionis; Unde Feſtum Conceptionis Chriſti non celebratur, niſi quia ipſe in ſua Conceptione, ſecundum hominem eſt Sanctificatus; neque Feſtum Nativitatis, aut Circumciſionis ejus, *niſi quia Sanctus erat ille, qui Naſcebatur, & Circumcidebatur*. Quia tamen propter talem Sanctificationem in Conceptione Chriſti, etiam ipſa Conceptio Sancta eſt; & propter ipſius Sancti Nati, & Circumciſi Sanctitatem, ipſa Nativitas, & Circumciſio Sancta eſt; Dico, quod cauſa ſecundaria celebrationis Feſti cujuſcumque dictorum, eſt ipſe actus Conceptionis, Nativitatis, & Circumciſionis. „

218. His præmiſſis, videamus quid peregerit, quidque præceperit Clemens XI. in ſua Conſtitutione: *Commiſſi nobis: Sum. num.* 26. Declarat primo Summus Pontifex, *ſe glorioſiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ*, cujus Conceptio gaudium annuntiavit univerſo Mundo, *veneratio-*

rationem, & *Cultum*, *plurium Romanorum Pontificum Prædeceſſorum ſuorum more*, *ampliare velle*, *ut potentiſſimam ejus opem*, in tot, tantiſque, quibus premitur, Chriſtianæ Reipublicæ, & Catholicæ Eccleſiæ neceſſitatibus, *promereri valeat*; pergitque deinde ſequentibus verbis = *Sincera itaque noſtra erga eamdem Auguſtiſſimam Cæli Reginam*, *Patronam*, & *Advocatam noſtram devotione incitati*, *Feſtum Conceptionis ipſius B. M. V. Immaculatæ*, *ubique terrarum inpoſterum ab omnibus*, & *ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus*, *ſicut alia Feſta de præcepto ſervari*, & *celebrari*... *Auctoritate Apoſtolica*, *tenore præſentium decernimus*, *præcipimus*, & *mandamus*. Si, loquendo de *Conceptionis* Myſterio, proteſtatur Summus Pontifex, *ſe Beatiſſimæ Virginis Cultum* Prædeceſſorum ſuorum more *ampliare velle*; Vult igitur, *ſincera erga ſuam Patronam*, & *Advocatam incitatus devotione*, illum ampliare Cultum, quem Alexander VII. in ſua Conſtitutione: *Sollicitudo:* declaravit *eſſe veterem: Quem creviſſe* declaravit, & *auctum fuiſſe* poſt emanatas Sixti IV. *in ejus favorem* Conſtitutiones, quas Tridentinum innovavit Concilium: *In cujus commendationem* aſſeruit idem Alexander, emanaſſe Conſtitutiones, & Decreta, tum ejuſdem Sixti IV., tum Pauli V., & Gregorii XV.: Quem aſſeruit, *in Eccleſia Romana*, *poſt ejus inſtitutionem*, *nunquam immutatum fuiſſe:* Cui declaravit, *Se* exemplo ſuorum etiam Prædeceſſorum *favere velle*; Quem tandem prohibuit in *diſputationem*, aut *in dubium revocare*; atqui hujuſmodi Cultus alius non eſt, ut pluries, & pluries replicat idem Alexander, niſi Cultus *Beatæ Virgini* exhibitus, *a Peccato Originali in primo ſuæ Creationis inſtanti præſervatæ*; id eſt, Cultus BB. Virginis, *immaculatè Conceptæ*; Cultus Myſterii *Immaculatæ Conceptionis*; ergo omnibus Chriſtifidelibus hujuſmodi

Digitized by Google

di Cultum de præcepto mandavit Clemens XI., licet nudo *Conceptionis* nomine uſus fuerit prout omnes ſui Prædeceſſores in ſimilibus caſibus peregerant. Officia, & Miſſam Conceptionis *ordinavit* olim, & *inſtituit* Sancta Romana Eccleſia, ut ſupra vidimus §. 156., in quibus pluries decantatur *Immaculata Conceptio:* Illa ad Altare, & in Choro recitaverunt, & cantarunt Concilii Tridentini Patres; idem ſpatio nonaginta annorum fecerunt Summi Pontifices, & fere omnes Chriſtifideles. Nemo tunc dixit, aut ex Adverſariis faſſus eſt, controverſiam per hoc deciſam fuiſſe; & hodie nobis perſuadere vellent, quod Clemens XI. *Feſtum* nuncupaverit *Conceptionis* in ſua Conſtitutione, non autem *Immaculatæ Conceptionis*, ne controverſiam decideret? At de verbis contendant quantum voluerint; Nobis enim ſufficit, quod res certa ſit, & in comperto poſita.

219. Obiiciunt tamen, quod Clemens XI., loquendo de Beatiſſimæ Virginis Cultu quem ampliare volebat, ſequentem in ſua Conſtitutione appoſuerit clauſulam, videlicet: *Cujus Conceptio gaudium annuntiavit univerſo Mundo:* ut inſinuaret, inquiunt, hujuſmodi Cultum Sanctitatem Conceptionis non reſpicere, ſed beneficium, quod eadem Conceptio univerſo Mundo contulit, ſive Sancta ipſa fuerit, ſive poſtea ſolummodo ſanctificata. Ad hoc autem facillima eſt Reſponſio; illa enim verba: *Cujus Conceptio* &c. ad litteram quolibet anno ab Eccleſia cantantur in Officio Nativitatis B. M. V., cujus Antiphona ad Magnificat pro ſecundis Veſperis ſic incipit: *Nativitas tua*, *Dei Genitrix Virgo*, *gaudium annuntiavit univerſo Mundo*. Nullus vero unquam ſomniavit, in dicto Officio appoſita ea fuiſſe ad inſinuandum, *Nativitatis* Cultum ejus Sanctitatem pro objecto non habere, ſed beneficium dumtaxat, quod eadem Nativitas univerſo

Mun-

Mundo contulit. Cur igitur de Conceptione talia fingere licebit, cum nil aliud fecerit Clemens XI., quam illa eadem expreſſiſſima verba, de Nativitatis Officio, in ſuam transferre Conſtitutionem? Perſuadeant cui poterunt, quod Clemens XI., *Sincera erga ſuam Patronam, & Advocatam devotione incitatus*, id, per hæc verba, in præjudicium primi inſtantis Conceptionis BB. Virginis, in ſua Conſtitutione ſignificare voluerit, quod in Officio Nativitatis ejuſdem BB. Virginis, a quo deprompta ſunt, nunquam nec per umbram indicarunt. Nos vero confidenter ſuſtinebimus, ac ubique prædicabimus, omnes Chriſtifideles, diebus 8. Septembris, & Decembris, BB. Virginem reſpective colere, ac venerari, tum natam, tum & conceptam ſine peccato; & ſimul gratias Deo de beneficiis reddere, quæ tam BB. Virgini, quam nobis omnibus, ex dictis Myſteriis provenerunt.

220. Sed dices: Ægre tulit Clemens XI., quod in quadam Italiæ Urbe typis mandata fuerit dicta ſua Conſtitutio *cum titulo Immaculatæ Conceptionis*. Ad hoc reſpondetur, quod jure, ac merito hoc ægre tulerit Summus Pontifex, cum nemini liceat Apoſtolicas adulterare Conſtitutiones. Minime autem ægre tulit, quod ubique terrarum publicaretur, & in concionibus ad Populos prædicaretur, ipſum inter Feſta de præcepto ab omnibus obſervanda, *Immaculatæ Conceptionis* annumeraſſe Feſtivitatem. Si Inquiſitor Bononienſis anno 1668. permittere noluiſſet Conſtitutionis Alexandri VII. impreſſionem *cum titulo Immaculatæ Conceptionis*; a Sancti Officii Congregatione abſque dubio laudatus tunc fuiſſet. Sed cum in alio caſu, in quo de typis mandanda hujuſmodi Conſtitutione non agebatur, licentiam Patribus Conventualibus denegaſſet typis mandandi, ac publicandi, *univerſos Chriſtifideles, die 8. Decembris, Immaculatæ Conceptionis Feſtivitatem ſolemniter*

celebrare; Eminentiſſimi Patres, examinata prius eadem Conſtitutione, ei mandarunt, ut dictam propoſitionem typis mandare, ac publicare non prohiberet; *ſupra* §. 180. Si *cum* eodem *Immaculatæ Conceptionis titulo* typis mandata fuiſſet alia ejuſdem Alexandri VII. Conſtitutio; qua Sereniſſimæ Venetiarum Reipublicæ *Conceptionis* Octavam conceſſerat; ægre id tuliſſet idem Pontifex; qui tamen nullatenus improbavit, quod Sacra Rit. Congregatio tunc aſſeruerit, ac veluti declaraverit, ipſum reipſâ per illam Conſtitutionem, *Immaculatæ Conceptionis* Octavam indulſiſſe; *ſupra* §. 214. Similiter ægre tulit Clemens XI., quod dicta ſua Conſtitutio, cum titulo *Immaculatæ Conceptionis*, typis mandata fuiſſet; ſed cum R. P. Ludovicus Gotti, Bononienſis Inquiſitor, inter Eminentiſſimos Purpuratos poſtea cooptatus, Sancti Officii Congregationem ſuper ſimili materia conſuluiſſet, præciſe ob emanatam eamdem Conſtitutionem cum nudo *Conceptionis* titulo; Sacra eadem Congregatio 25. Maii 1712. reſpondit = *Reſcribendum Patri Inquiſitori Bononiæ, quod non impediat imprimi Conciones, aliaque Themata, in quibus Conceptioni B. M. V. titulus Immaculatæ tribuatur*. Supra §. 184., & ab eo tempore uſque ad præſens ægre non tulerunt, nec ferunt Summi Pontifices, quod Eminentiſſimi Urbis Cardinales Vicarii, ut dictum eſt, & totius Orbis Archiepiſcopi, & Epiſcopi, quolibet anno, Chriſtifideles per Edicta publica invitent, ut ſe præparent ad rite celebrandum *Immaculatæ Conceptionis* Feſtum, & ad Indulgentias lucrandas, a Sancta Sede pro eodem *Immaculatæ Conceptionis* Feſto conceſſas. Utrum autem expediret in Bullis, & Brevibus titulum *Feſti Immaculatæ Conceptionis* apponere, ad tollendum quibuſdam occaſionem fallacias, & Sophiſmata in præjudicium Sacri Myſterii, & contra Eccleſiæ mentem quotidie renovandi, determinare ad me non ſpectat.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XVIII.

Quænam fuerit Eminentiſſimorum Bellarmini, & Lambertini mens, ac Sententia, ſuper Obiecto Cultus, Sacro Myſterio exhibiti; & quid ſuper hac re ſenſerint etiam omnes fere Theologi.

221. ANno 1576. ſuum Controverſiarum fideĩ opus exarare incepit Cardinalis Bellarminus, prout in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu notatum legitur; & *lib.* 3. *de cultu SS. cap.* 16., allata obiectione quadam, contra Conceptionis Feſtum, ab hæreticis facta, videlicet quod Catholici *falſo*, *vel ſaltem dubio* innixi *fundamento*, Feſtum illud celebrarent; Reſpondet primo, *in majori parte Eccleſiæ pie credi, Beatam Virginem ſine Peccato Originali conceptam; quod etiam ex Adverſariis fatentur Lutherus, & Eraſmus*. Deinde idem fere iterum replicat, videlicet = *Magnum eſt diſcrimen inter Matrem Dei, & Præcurſorem ejus, & inter utramque Conceptionem; nam quia major pars Eccleſiæ pie credit Immaculatam Conceptionem; inde habuit eadem Eccleſia occaſionem inſtituendi hoc Feſtum, quam occaſionem non habuit ad inſtituendum Feſtum de Conceptione Joannis Baptiſtæ*. Poſtea ultimam, quæ nobis, ſupra §. 210., fuit obiecta, affert rationem, ſcilicet = *Dico ſecundo, quod fundamentum hujus Feſti præcipuum non eſt Conceptio Immaculata, ſed ſimpliciter Conceptio Matris Dei futuræ. Qualiſcumque enim fuerit illa Conceptio; eo ipſo quod Conceptio fuit Matris Dei, gaudium affert Mundo ejus memoria; tunc enim primum habuimus pignus certum Redemptionis. Itaque hoc Feſtum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in Peccato conceptam*. Tandem *libr.* 4. *de*

amiſſ.

amiſſ. grat. & ſtat. peccati, cap. 15. *num.* 35. ubi ex profeſſo agit de præſenti controverſia, ſequentia habet: *Totus fere Orbis Chriſtianus celebrat Feſtum diem Conceptionis V. M., eamque Conceptionem Immaculatam vocat.*

222. Ex quibus omnibus collective ſumptis habetur, quod varie tunc, & perplexe loquebatur Bellarminus de Immaculatæ Conceptionis Feſto. Nec mirum; emanaverat enim, dumtaxat a ſex annis, Pii V. Conſtitutio: *Super Speculam:* qua cuilibet concedebatur facultas, Præſervationis, vel Sanctificationis opinionem in publicis Academiis, & Concluſionibus defendendi; videbatque inclytum Prædicatorum Ordinem, annuente, vel tacente Sancta Sede, Sanctificationis Officium recitantem. Nondum emanaverant Pauli V., & Gregorii XV. Decreta, quibus, *ad evitanda in Populo Chriſtiano ſcandala*, ſilentio, tam publice, quam privatim ſepulta fuit maculatæ Conceptionis Sententia. Nondum declaraverat Gregorius XV., hujuſmodi ſilentium *ad conſulendum Matris Dei dignitati* fuiſſe impoſitum; nec Sanctificationis Officium prohibuerat, omnibus expreſſe præcipiendo ut in Divinis Officiis, & Miſſa, *Conceptionis* nomine utentes, Eccleſiæ Romanæ exemplum in hujus Feſtivitatis celebratione ſequerentur. Nondum tandem declaraverat Alexander VII., Beatiſſimam Virginem in hac Solemnitate coli, a Peccato Originali, in primo ſui creationis inſtanti præſervatam, & *hujuſmodi Cultum, in Eccleſia Romana, poſt ejus inſtitutionem, nunquam fuiſſe mutatum*. Quapropter plurimi Auctores, qui noſtris temporibus ſuper hac materia ſcripſerunt, unanimiter oſtendunt contra Eminentiſſimum Gotti, Lampridium, ſeu Valdeſium, & ipſum P. Amort, quod Bellarminus aliter prorſus ſcriberet poſt emanata memorata Sanctæ Sedis Oracula. *Joan. de Luc. de Im. Conc. art.* 13., *Candid. Parthen. de piet. in Deip. amplif. num.* 70., & 71.,

Octav.

Octav. Valer. de Superſt. tim. vit. Cap. 10., *&* 11., *Bened. Plaz., pag.* 450., *Dalmat. Kik contin. Juſt. Defenſ. part.* 3. *cap.* 4. *art.* 5. *argum.* 4. Inutile tamen videtur inveſtigare, & conjicere velle, quid ſuper hoc dixiſſet Bellarminus poſt emanata dicta Decreta; cum de facto habeamus, illum, elapſis 40. annis ab elaborato dicto ſuo Controverſiarum Opere, expreſſe, & abſque ulla dubietate ſuam aperuiſſe mentem ſuper vero Cultus Obiecto, Immaculatæ Conceptioni exhibiti. Vidimus §. 199., ipſum anno 1598., in ſuo Doctrinæ Chriſtianæ Libello, de mandato Clementis VIII. compoſito, Sententiam piam inter Doctrinæ Catholicæ Articulos, omnibus Orbis terrarum Chriſtifidelibus, in Scholis, & in Eccleſiis explanandos, annumeraſſe. Anno deinde 1617. in Congregatione Sancti Officii, die 31. Auguſti, coram Paulo V. celebrata, Votum obtulit, in quo ſequentia de noſtræ Feſtivitatis obiecto leguntur = *Nec poteſt reſponderi, quod in Officio Conceptionis non approbatur Conceptio corporalis Immaculata, ſed Sanctificatio in utero poſt animationem. Nam Sixtus IV., qui approbavit Officium, declaravit animum ſuum, tum in Extravagant:* Grave nimis, *quæ eſt in Corpore juris; tum in approbando Officio Leonardi de Nogarolis, in cujus Collecta dicitur: Virginem per merita Chriſti præviſa, præſervatam ab omni macula: Præterea in Reſponſorio octavo dicitur: Sancta Conceptio; at non eſt Conceptio, niſi in illo primo inſtanti, in quo infuſa eſt Anima corpori, in quo cœpit eſſe in rerum natura Perſona integra Virginis; alioquin ſi accipiatur Conceptio pro Sanctificatione poſt animationem; etiam Jeremias, & Joannes Baptiſta dicerentur Concepti ſine peccato Originali. Denique communis ſenſus Fidelium eſt, celebrari Conceptionem ſolius Virginis, quia ipſa ſola vere concepta eſt ſine Peccato Originali.* Sequamur ergo Bellarminum Senem, & relinquamus aliis Bellarminum juvenem. 223.

Digitized by Google

223. Si autem, Bellarmini tempore, *communis Fidelium ſenſus* jam erat, celebrari *ſolius Virginis Conceptionem*, non quidem *ob gaudium dumtaxat quod annuntiavit univerſo Mundo*, ſed etiam *quia ipſa ſola vere concepta eſt ſine Peccato Originali*; non video, quomodo poſt tot, ac tantos favores ab illo tempore uſque ad præſens a Summis Pontificibus Sacro Myſterio, & ejus Cultui cumulate præſtitos, ullus abſque rubore poſſit, non dico aſſerere, ſed nec cogitare oppoſitum. Innumeri fere ſunt Auctores, tam antiqui, quam moderni, unanimiter *docentes*, *ac probantes*, *Sanctam Romanam Eccleſiam tenere*, *BB. Virginem ſine Peccato Originali conceptam fuiſſe*; & *in eo ſenſu*, ut clare declaravit Alexander VII., *Feſtum ejuſdem Conceptionis Celebrare*. Varios, quos præ manibus habui, hic affero, vel in Elencho indicabo, ut quilibet videre valeat quanti ſit ponderis una, vel altera æquivoca, & perplexa auctoritas, in contrarium ab Adverſariis, adhuc his noſtris temporibus adducta, non obſtante Alexandri VII. prohibitione, *quod pia Sententia*, *& Cultus ſecundum ipſam non poſſint in dubium revocari*.

224. Manuale Ordinis Prædicatorum, Hiſpali anno 1524. editum = „ Quia Ordo Prædicatorum ſolitus eſt „ Sanctorum Doctrinæ adhærere; ſuſtinuit huc uſque Opi- „ nionem, quod Beata Virgo fuit concepta in Originali; „ ſed jam de hoc non eſt curandum, cum ſit materia „ nullius utilitatis, & *valde ſcandaloſa*; præſertim *cum* „ *tota Eccleſia*, cujus uſus, & Auctoritas, ſecundum B. „ Thomam, prævalet dicto Hieronymi; & cujuſcumque „ alterius Doctoris, *jam aſſerat quod fuit præſervata*. Nec „ mirum, quia tempore Auguſtini, tanta quæſtio erat de „ Aſſumptione BB. Virginis, unde dicit: *Homo non fingat* „ *mendaciter apertum*, *quod Deus manere voluit occultum*; „ Et tamen jam univerſaliter tenet Eccleſia, quod ſit aſ-

„ ſum-

„ ſumpta in Corpore, & in Anima; & oppoſitum nullus „ auderet, opinari.„

225. Franciſcus Cardinalis Toletus, anno 1596. mortuus, *in* 3. *part. qu.* 27. *art.* 2. = „ Virgoglorioſa per „ copioſam gratiam præſervantem fuit abſque ulla Originis macula concepta. Hanc partem ſuſtinentes, divino „ favore probare intendimus; & quamvis fide non teneamus eam, *certior tamen nobis eſt*, *quam poſſimus ratione exprimere*, *&* *convincere* . . . Probatur ſecundo „ *ex univerſalis Eccleſiæ conſenſu*. *Celebrat enim Romana* „ *Eccleſia*, & fere tota Chriſtiana Religio Feſtum Conceptionis, & Sacrum Solemne, in quo *ſub iſta veritate* „ multa petit a Deo... hoc argumentum eſt tam efficax, „ *ut debuiſſet convincere omnem Fidelem* ... *Quis credet*, „ *Deum nos in tanto errore jacere permiſiſſe?* Credat qui „ volet; Ego non. Id perſuaſum eſt mihi, *citra fidem*, „ eſſe *veritatem certiſſimam*, & quod, Deo volente, aliquando certior erit.„

226. Aloyſius Lippomanus, Epiſcopus Veronenſis, Præſes Concilii Tridentini, tempore Julii III., *In Cantic*. = „ Non ſolum omnes fere Theologiæ Profeſſores, & Doctores; ſed etiam *omnes qui Chriſtiani nominis fidem* „ *profitentur*, in hanc Sententiam (Immaculatæ Conceptionis) uno animo, & uno affectu ſpirant, *ut ſine* „ *magno Populi Scandalo jam nemo poſſit oppoſitum Populo in Concionibus exponere*.„

227. Thomas Campanella Dominicanus, *tract. de Conceptione*, *anno* 1624. „ Nunc temporis, non ſolum aliquæ Eccleſiæ, ſed etiam Romana celebrat Feſtum *Conceptionis Sanctæ*, ſicut Nativitatis; & eadem encomia, „ & laudes, *&* *prærogativas* dat Conceptioni, quas Nativitati, ex præcepto Pii V., & Gregorii XV. Quo „ præcepto etiam Dominicani obligantur, & mutaverunt

Digitized by Google

„ nomen Sanctificationis, in Conceptionis, & canunt Officium de Conceptione, ut de Nativitate. Quapropter „ *tota Eccleſia* nunc argumentum D. Thomæ, & D. Bernardi reſolvit &c.; & cum Cajetanus dicit, quod hæc „ Feſtivitas non facit argumentum demonſtrativum, apprime fallitur; Quoniam in ejus oppoſito ſe fundabant „ Thomas, & Bernardus, & Turrecremata, & nunc oppoſitum concludit aliud oppoſitum &c., & cum ſubdit, quod celebratur Conceptio quatenus Sanctificata, „ ſive in ſuo inſtanti, ſive poſt &c. Nos fatemur, quod „ celebratur Conceptio, non ut Conceptio, ſed ut Sancta; At ſic etiam celebratur Nativitas Chriſti, & Deiparæ, non ut Nativitas, ſed ut Sancta. *Verum Conceptio non poteſt dici Sancta, quia poſtea Sanctificatur; non* „ *enim, quod non amplius eſt, poteſt Sanctificari &c.* Quoniam vero nos *Eccleſia* vult celebrare ſub nomine Conceptionis, & non Sanctificationis, *manifeſte contradicit* „ *his*, qui poſt Conceptionem Sanctificant B. Virginem. „

228. Joannes Ludovicus Schonleben, Theologus, & Decanus Labacen. an. 1669., *in examine Synopſis Fr. Marcelli, cap. 12. num. 4.* „ Indubitata eſt *in Eccleſia*, Perſonæ illius Sanctitas, cujus Feſtum celebratur, pro illo „ inſtanti, pro quo celebratur; *Sed de facto celebratur* „ *Conceptio B. V. pro inſtanti animationis*, ergo indubitata „ eſt Sanctitas B. Virginis *in Eccleſia pro inſtanti animationis*. „

229. Joſeph Maria Perimezzius, Epiſcopus Oppid. *Diſſert. Dogmat. part. 4. diſſ. 202. pag. 16.* „ En Sancti Thomæ verba: *Non autem celebratur Feſtum in Eccleſia niſi pro aliquo Sancto; Ergo B. Virgo in ipſa ſua* „ *Nativitate fuit Sancta; fuit ergo in utero Sanctificata;* „ Atqui ad præſens non ſolum in quibuſdam peculiaribus „ Eccleſiis *Immaculatæ Conceptionis* Virginis *Feſtum*, ve-

„ rum

„ rum quoque *in univerſali Eccleſia* ſub præcepto cele-
„ bratur; ergo ex poſitionibus S. Thomæ, *Conceptio* B.
„ Virginis *fuit Sancta*, *adeoque illibata*, *& ſine macula*. „
& pag. 19. „ Tertio probatur ex Romanis Pontifici-
„ bus: Sixtus IV. &c. Clemens XI. declaravit, *per totam*
„ *Eccleſiam univerſalem* eſſe celebrandum de præcepto
„ *Feſtum Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. „

230. Ægidius de Præſentatione, Ordinis S. Auguſtini, *lib.* 3. *de Præſerv. Virg. q.* 6. *artic.* 1. §. 6. *num.* 58. „ Eccleſia Romana in celebrandis Sanctorum Feſtivitati- „ bus errare non poteſt; ſed *Eccleſia Romana* non ſolum „ publice *celebrat Feſtum Conceptionis* B. V., *& præcipit*, „ *ut publice celebretur ſub titulo Immaculatæ*, *& immunis* „ *ab omni Originali labe*; ſed etiam ad illud celebrandum „ Indulgentiarum largitione, & privilegiorum conceſſione „ Fideles allicit, & invitat; Ergo *in Celebratione Conce-* „ *ptionis* B. V. *ſub titulo Immaculatæ* errare non poteſt; „ utique *a parte rei veriſſimum eſt*, *& certiſſimum*, *Con-* „ *ceptionem B. V. fuiſſe Sanctam*, *& ab Originali immu-* „ *nem* „. De cætero ne nimis in longum protrahatur præſens Articulus, plurimi alii Auctores, unanimiter idem tenentes, & aſſerentes videri poſſunt in Elencho, *Sum. num.* 27., qui brevis forſan, & compendioſus iis apparebit, qui Patris Alva *Militiam* præ manibus habebunt, in qua ſex fere Auctorum millia referuntur, qui Sacri Myſterii favore ſcripſerunt; Sed eos tantum in iſto Elencho, & in tribus aliis poſui, quorum Auctoritates ex integro excerptas teneo. Quibus addi poteſt, quod nullus invenietur ſermo ad Fideles pro hac noſtra Conceptionis Feſtivitate a tempore immemorabili habitus, in quo pluries, ac pluries non replicetur, celebrari ab Eccleſia Feſtivitatem puriſſimæ, & Immaculatæ Conceptionis glorioſæ Virginis Mariæ. Unum inveniant Adverſarii, ſi poſſint, in quo ha-

beatur, quod, cum ignoret S. R. E. utrum BB. Virgo cum Peccato Originali, vel ſine eo concepta fuerit; ideo Solemnitatem Conceptionis *ut ſic* celebrat, ab eo inſtanti præſcindendo, quo fuerit vel Sancta, vel mundata; Nobiſque interim dicant, utrum verum, vel falſum in Cathedra Veritatis ubique terrarum prædicetur; utrumque, ut alibi vidimus, verum, vel falſum, tamquam Chriſtianæ Doctrinæ Articulus ubique pariter, præcipientibus, vel ſaltem exhortantibus Summis Pontificibus, doceatur.

231. Perſuadere voluiſſet R. P. Euſebius Amort, Eminentiſſimum Lambertini, poſtea Benedictum XIV., Cardinalium Bellarmini, & Gotti ſententiam, ab eo ut ſupra relatam, adoptaſſe, & cum eis ſenſiſſe, *præcipuum Feſti*, de quo agitur, *fundamentum non eſſe Conceptionem Immaculatam, ſed ſimpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ, qualiſcumque fuerit illa Conceptio*. Hoc tamen, ut loco citato erudite probat Pater Dalmatius Kiek, non ſubſiſtit; licet enim dictus Cardinalis, *annot. ſop. le Feſte, part.* 2. *della Feſta della Concez.* §. 208., ſupra recenſitas §. 220., tum Bellarmini, tum & Gotti Auctoritates modo veluti narrativo afferat, non tamen eorum amplectitur ibi Sententiam. Imo §. *ſequenti*, videlicet 209., Suareſium citat, contrariam ſtrenue defendentem Sententiam, & fatetur, illius argumenta efficacia eſſe, & valida; Ibi = *Il Suarez per lo contrario nella* 3. *par. di S. Tomm. q.* 27. *art.* 2. *diſp.* 3. *Seſſ.* 5., conſtantemente *ſoſtiene, celebrarſi dalla Chieſa nella Feſta della Concezzione, la Concezzione come Santa, ed Immaculata; ed i fondamenti, che egli porta, per dire il vero, ſono forti, e gagliardi*. Additque, ſui muneris non eſſe tales diſcutere Theologicas Quæſtiones: *A noi non appartiene l'entrar di mezzo a queſte Teologiche differenze*. Et ea repetit, quæ in Opere ſuo Canonizationis Sanctorum jam di-

dixerat, videlicet, quod licet Eccleſia Feſtum Immaculatæ Conceptionis celebret, non inde ſequitur, *Immaculatam Conceptionem, veluti Articulum Fidei eſſe definitam*.

232. Audiamus ipſum, *cit. loco annot. ſup. Feſt. Concept.* §. 187. de hac materia loquentem: „ *Celebrabatur*, „ inquit, in quibuſdam Eccleſiis particularibus *Feſtum* „ *Immaculatæ Conceptionis* Mariæ, & *illius Officium* reci- „ tabatur. Cumque Lugdunenſis Eccleſia *eumdem Ri-* „ *tum, eamdemque devotionem* amplexa fuiſſet; S. Ber- „ nardus, Zelo plenus, ſuam exaravit Epiſtolam 174., „ in eaque *dictum Feſtum* nuncupavit novum, Patribus „ incognitum, & Ritui Eccleſiaſtico minime conformem. „ *Et* §. 188. = Sancto Abbati præſertim diſplicebat, „ quod *hujuſmodi Feſtivitas*, inconſulta Sede Apoſtolica, „ introducta fuiſſet. Si autem ad præſens viveret, ac „ ſummam videret Eccleſiæ propenſionem *erga Immacu-* „ *latam Conceptionem Mariæ*; ſi videret *illius Feſtum*, „ *ubique terrarum*, *Auctoritate Apoſtolica inſtitutum*; ſe- „ queretur ſine dubio unanimem illam diſciplinam, a „ Sancta Sede approbatam, cujus judicio omnia jam „ ſubmiſerat in dicta Epiſtola contenta.„ Teſtatur igitur ſan. mem. Benedictus XIV., *antiquitus* celebratam fuiſſe Feſtivitatem *Immaculatæ Conceptionis*: Lugdunenſem Eccleſiam *idem Feſtum* recepiſſe: Sanctum Bernardum *contra illud* inſurrexiſſe; & ad præſens *Auctoritate Apoſtolica* ubique terrarum *inſtitutum reperiri*. Quæ omnia in Conſtitutione Alexandri VII. gradatim, & ſucceſſive referuntur, vel ſaltem ab ea inferri facile poſſunt.

ARTICULUS XIX.

Quid cenſerent hodie SS. Bernardus, Thomas, ac alii, qui olim contrarii fuerunt Cultui, qui exhibebatur Beatiſſimæ Virgini, a Peccato Originali in primo ſui Creationis inſtanti præſervatæ.

233. ANtonius Lampridius in ſuo Opere *de Superſtitione vitanda*, capite duodecimo, cui titulus: *Communis olim Theologorum Sententia, contraria Scotiſticæ.* = *Gabrielis Saavedræ temerariæ quædam Concluſiones* = Undecimam affert, pagina 89., Saavedræ *temerariam* propoſitionem ſequentis tenoris, videlicet = *Dicendum exiſtimo, quod ſi Angelicus Doctor, fulgentiſſimus Sol, vivens nunc, lampade Phœbea cunctas illuſtraret Eccleſias, procul dubio amplecteretur ultroneus Sententiam piiſſimam* = (integram potuiſſet referre propoſitionem, ac adiungere: *& defenderet viribus totis Virginis Conceptionem Immaculatiſſimam*) ac poſtea contra eumdem Patrem ſic inſurgit: „ At quis tantam huic confidentiam fecit, „ ut *proculdubio* hoc futurum affirmet? Tot millia Do„ ctorum hominum nunc vivunt, qui Thomæ Aquina„ tis ſe diſcipulos profitentur, iique nondum Scotiſticæ „ adhæſere Sententiæ. Et numquid *fulgentiſſimus* ille *Sol* „ eclypſim patiebatur, quum oppoſitam ſententiam te„ nuit, & docuit? Sed hæc ſomnia miſſa faciamus. „ Hæc Lampridius, qui propoſitionem Gabrielis Saavedræ, (voluit ſine dubio dicere: *Silveſtri Saavedræ, Ordinis B. M. de Mercede*) *temerariam*, & hominis *Somniantis* vocat. Qui, in ſpretum Conſtitutionum Apoſtolicarum, piam Sententiam, quam Scotiſticam vocare non ceſſat, contrariam eſſe communi veterum Theologorum ſententiæ,

Digitized by Google

tiæ, his noſtris temporibus ex profeſſo probare nititur. Qui nullatenus concoquere valet, Doctorem Angelicum vel minimam paſſum fuiſſe eclypſim; ſimulque contendit, *abſque impudentia, & peccato*, piam & probabilem eam eſſe negari non poſſe opinionem, quæ BB. Virginem Dei inimicam, Diaboli Servam, immundam, fœdatam, & conſpurcatam ſuſtinet. Nunc autem oſtendere dumtaxat intendo, *quis Saavedræ tantam fecit confidentiam*, ut recenſitam aſtrueret propoſitionem; & an ipſe ſolus *temerariam illam, & ſomniantis hominis* propoſitionem docuerit, quam, §. *præcedenti*, a ſan. mem. Benedicto XIV. mox defenſam vidimus, relate ſaltem ad S. Bernardum.

234. Eminentiſſimus de Lugo, Sermone, quem coram Eminentiſſimis Cardinalibus anno 1635. habuit in Octavario Solemni, in Eccleſia SS. Laurentii, & Damaſi, a S. P. Q. R. celebrato, ait =„ *La Chieſa Ro-*
„ *mana*, la quale non propone a ſuoi *il nero* per *bian-*
„ *co*, ed il *cattivo* per *buono*. Queſta *Chieſa Romana*
„ tanti anni ſono, ſe bene non ha voluto di fede di-
„ chiarar queſto Miſtero, *dice l'Officio, e celebra Feſta*
„ *dell' Immacolata Concezzione di Maria . . . . . La Chieſa*
„ *Romana ha fatto l' Officio dell' Immacolata Concezzione:*
„ dice queſto il Papa? *Dunque* quantunque reſti il punto
„ principale ſenza deffinizione, non ſi può dire ſenza
„ errore, che non fa bene, chi celebra l' Immacolata
„ Concezzione. Sapeva bene la forza di queſta conſe-
„ quenza l' ingegno più che umano dell' Angelico Dot-
„ tore San Tomaſo d' Aquino, il quale ſe ne ſerve per
„ provare, che nacque queſta Signora ſenza peccato:
„ *La Chieſa Romana celebra Feſta della ſua Natività;*
„ *dunque nacque ſenza peccato*. Se queſto gran Dottore
„ aveſſe veduto, *che la Chieſa Romana celebrava la Fe-*

„ *ſta*

Digitized by Google

„ *ſta dell' Immacolata Concezzione*, che coſa avrebbe „ detto? „

235. Rutilius Benzonius, Epiſcopus Lauretanus, anno 1612., *in Pſalm.* 86. *cap.* 40. „ Revera uſque hodie Articulus iſte *de Immaculata* Virginis *Conceptione* „ non eſt definitus ab Eccleſia . . . Verba S. Thomæ „ (3. *part. qu.* 27. *art.* 1.) recte ſcripta ſunt pro tempore quo ea ſcripſit; hodie tamen Eccleſia Romana „ Feſtum illud ſub nomine Conceptionis celebrat, nec „ ſolum tolerat . . . *Porro S. Thomas*, & *alii Sancti Patres*, & Doctores contrariæ Sententiæ, *ſi hodie* viverent, *non eſt dubium*, quin etiam ipſi libentiſſime hanc „ Sententiam amplecterentur . . . . *Horrent aures audire*, „ Matrem Dei fuiſſe aliquando Diaboli mancipium; & „ eam, quam Deus oſculatus eſt oſculo oris ſui, amplexatam a Diabolo fuiſſe vel minimo temporis momento. Quæ enim conventio Dei cum Belial, & Lucis ad tenebras? „

236. Coſmus Philiarchus, Theologus Florentinus, *de Officio Sacerdot. tom.* 1. *lib.* 3. *De Dogmat. fidei* cap. 10. = „ Quod Romana Eccleſia teneat *Immaculatam* „ Virginis *Conceptionem*, multipliciter probatur. Primo „ quia *illius Feſtum ſolemniter celebrat:* „ = & *cap.* 21. „ Cum viderit Sanctus Bernardus, Eccleſiam Romanam „ non celebrare tunc Feſtum Conceptionis; putans id „ eſſe, quia fuit concepta in peccato; quærit cauſam, „ quare non fuerit concepta ſine peccato. Sed videns, „ id non eſſe certum, dubitative loquitur, & Scriptum „ correctioni ſubdit, dicens: *Quæ autem dixi, abſque* „ *præjudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ, cujus auctoritati, atque examini, totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejuſmodi ſunt, univerſa* „ *reſervo; ipſius, ſiquid aliter ſapio, paratus judicio emendare.*

Digitized by Google

„ *dare*. Hæc non adduxit Cajetanus, ex quo ſequitur, „ quod S. Bernardus pro nobis potius facit, *& nunc* „ *contrarium nobiſcum ſentiret*, cum Eccleſia Romana ce- „ lebret illud Feſtum; & nunc de Conceptione diceret, „ ſicut ibidem de Nativitate . . . . Præcipuum illorum „ (SS. Thomæ, ac Bonaventuræ) fundamentum, utpote „ motorum auctoritate Sancti Bernardi eſt, quia Eccle- „ ſia Romana tunc non celebrabat hoc Feſtum; *ex quo* „ *ſequitur*, *quod nunc tenerent Immaculatam Conceptio-* „ *nem*, *cum illam celebret Romana Eccleſia*. „

237. Pater Vincentius Juſtinianus Antiſt. Ordinis Prædicatorum, in calce ad Vitam Sancti Ludovici Bertrandi, ejuſdem Ordinis, §. 1. refert, approbat, & confirmat ejuſdem Sancti Doctrinam, videlicet, quod antiqui Sancti, ſi viverent, ſententiam, relate ad Immaculatam Conceptionem, mutarent. Ibi =„ Razon ſerà tam- „ bien, que en eſte (capitulo) reſpondamos por el (Sier- „ vo de Dios) acerca de otros dos puntos pertenecientes „ a la eſpeculacion. El primero es, que dijò algunas ve- „ zes, que ſi los Santos antiguos vivieran ahora, dixeran, „ y eſcrivieran lo miſmo que noſotros ſentimos de la „ Concepcion ſin mancilla de la Reyna del Cielo, por lo „ mucho que los Sumos Pontifices, y caſi toda la Ygle- „ ſia, poco a poco, ſe han ido, y van moſtrando favo- „ rables a eſta pia, y ſanta Dotrina. „ & §. 15. =„ De lo „ dicho queda bien provado, que nueſtro Santo Padre tu- „ vò baſtantes motivos para creer, que los Santos anti- „ guos, ſi vivieran ahora, ſiguieran lo, que caſi toda la „ Ygleſia tiene. „ Adeſt iſtius Operis Approbatio, 16. Februarii 1593., de mandato Magiſtri Provincialis, a P. Hieronymo Baptiſta de la Nuzza ejuſdem Ordinis exarata, quæ ſic concluditur =„ Come Obra tan pia, docta, „ y verdadera, juzgo ſer digniſſima de impreſſion, y li- „ cion de toda ſuerte de perſonas. „ Gg 238.

238. Laurentius de Aponte, Ordinis Clericorum Minorum, an. 1628., *in Sap. cap. 1. num. 4. Digreſſ. 2.* §. 58. = „Eccleſiæ Sanctæ Romanæ de hac re expectans „ judicium Sanctus Thomas, ejus in hanc noſtram Sen„ tentiam propenſionem ſi ſemel vidiſſet, ut Beatus ait „ Ludovicus Bertrandus, & Vincentius Juſtinianus Antiſt. „ Dominicanus, in notis ad vitam Bertrandi; & Joannes „ a Fenario, ejuſdem Ordinis Generalis, *& ſimul omnis* „ *nunc Theologorum Schola*; nunquam contrariam Senten„ tiam ſtatuiſſet.„

239. Gerardus Van Herdegom, Canonicus Præmonſtratenſis, *in D. Virgine candida, lib. 3. cap. 2. edit. an.* 1650. „ Sententia hæc *uſque adeo per univerſam Ec-* „ *cleſiam* hodie recepta eſt, ut nec ipſe quidem S. Ber„ nardus, neque S. Thomas, ſi modo viverent, ei am„ plius, ut exiſtimo, contradicerent. Teſtimonia enim „ pro ea, tam ex ſacra Scriptura, quam ex Ss. Patri„ bus deſumpta, credibilia facta ſunt nimis; ut *nonniſi* „ *inimicus D. Virg.*, vel *ſaltem ei parum addictus*, con„ trarium ſuſtinere poſſe mihi videatur. Scio quidem, a „ Sede Apoſtolica eam hactenus non eſſe canonizatam, „ aut tamquam de fide definitam; ſed ſcio etiam, con„ trariæ opinioni ab eadem Sede ſilentium eſſe indictum; „ adeo ut *ſi nondum illa contraria ſit mortua*, *ſaltem pro-* „ *pe diem moritura credatur*.„

240. Franciſcus Bivarius, Ciſtercienſis, *in Auguſtino vindicato* §. 1. „ Si Auguſtinus nunc temporis viveret, „ *diſertis verbis prædicaret* Præſervationem Virginis ab „ Originali Peccato, *& Feſtum cum tota Eccleſia* in Con„ ceptionis gratiam celebraret; & hoc quidem tam cer„ tum eſſe, ac manifeſtum, ut in dubium verti non „ poſſit„. §. 2. „ *Illud igitur inprimis præter omnium* „ *dubitationem eſto*, Sanctiſſimum Antiſtitem Feſtum Con-

„ ce-

„ ceptionis, ſi nunc in vivis eſſet, celebraturum fore, „ *& pro Immaculata* ſubſcripturum . „

241. Doctorum multitudo, & Theologorum idem docentium veluti quid notorium, & ſolidiſſimis rationibus probantium, ac defendentium, videri poteſt in Elencho, *Sum. num.* 28.; Qui omnes, ſi doctiori in hac materia Lampridio fides adhibeatur, inter *ſomniatores*, & *temerarios* annumerandi ſunt; imo eorum plurimi graviori cenſura inuri debebunt; non ſolum enim cum Padre Saavedra docent, quod *Divus Thomas*, *ſi hodie viveret*, *Immaculatam Conceptionem* defenderet; ſed ulterius quod contraria Sententia, *ſi nondum ſit mortua*, *prope diem moritura ſit:* Quod *horreant aures*, *contrarium audire:* Quod *nonniſi inimicus D. Virginis*, *vel ſaltem ei parum addictus*, contrarium ſuſtinere poſſit. Hæc, & ſimilia communiter docebant, & docent Cardinales, Epiſcopi, Univerſitatum Doctores & diverſorum Religioſorum Ordinum Theologi, partim jam ante tempora Pauli V., & Gregorii XV., partim ante emanatam Alexandri VII. Conſtitutionem: *Sollicitudo*; eaque edita, & publicata, Patrem Alexandrum Natalem, Ordinis Prædicatorum, §. *66.*, & 168. aſſerentem audivimus, quod *Spiritus Sanctus* Sententiæ oppoſitæ *tenebras diſpulit*, quam *antiquatam* ibidem nuncupat; quodque Decretum, *a Patribus Baſileenſibus favore piæ Sententiæ editum*, *nemo pium*, *& ſalutare eſſe negaverit*, *niſi publicæ pietatis*, *& devotionis Fidelium erga Immaculatam Conceptionem hoſtis*. Quid pariter dicerent veteres omnes Theologi, & Doctores, ſi his noſtris temporibus ſcriberent, poſt tot, ac tantos favores, quibus a Sancta Sede, noſtra pia Sententia, ab emanata Alexandri VII. Conſtitutione, cumulata eſt? (ſupra *Art.* 13.)

Digitized by Google

242. Adde, quod obſcura non eſt amplius quæſtio de qua agitur, prout reperiebatur temporibus SS. Bernardi, Thomæ, & Bonaventuræ. Omnes enim hodie evidenter agnoſcunt, & ſciunt, non celebrari Feſtum Conceptionis ſeminalis, ſed Feſtum Creationis Animæ Beatiſſimæ Virginis, & infuſionis ejus in Corpus. Non poteſt amplius nobis objici: *Conſulenda erat Sedes Apoſtolica*; ipſa enim non ſolum permittit, nec ſolum hortatur, ſed & omnibus ſtricte præcipit, ut dictum Feſtum celebrent. Fatentur omnes, etiam piæ Sententiæ acriores Adverſarii, (ſi pauci adhuc reperiantur) eamdem Sententiam nullimode iis opponi quæ dixit Apoſtolus, videlicet: *Quod in Adamo omnes peccaverunt*. Et quomodo hoc non faterentur, ſi a Tridentino Concilio implicite ſaltem declaratum jam fuerit? Fatentur omnes, Beatiſſimam Virginem vere, & realiter per merita Jeſu Chriſti, ejus divini Filii, redemptam dici, & fuiſſe, quantumcumque Maculam peccati Originalis minime contraxerit, & in primo ſuæ Creationis inſtanti ab ea præſervata fuerit. Si enim Sanctus Auguſtinus *lib.* 2. *Confeſ. cap.* 7. gratias Deo reddit, etiam de peccatis, quæ eo adjuvante operatus non eſt; & dimiſſa ſibi a Deo fateatur, non ſolum mala quæ ſua ſponte fecit, ſed & ea quæ eo Duce non commiſit: *Gratiæ tuæ deputo quæcumque non feci mala = Omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ Te Duce non feci*. Ita Beatiſſima Virgo Deo dicere potuit: *Gratiæ tuæ deputo, quod peccato Originali coinquinata non fuerim = Dimiſſum mihi peccatum Originale fateor, quod Te Duce non contraxi*. Et ſi Doctor Angelicus *in Expoſit. Orat. Domin.*, ad illa verba: *Sed libera nos a malo*; ait, quod Chriſtus *hic docet petere præſervationem a malis*. Dicere, quod Beatiſſima Virgo per merita Chriſti *præſervata* fuerit ab Originali peccato, idem eſt ac dicere, eam *liberatam* fuiſſe ab eo-

dem

dem peccato; videlicet liberatam fuiſſe, ne contraheret illud.

243. Imo ſi, juxta eumdem S. Auguſtinum loco citato, Deum amplius diligere is debeat, qui per eum a peccatis fuit præſervatus, quam ille cui commiſſa peccata miſericorditer condonata fuere = *Et ideo Te tantumdem, imo vero* AMPLIUS *diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum ſe videt tantis peccatorum languoribus non implicari*; Sequitur quod Beatiſſima Virgo, ſemel ac præſervata fuit ab Originali, plus Redemptori debuit, & eum plus diligere tenebatur, quam ſi ab eodem peccato, jam contracto, ſanata dumtaxat fuiſſet. Unde omnes Deo dicere poſſumus: *Et ideo Te tantumdem, imo vero* AMPLIUS *diligat benedicta tua Mater, quia per quem nos videt peccati Originalis languoribus exui, per eum ſe videt eiſdem languoribus non implicari*. Ex quibus etiam ſequitur, Doctorem Subtilem *in* 3. *Sent. diſt.* 3. *qu.* 1. jure, ac merito docuiſſe, quod Chriſtus Dominus perfectiſſimus Redemptor non fuiſſet, ſi Beatiſſimam Virginem ab Originali non præſervaſſet. Si enim plus Deo debet qui a peccato præſervatur, quam qui ab eodem jam commiſſo ſanatur; ſignum eſt, majorem recipere gratiam Præſervatum, quam Sanatum; prout iterum expreſſe docet idem S. Auguſtinus *in Pſalm.* 85. ad illa verba: *Eruiſti Animam meam &c.* Præſentem claudat Articulum Opus, Romæ nuper approbatum a Reverendiſſimo Sacri Palatii Magiſtro, ac Sanctiſſimo Patri Clementi XIII. dicatum, quod actualiter ibidem typis mandatur cum titulo = *Lettere familiari intorno all' Immacolata Concezzione della SS. Vergine, ſpiegata ſecondo la mente, e lo ſpirito dell' Angelico Dottore S. Tommaſo, compoſte da Camillo Blaſi della Città di Oſimo, e Avvocato della Curia Romana* = In quo quidem Opere totus eſt eruditiſſimus Auctor,

ut

ut e ſolis Divi Thomæ principiis oſtendat, ac probet, quod idem Doctor, ſi hodie viveret, piam teneret, tueretur, ac propagaret Sententiam. Opus nondum vidi, ſed a Viris eruditis ſummopere illud laudari audivi. Dum hæc typis mandantur, ad manus meas pervenit Theologia moralis Illuſt., ac Rev. D. Alphonſi de Ligorio, S. Agathæ Gothorum Epiſcopi, cujus eruditio commendari, ac laudibus extolli olim meruit a ſan. mem. Benedicto XIV. Is autem doctiſſimus Auctor tom. 3. lib. 7. præfati Operis, edit. Bononien. 1763. ſequentia habet, nempe: §. 250. = *Etenim reapſe mihi videtur pia Sententia, licet uſque adhuc non ſit de fide declarata, eſſe hodie* LUCE MERIDIANA CLARIOR = §. 256. = *Si certum eſt juxta Concilium*, (Tridentinum) *& de fide, divinam Matrem nullam culpam actualem commiſiſſe;* CERTUM *conſequenter eſt* CERTITUDINE THEOLOGICA, *quod ipſa maculam originalem non contraxit* = §. 260. = *Hinc patet quod ſi Sanctus Thomas nunc temporis ſcriberet ....* CERTE ALITER SENTIRET, AC SCRIBERET = §. 262. = *Ex omnibus his deducitur, piam Sententiam præſervationis B. V. hodie tenendam ut certam; & oppoſitam non eſſe amplius probabilem... Contraria Sententia poſt Decretum Alexandri VII., prout antiquata, non eſt amplius nec practice, nec ſpeculative probabilis*. Tandem §. 263. contra Lampridium probat, *licere emittere Votum profundendi Vitam* ob defenſionem præſervationis B. M. V. a labe Originali.

AR-

ARTICULUS XX.

Quamplurimi ſcriptis, aut factis docuerunt, laudabile eſſe, ſanguinem fundere, ac vitam, pro tuenda Immaculatæ Conceptionis Sententia. Quid ſentiebat Lampridius de Sacro Myſterio.

244. DEfenſionem hic non aggredior Voti, quod Sanguinarium vocavit Lampridius, & mordicus impugnavit in ſuo Opere: *De Superſtitione vitanda*; hoc enim ſufficienter, imo & ad ſuperabundantiam peregerunt Candidus Parthenotimus, *De piet. in Deip. amplif.*, C. Octavius Valerius, *de Superſt. timidit. vitand.*, Benedictus Plazza, *Cauſ. Immac. Conc. pag.* 596., Dionyſius Bernardes de Moraes, Luſitanus, *Animadverſ. critic. in Lampridium*; Ignatius Como, *Diſſert. de certit. Imm. Concept. Sect.* 6., & alii citati *in* 5. *Volum. Hiſtor. Litter. Ital. pag.* 431., & *ſeq.*, eo magis quod varia, ni fallor, illius argumenta, ex dictis in hoc meo Opuſculo efficaciter refutata jam videntur. Sicuti autem in præcedenti Articulo modeſtiam obſervavimus, qua erga Patrem Saavedra, & innumeros ei adhærentes Theologos ſe geſſit Lampridius; Ita & nunc ejuſdem apparebit moderatio in ea impugnanda Opinione, quæ licitum, & laudabile eſſe tenet, pro tuenda Immaculatæ Conceptionis Sententia ſanguinem, ſi caſus occurrat, fundere, & vitam. Ipſum audiamus citato libro *de Superſt. vit. cap.* 6. *pag.* 42. „ Quid aliud re-
„ ſtat, inquit, niſi *temeritatis*, & *ſceleris reum eſſe*, qui
„ pro ejuſmodi Sententia tutanda ſanguinem, & vitam
„ fundere velit? „ *Cap.* 7. *pag.* 45. „ *Scelus erit*, & *a*
„ *pietate alienum*, atque adeo *imprudens facinus*, ſimulque
„ *peccatum*, ſanguine ſuo eamdem propugnare ſenten-

„ tiam.

„ tiam. „ Et *cap.* 13. *pag.* 92. „ Dico primo, *impru-*
„ *denter*, *ac temere* emitti Votum de ſanguine fundendo
„ pro tuenda ſententia, aſſerente ſine labe Originali San-
„ ctiſſimam Virginem. „

245. Apud Candidum Parthenotimum, *de piet. in Deip. amplific. diſſert.* 2. *cap.* 5. habemus hujuſmodi Votum cum clauſula, *uſque ad ſanguinis*, & *animæ effuſionem*, *ſi opus fuerit*, peractum a Metropolitano Panormitano Capitulo in ſui Archiepiſcopi manibus; a Senatu, Populoque ejuſdem Provinciæ; a Catanenſi Civitate; ab Academia Granatenſi; ab Ordinibus Equitum de Calatrava, & Sancti Jacobi. Et apud eumdem *cap.* 13., a Joanne IV. Luſitaniæ Rege, in generalibus ſuorum Regnorum Comitiis, *Sum. etiam noſtro num.* 14., in quibus, inquit Parthenotimus (*ex Hiſtoria Luſit. reſtaur. Comitis Ericeyra*) eidem Voto, & juramento conſenſerunt omnes Luſitaniæ Magnates, omnes Epiſcopi, & Archiepiſcopi, Superiores omnes Religioſorum Ordinum. Ex eodem habemus pariter, quod idem emiſerunt Votum Confraternitates Jeſu Nazaræni Palentiæ, & Immaculatæ Conceptionis, Hiſpali in Eccleſia FF. Prædicatorum erecta: Civitas Tudela: Civitas Regia Matritenſis: Plures Siciliæ Proreges: Ordo Equitum Monteſiæ; & Provincia Valentiæ FF. Minorum Diſcalceatorum Ordinis S. Franciſci. Franciſcus Vanden Venne, Præpoſitus Metropolit. Mechlinien. *in Oratione habita*, *cum Alexander VII. Aureum Tapetem ad B. Virginem Aſpricoll miſiſſet*, *pag.* 13. „ Quibus (Aca-
„ demiis) acceſſere nuperrime (anno 1659.) Illuſtriſſimi,
„ ampliſſimique Brabantiæ Ordines, ſolemni publice Voto
„ conteſtati, dum per Dei Vicarium licuerit, a Virgine
„ ſe puriſſima ſuſpicionem labis omnis, opibus, lingua,
„ manu, *vita*, *ac ſanguine* depulſuros. „ Joannes Nadaſi, *in Annal. Marian. Soc. Jeſu ad annum* 1651. *num.* 1226.

„ Vien-

Digitized by Google

„ Viennæ Auſtriæ in Collegio nobiliſſimæ unius claſſis, „ Corona univerſa Magiſtrum ſuum de amanda Virgine „ Deipara hortatorem genibus nixa pie audivit, & Voto, „ chirographi ſubſcriptione firmato, ſuam quiſque formu- „ lam eidem porrexit. Voti ſumma erat, Immaculatam „ Dei Matris Conceptionem tueri *uſque ad Sanguinem*, ſi „ res ferret, nutu Eccleſiæ „. Hi omnes, ſi Lampridio fides habeatur, & plures alii, qui facile inveniri poſſent, *temeritatis*, & *ſceleris* rei ſunt, *a pietate alieni*, *imprudentes*, *ac temerarii*. Hi fere omnes recenſita ſua emiſerant Vota, octuaginta, centum, & amplius reſpective annis, antequam ſua exararet Opera Lampridius; & vix ullus, toto eo tempore, illos de crimine redargueerat; ſoli Lampridio reſervabatur, eos ſimul & accuſare, & condemnare. Ab anno 1646. nullus in Portugalliæ Regnum ſuccedit, nullus in Regem ſolemniter agnoſcitur, niſi prius, præſentibus totius Regni Comitiis generalibus, publicum emiſerit Votum, ſacrum noſtrum, *vel etiam lucis jactura*, defendendi Myſterium. Nec uſque nunc advertunt Fideliſſimi Reges, *ſe*, juxta Lampridii principia, & Doctrinam, *temeritatis* & *ſceleris* in hoc *reos eſſe*, & *imprudenter*, & *temere ſe gerere*. Quis talia non dico aſſerere, ſed nec cogitare audebit?

246. De eis modo ſermonem habuimus qui factis docuerunt, laudabile eſſe, Immaculatam Beatiſſimæ Virginis defendere Conceptionem, etiam cum Sanguinis, & vitæ jactura; quique Votum eamdem hoc modo propugnandi reipſa emiſerunt. Nunc vero aliquos afferamus, qui ſcriptis idem tutati ſunt. Et primo Joannes Antonius Velaſquez Societatis Jeſu, *lib. de Imm. Concept. pag.* 320., relatis Summorum Pontificum Conſtitutionibus favore Sacri Myſterii editis, aſſerere non timet, piam Sententiam tale, ac tantum robur, & invictas, ac inſuperabiles vires ab

eis recepiſſe „ ut *totus* poſt eam *Mundus*, tamque erudi-„ tum, quam rude vulgus, curſu vadat; ut videlicet *ille-„ met Divinus Spiritus* qui Eccleſiæ Caput ad Conceptio-„ nis illibatæ Feſtum inſtituendum permovit; ejus item „ Corpus, & Membra, ad Mariæ immunitatem *creden-„ dam, amplexandam, & totis viribus tutandam*, pecu-„ liari ardore *inflammare* videatur. Hinc infiniti Scriptores „ (ut ipſemet Cajetanus *in tract. de Concept.* fatetur) „ pro immunitate Mariæ fidejubentes, quin Libros de ipſa „ ſcribendi ullus ſit numerus: Hinc Univerſitatum, Re-„ gnorum, Regum, Principum publicati, & manifeſti af-„ fectus; Hinc omnium Civitatum, & inſignium Oppi-„ dorum emiſſa Vota, & juramenta, & inſtitutæ Feſti-„ vitates; Hinc denique *totius Populi Chriſtiani ſenſus, at-„ que conſenſus, tanto ardore*, tanta animi, & mentis „ devotione *Deiparam ab Originali labe immunem credit*, „ *ut* & grave ſcandalum patiatur, quotieſcumque audit „ aliquid ab hac ſententia alienum, *& paratiſſimus ſit ad „ vitam, ſanguinemque fundendum* pro hujus veritatis af-„ firmatione, & defenſione „. Hæc, ante emanatam Alexandri VII. Conſtitutionem, ſcribebat Pater Velaſquez, qui *pag.* 436. ſubiungit, quod Hiſpaniarum Primates in Comitiis generalibus anno 1644. congregati, Philippum IV. ſupplicarunt, ut apud Sanctam Sedem pro Definitione Myſterii inſiſteret, ſequentia præſertim eidem Regi dicentes: *Cum nihil omnino ſit, aut excogitari poſſit, quod animos Hiſpanos a propoſito colendæ immunitatis Mariæ dimovere valeat, qui ad Sanguinem, & vitam profundendam ſunt paratiſſimi*. Teſtantibus igitur hiſce Comitiis generalibus, *paratiſſima erat tota Hiſpania ſanguinem, & vitam profundere* pro Sacri Myſterii defenſione; idemque *de omnibus* totius Orbis *Chriſtifidelibus* aſſeruit Pater Joannes Antonius Velaſquez.

247. Pater Joannes Antonius a Panormo *in Scrutinio Doctrinarum cap. 6. art. 9. num.* 12., Conſtitutionem Clementis XI. = *Commiſſi nobis:* refert, qua inſtitutum de præcepto tunc fuerat Feſtum Conceptionis; & poſtea ſic proſequitur: „ Ob hoc Decretum præ aliis innumeris titu-„ lis erga tantum Pontificem ſe adſtrictum profitebitur „ *triplex*, ſub Franciſci Vexillo militans *Seraphicus Ordo*, „ totaque Mariano-Subtilis Magiſtri Schola, cujus chara-„ cteriſtica prærogativa eſt prædictam immunitatem Dei-„ paræ ab Originali labe *ad ſanguinis effuſionem tueri* „. Hic docet Pater Joannes Antonius a Panormo, *Seraphici Ordinis prærogativam characteriſticam eſſe*, Myſterium Immaculatæ Conceptionis *ad ſanguinis effuſionem tueri*.

248. Teſtatur pariter Pater Adrianus Miaskovvski, Societatis Jeſu, *Poloniæ Regnum pro honore Immaculatè conceptæ Virginis fortiter*, ſi opus fuerit, *pugnaturum*. Loquendo enim de Polonorum erga Sacrum Myſterium devotione, *De incarn. diſp.* 5. *quæſt.* 2. *puncto* 1. §. 1. *num.* „ 46. ſic habet = Contra hanc Polonorum pietatem tu-„ multuatur vicina hæreſis; bellum Poloniæ minatur. Po-„ loni nihilominus magnanimi his minis non moventur; „ juſtitiæ cauſa, & patrocinio Virginis Deiparæ confiſi, ſi „ bellum ipſis inferatur, *pro Deo*, *aris*, *honore Immacu-„ latè Conceptæ Virginis*, & *focis fortiter pugnaturi*. „ Plurium Theologorum Elenchus, *Sum. num.* 29. videri poteſt qui vel Votum, de quo ad præſens agitur, defendunt; vel laudabile aſſerunt, ſanguinem fundere, & vitam pro tuenda Immaculatæ Conceptionis Sententia. Inter eos autem jure, & merito annumeratur Dionyſius Bernardes de Moraes, Doctor Luſitanus, qui anno 1750. ſuum Opus edidit *Animadverſ. Criticæ in Lampridium*, quod approbatum reperitur a Patre Joſepho a Coſta Societatis Jeſu, & a Patre Joſepho De Lemos, Ordinis Sancti Auguſtini.

In Patris a Coſta approbatione, 15. Octobris 1749. data, ſequentia leguntur, videlicet: „ Inconſultus Muratorius „ (Lampridius ſcilicet) *ſanguinarium* appellat *Votum*, *in* „ *Hiſpaniarum Academiis*, *a doctiſſimis viris* religioſe nun-„ cupatum, pro tuenda *uſque ad Sanguinis effuſionem* Im-„ maculata BB. Virginis Conceptione; in illudque *ama-„ rum adeo effundit ſtomachum*, ut acerbius Religionis Ze-„ lotypus in ſuperſtitionem non debaccaretur. „ In altera vero P. Joſephi de Lemos, primi Decembris ejuſdem anni 1749., hæc habentur = „ *Intumeſcentis ingenii*, *plenum* „ *audacia*, ac mordaci calamo, *librum conſcriptum* de „ ſuperſtitione vitanda, in *quo Votum*, pro Immaculata „ B. M. V. Conceptione, uſque ad ſanguinis effuſionem „ tuenda, (quod Sanguinarium appellat) *a ſapientiſſimis* „ *viris in celebrioribus Academiis emiſſum*, Muratorius in-„ ſimulat ... Illuſtriſs. Auctor ... adeo præclare, ac ſa-„ pienter *toties a ſe Votum emiſſum*, *ac toties ab aliis* „ *in Conimbricenſi Academia receptum*, ab iniuriis Lam-„ pridii vindicat &c. „

249. Nil mirum autem, ſi Lampridius de memorato Voto ſic locutus fuerit. Suſtinebat enim, in eodem gradu reperiri unam, & alteram de BB. Virginis Conceptione Sententiam: alterutram *tenebris involutam*: alterutram *in incertitudine* poſitam: alterutram *probabilem*, & *piam*; imo ſæpe ſæpius Sententiam de maculata Conceptione ſuper aliam plurimum extollebat. Sic *pagina 56.* dicti ſui Operis: „ Hinc autem duo principia fluunt in-„ concuſſa. Primum eſt, tam Sententiam faventem im-„ munitati Virginis, quam adverſantem, *tenebris adhuc* „ *circumſederi in Eccleſia*, & *verſari adhuc* utramque *in* „ *incertitudine* apud Apoſtolicam Sedem, quæ veri, falſi, „ ac dubii conſtituta a Deo fuit index, & judex, falli „ neſcia. Secundum eſt, *in incerto eſſe*, ac futurum eſſe,

„ *quam-*

„ *quamnam in partem inclinatura erit Eccleſia*, ſi quando maturius examen quæſtionis hujus ſuſcipere velit, „ ac definitivam proferre ſententiam. „ *Pag.* 97. = „ Id „ tantum conſecuta eſt Scoti opinio, ut negari *pia* in- „ poſterum, dum pendet judicium, ſine temeritate, & „ culpa non poſſit; *ſed pia* perrexit eſſe, & altera Tho- „ miſtarum opinio, neque ei hunc titulum *ſine impu-* „ *dentia*, & *peccato* quiſquam auferre poteſt. „ *Pag.* 149. „ Quamquam Zelus eorum laudetur, ac pietas, „ qui Mariam ſine labe conceptam tuentur; eorum quo- „ que Zelus, & pietas commendanda eſt, *qui vigilant*, „ *ne error, ac falſitas in Doctrinam Eccleſiæ irrepat*.. „ *Pag.* 158. „ Apoſtolica Sedes... *nihil aliud hactenus de-* „ *crevit*, quod eſt ad veritatem Sententiarum, niſi *ut* „ *nemini liceat hanc, aut illam cenſura configere*.. „ Similibus, & pejoribus plenum eſt propoſitionibus iſtud Lampridii Opus. Si de pia Sententia loquatur; „ Incer- „ tum eſt, *inquit pag.* 65., quid viri docti revera de „ hujuſmodi quæſtione ſentiant. „ Ob ſilentium videlicet, Sententiæ contrariæ impoſitum. Si autem de oppoſita, *pag.* 89. „ Tot millia doctorum hominum nunc vi- „ vunt, qui Thomæ Aquinatis ſe diſcipulos profitentur, „ iique nondum Scotiſticæ adhæſere Sententiæ. „ & *pag.* 155. „ Ut etiam omittam, Theologos veteres omnes „ fuiſſe, & *non paucos etiam e recentibus* eſſe in contra- „ ria Sententia. „ *Pag.* 203. „ Piæ Sententiæ Defenſores „ non aliam adinvenere viam *conciliandi tolerabili ali-* „ *qua ratione loca Scripturarum*, Patrum, ac veterum „ Theologorum *cum Sententia ſua*, niſi ſtatuendo in Vir- „ gine debitum peccati Originalis, atque ab ea exclu- „ dendo peccatum ipſum ex ſingulari beneficentia Dei... „ *An autem ſit hæc revera mens Litterarum Sacrarum*, „ & an ſufficiat interpretatio iſta, ad rite explicanda tot

„ loca

Digitized by Google

„ loca Patrum, ac veterum Theologorum; *erit Apoſto-* „ *licæ Sedis, nos infallibili judicio edocere.* „ Paulo clarius minatus antea fuerat piis Chriſtifidelibus Apoſtolicæ Sedis judicium, *pag.* ſcilicet 144, Ibi = „ Judicabit Apo- „ ſtolica Sedes, an in Doctrina Catholica Religionis „ præferendi ſint *non Sancti Sanctis, & moderni antiquis* „ *Doctoribus*, uti aiebat Cardinalis Cajetanus *in* 3. *S.* „ *Thom. qu.* 27. *art.* 2., & præcipue, ſi concordes cum „ præcipuis Eccleſiæ Doctoribus Theologi veteres depre- „ hendantur. „

250. De his omnibus, ni fallor, quæ ſuam ab intrinſeco confutationem, condemnationemque ferunt, inter alia loquebatur fel. rec. Benedictus XIV., in ſuis ad Magnum Hiſpaniarum Inquiſitorem Litteris, die 31. Julii 1748. exaratis, in quibus ſequentia leguntur videlicet: „ Notum denique tibi erit nomen Ludovici Antonii Mu- „ ratorii adhuc viventis, (ipſe eſt qui ſub nomine tum „ Lampridii, tum Valdeſii, in piam Sententiam adeo „ invehitur) multorum Librorum communi applauſu re- „ ceptorum Editoris. Oh quam multa reperiuntur in eis „ cenſura digna! Quot hujuſce furfuris Nos ipſi, eos „ legentes, offendimus! Quot nobis ab æmulis, & ac- „ cuſatoribus oblata ſunt! Et nos uſque adhuc abſtinui- „ mus, & abſtinebimus ab Operum condemnatione, no- „ ſtrorum Prædeceſſorum exemplis edocti, qui pacis, & „ concordiæ amore, a proſcribendis iis quæ proſcriptio- „ nem merebantur, ceſſarunt, quando videlicet cenſue- „ runt, plus mali, quam boni a proſcriptione derivan- „ dum „. Hæc Benedictus. Quod tamen ipſe non fecit, hoc poſtea peregit Supremum Hiſpaniarum Inquiſitionis Tribunal, Opus illud *de ſuperſtitione vitanda* die 19. Junii 1750. condemnans, utpote *propoſitiones* continens *falſas, temerarias, erroneas, impias, & ſummæ ſcandaloſas.* „

Digitized by Google

ſas. „ Otro Libro (verba ſunt Decreti, recenſitis primo, „ & condemnatis aliis Operibus), impreſſo en quarto „ en Milan de año 1740. con el titulo: *Antonii Lampridii* „ *de ſuperſtitione vitanda, ſeu Cenſura Voti Sanguinarii*, „ *in honorem immaculatæ Conceptionis Deiparæ emiſſi*; „ por contener propoſiciones falſas, temerarias, erroneas, „ impias, en ſummo grado eſcandaloſas, y por eſtar „ comprehendido en la Bula de Alexandro, y ſu Con- „ ſtitucion: *Sollicitudo omnium Eccleſiarum*. „ Unde Doctrinam in eo contentam, veluti *ſanam*, & *ſaniſſimam*, quantum ſibi placuerit, commendare, & celebrare poteſt D. Joannes Baptiſta Araldi in ſuis Litteris, Mutinæ anno 1757. editis; elapſis videlicet ab Operis condemnatione ſeptem annis; Ego vero nullam ei injuriam facere crediderim, judicium ſupremi mox recenſiti Tribunalis pluris faciens, quam ea omnia quæ ſuper hoc congerere, & ſcribere ſibi collibuit. De cætero plurimum dubito, quod pii Chriſtifideles *tenebris involutam*, & *in incertitudine poſitam* eſſe, ſibi hodie perſuadere poſſint, *piam Sententiam*, quam, Alexandri VII. tempore, *pleræque jam celebriores Academiæ*, *& omnes fere Catholici complectebantur*; Quam idem Alexander VII. *in dubium* revocari prohibuit: Quæ ab immemorabili tempore, inſtantibus, exhortantibus, & præcipientibus Summis Pontificibus, in Scholis, & in Eccleſiis ubique terrarum *veluti Doctrinæ Chriſtianæ Articulus* traditur, & docetur: Quæ ubique pariter in Cathedra veritatis prædicatur; Quæque, a tempore præſertim Sixti IV. uſque ad præſens, tot, ac tantis a Sancta Sede, & ab omnibus fere Summis Pontificibus cumulata eſt beneficiis, & favoribus, ut nulla reperire ſit Natio Catholica, nullus Populus, nulla Civitas, nulla Academia, quæ lucem ejus non videat, non fateatur, non prædicet, non celebret, non tueatur. Nul-

lus

lus Sanctus, nullus Beatus, a tempore quo Eccleſia Feſtum noſtrum celebrare incœpit, id eſt a quingentis fere annis, qui Sacrum Myſterium totis Viribus, & corde ſincero veneratus non fuerit, prout facile probari poſſet, & revera infra probabitur. *Summar. num.* 35. Dubito, quod ſibi perſuadere poſſint, *ſine impudentia*, & *peccato*, titulum *piæ* negari non poſſe Adverſariorum Sententiæ, quæ a Summis Pontificibus, tam publice, quam privatim, perpetuo ſepulta fuit ſilentio *pro evitandis ſcandalis in Populo Chriſtiano*, & *ut Cæleſtis Reginæ dignitati conſuleretur:* Quæ de eorumdem Summorum Pontificum, & Concilii Tridentini Patrum benignitate *hac unica gaudet prærogativa*, ut hæreſis, peccati mortalis, aut impietatis damnari adhuc nequeat: Quæ a Natali Alexandro, *opinio antiquata* nuncupata fuit, *cujus tenebras Spiritus Sanctus diſpulit:* ab aliis, *ſi non mortua*, ſaltem *prope diem moritura creditur*; quamque alii putant ſuſtineri non poſſe, *niſi a BB. Virginis inimico, vel ab aliquo parum ei addicto*; alii vero *ſine horrore* audire non poſſunt. Quæ omnia, emanatis præſertim Pauli V., & Gregorii XV. Decretis, jure, riteque de ea Sententia dici poſſunt, *cum*, teſte Lateranenſi Concilio, ſub Martino I. celebrato, *Adverſa tantummodo jubeantur*, (in Eccleſia Catholica) *merito ſepeliri ſilentio*. = *Concil. Lateran.*, *Secret.* 4.

251. In Lampridium, *probabilem* dumtaxat aſſerentem *piam Sententiam*, inſurrexerat Parthénotimus; Alexandrique VII. in contrarium attulerat Conſtitutionem, *ne pia Sententia revocaretur in dubium* interdicentem. Ad hoc autem reſpondit Valdeſius (idem ſcilicet, mutato nomine, ac Lampridius) *Epiſt.* 23. *pag.* 166. „ *Quæ ſit Pontifi-* „ *cis mens* e præcedentibus *accipiendum eſt*, ſcilicet *non* „ *licere*, eamdem Sententiam, Feſtum, ſeu Cultum *in di-*

„ *ſpu-*

„ ſputationem revocare. Alioquin ſi ex Apoſtolicæ Sedis „ Decreto *revocari nequit in dubium pia Sententia*, eadem „ *certa erit*, litemque deciderit Alexander, qui tamen di- „ ſerte proteſtatur, ſe eam noluiſſe decidere. „ Nos vero *quæ ſit Pontificis mens* ab eodem Pontifice, & a Litteris, quas Conſtitutionis Extenſori ſuper hoc eodem puncto ſcribebat, *accipiendam eſſe* putamus. Eas attulimus §. 141., Abbati Hilarioni, ſequentis tenoris, ſcriptas, videlicet = „ Intendiamo proibire a gli Avverſarj più coſe, che non „ hanno proibite loro le altre Coſtituzioni, e ſotto mag- „ giori pene; e però V. Signoria può eſprimere queſte „ novità: *Di revocare in dubbio il Miſterio:* il poſſeſſo „ noſtro; d'interpretare diverſamente le Coſtituzioni da „ queſto ſenſo &c. „ Et ulterius: „ Dalla penna di V. S. „ deſideraremmo un'altra ſorte di Minuta, che può ca- „ vare dalla già fatta, che cominciaſſe con le parole „ della parte ſopra la pia Sentenza, ſpiegandovi il Mi- „ ſterio chiaro, e le ultime oppoſizioni, e faſtidj inferiti „ dai Contrarj, non oſtante le proibizioni fatte loro; „ che ſeguiſſe la diſpoſizione noſtra, cioè, che però per „ rimediare, *proibiamo, che non ſi poſſi revocare in dub-* „ *bio tale pia Sentenza, come ſopra ſpiegata.* „

252. Hæ ſunt duæ Litteræ, manu propria ab Alexandro VII. exaratæ, quæ, ut loco mox citato dictum eſt, in Archivo Ghiſiano ſumma cura aſſervantur. In eis declarat Summus Pontifex, ſe aliquid prohibere velle, a ſuis Prædeceſſoribus nondum prohibitum; & ideo ibi de prohibitione loqui non poterat, *in diſputationem revocandi* piam Sententiam; hoc enim a Paulo V., & a Gregorio XV. prohibitum jam fuerat. Deinde ſemel, & iterum præcipit, ut in ſua Conſtitutione prohibeatur *di rivocare in dubbio il Miſterio:* „ *Che non ſi poſſi revocare in dubbio tale pia Sentenza, come ſopra ſpiegata.* „ Quis autem in

his, & ſimilibus expreſſionibus, & propoſitionibus unquam invenire poterit ſimplicem prohibitionem, *ne in diſputationem revocetur* pia Sententia? Renovavit Alexander VII. prohibitiones, a ſuis Prædeceſſoribus jam factas, diſputandi contra Myſterium, vel quod idem eſt, *in diſputationem revocandi piam Sententiam*; ſed poſtea aliud prohibuit, ab eiſdem Prædeceſſoribus, ut ipſe ait, nondum prohibitum, nempe *ne in dubium revocaretur pia Sententia*, *ut ſupra*, inquit, *explicata*; videlicet, *Animam BB. V. Mariæ in primo ſuæ creationis inſtanti, & infuſionis in Corpus, a macula Peccati Originalis præſervatam fuiſſe immunem*.

253. Verum, dicit Valdeſius: *Si* ex Apoſtolicæ Sedis Decreto *revocari nequit in dubium* pia Sententia, *eadem certa erit*. Hoc totum concedimus, imo tamquam certiſſimum ſuſtinemus; & hic cum Zacharia cantare poſſumus: *Salutem ex inimicis noſtris*. Ergo, ſubdit iterum Valdeſius, Litem per hoc decidit Alexander VII., qui tamen diſerte proteſtatur, ſe eam nolle decidere. Ad hoc reſpondetur, Myſteria Aſſumptionis, & Nativitatis B. M. V. pro certis haberi in Eccleſia, & tamen de fide definita nunquam fuiſſe. Deinde legatur attente Conſtitutio Alexandri VII. §. 162., & ibi videbitur, quid decidere noluerit „ Vetamus, inquit, quempiam aſſerere, quod, „ propter hoc, contrariam opinionem tenentes, videlicet, „ glorioſam Virginem Mariam cum Originali peccato „ fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum, a Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede, nondum fuerit hoc deciſum, prout Nos „ nunc minime decidere volumus. „ *Nondum fuit hoc deciſum*, inquit Summus Pontifex; Pronomen autem *hoc*, in iſto loco, vel appellat integram propoſitionem, videlicet, *quod hæreſis crimen, aut peccatum mortale ii incurrant*,

rant, *qui contrariam tenent Opinionem*; vel mediam dumtaxat propoſitionem, in ea contentam, nempe: *Quod glorioſa Virgo Maria*, *cum Originali peccato fuerit concepta*. Similiter Alexander VII. vel aſſerit, ſe nolle decidere, *quod glorioſa Virgo Maria cum Originali peccato fuerit Concepta*; vel aſſerit; ſe nolle decidere, *quod hanc opinionem tenentes*, *hæreſis crimen*, *aut peccatum mortale incurrant*. Nil aliud continetur in iſto Paragrapho, & pronomen *hoc* ad ea referri non poteſt, quæ in aliis Conſtitutionis Paragraphis continentur: atqui ridiculum foret dicere, Alexandrum VII. declaraſſe, *ſe nolle decidere*, *BB. Virginem cum Peccato Originali fuiſſe Conceptam*; ergo neceſſario dicendum eſt, eum noluiſſe adhuc decidere, *quod contrariam*, id eſt iſtam *opinionem tenentes*, *hæreſis crimen*, *vel peccatum mortale incurrant*.

254. Quaſi diceret: licet prohibeam, ne pia Sententia *in dubium revocetur*, quia illam *fere omnes Catholici* complectuntur, certamque, imo & certiſſimam eam exiſtimo: licet mox declaraverim, Chriſtifideles die Feſto Conceptionis *colere*, ſemperque *a pluribus ſæculis coluiſſe* BB. Virginem, a Peccato Originali in primo ſui creationis inſtanti præſervatam immunem, ac hujuſmodi Cultum *in Eccleſia Romana*, poſt ejus inſtitutionem, *nunquam immutatum fuiſſe:* licet hic renovaverim Pauli V., & Gregorii XV. Decreta, quibus Adverſariis, tum publice, tum & privatim impoſitum fuit ſilentium *ad evitanda ſcandala*, *diſſenſiones*, *atque diſcordias in populo Chriſtiano*, & *conſulendum cœleſtis Reginæ dignitati*; nolo tamen, quod hæreſeos, aut peccati mortalis nota ii inurantur, qui forſan contrariam adhuc tenent opinionem; nondum enim decidere volo, utrum hujuſmodi cenſuris notari debeant; & ad alios non pertinet meum, in hoc, prævenire judicium. Unde ſtatim ſubiungit Summus Pontifex:

tifex: „ Quin potius, contrariam illam opinionem, „ hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare „ audentes, præter pœnas, quibus eos ſubiecit Sixtus IV. „ gravioribus aliis pœnis ſubiicimus „. Ex quibus verbis ad evidentiam reſultat, hoc ſolum uſque nunc deciſum non fuiſſe, ſed decidendum remanere, utrum ſcilicet *hæreſis*, *peccati mortalis*, aut *impietatis* damnari debeat tam hujuſmodi opinio, quam qui illam tenet; quamvis jam deciſum fuerit, piam Sententiam *in dubium revocari* non poſſe. *Nec obſtat* (ajebat poſt emanatam Sixti IV. Conſtitutionem, Arnaldus Albertini, Pactarum Epiſcopus, & inquiſitor Siciliæ, de agnoſc. aſſert. cath. qu. 17.) *Nec obſtat, quod inquit Papa Sixtus in dicta Extrav.* Grave nimis, *quod nondum ſit a Sancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum. Quia Papa ibi non loquitur, quod non ſit deciſa quæſtio ſuper Conceptione Virginis, hoc eſt, an ſit concepta in peccato Originali, vel non; Quinimo ibi præſupponit, Eccleſiam Romanam tenere, quod non ſit concepta in eo, quia ibi dicit, ipſam celebrare Feſtum de ipſa Conceptione, & quod ſpeciale, & proprium Officium ordinavit. Sed dicit, non eſſe deciſum ab ipſa Eccleſia Romana, an tenentes alteram partem incurrant hæreſim &c. Et hæc eſt mens dictæ Extravagantis &c. Nam ſi Eccleſia ipſa Romana non teneret hanc Sententiam, quod Virgo Maria fuit immunis ab Originali peccato; Ad quid de ipſa Conceptione Feſtum celebraret, & Officium celebre ordinaret, celebrandum ab omnibus juberet, & celebrantibus, indulgentias, ſive expiationes peccatorum concederet?* Tenet igitur Eccleſia Sententiam Immaculatæ Conceptionis, licet de fide eam non definierit. Videantur ſupra quæ diximus §. 78. 91. 163., & 164., & præ oculis ſemper habeatur, ab Eccleſia recitatum fuiſſe, nonaginta annorum ſpatio, Officium, in quo cantaba-

tabatur: *Immaculatam Conceptionem V. M. celebremus: Chriſtum ejus Præſervatorem adoremus Dominum*; & quolibet anno pariter cantari: *Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem*.

ARTICULUS ULTIMUS

Concluditur præſens Opuſculum, & plures narrantur gratiæ, invocata Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, a piis Chriſtifidelibus receptæ, cum nullæ inveniantur, ad invocationem Beatiſſimæ Virginis mundatæ, *a Deo unquam conceſſæ*.

255. Beatiſſima Virgo Maria quatuor abhinc ſæculis ſequentia Sanctæ Birgittæ revelare dignata eſt, videlicet: *Placuit Deo, quod Amici ſui pie dubitarent de Conceptione mea, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas eluceſceret in tempore præordinato*; prout legitur *lib.* 6. *cap.* 55. *earumdem Revelationum*. Utrum autem adhuc Deo placere poſſit, quod de hoc Myſterio *quis dubitet*, poſtquam, ut mox vidimus, Alexander VII. expreſſe inhibuit, *ne in dubium revocaretur*; Utrum ei placere poſſit, quod antiqua renoventur ſophiſmata, circa ejuſdem Cultus, & Feſtivitatis objectum, & circa Sacri Myſterii certitudinem. Sophiſmata, ut §. 167. vidimus, tempore Alexandri VII. agnita, &, ut talia, refutata: Utrum *tenebris adhuc involuta* jaceat; vel ab illo tempore, quadringentis videlicet abhinc annis, de die in diem, magis, ac magis illuxerit; Utrum tandem, attentis omnibus in præſenti Opuſculo relatis, & aliis, in infinitis propemodum Auctoribus, contentis, de Sacro Myſterio, & de pietate, ac devotione erga illud vere dici poſſit: *Quod Dei opus eſt:* Quod *digitus Dei eſt hic*;

ju-

judicent BB. Virginis Mariæ omnium Chriſtifidelium Patronæ, & Advocatæ veri, ac genuini Devoti. Glorioſiſſimæ Deiparæ, & Sacri ejus Myſterii ſinceris hæc dico Devotis; de quibuſdam enim, licet hodie pauciſſimis, timeo quamplurimum, ne Lampridii verba eis jure, ac merito applicari poſſint, videlicet = „ Longa experientia „ didici, adeo compoſita eſſe, immo male diſpoſita in„ genia, animoſque mortalium, ut, quam ſemel opinio„ nem imbuerunt, atque firmarunt, fere ſemper reti„ neant, ac potiſſimum ſi concertationibus res agatur. „ In incendium quippe maximum facile tunc erumpunt „ homines; & amore ſui, ſuæque famæ tutela urgente, „ ita abripiuntur, *ut veritatem, vel ante pedes poſitam*, „ *ſæpe non agnoſcant* „. Hæc Lampridius in præfatione ſui Operis *de ſuperſtitione vitanda*, adverſus eos, qui votum, quod *Sanguinarium* nuncupabat, vel defendebant, vel ſaltem aliqualiter laudabant. Ad eos tamen paucos; ni fallor, potiori jure dirigi poſſent, qui tum aures, tum oculos, Sacri Myſterii favore, aperire adhuc recuſant. Quibus pariter applicari poſſunt Doctoris Angelici verba 2. 2. *qu.* 138. *art.* 2. *ad* 1. dicentis: *Ideo aliquis nimis perſiſtit in propria Sententia, quia per hoc vult ſuam excellentiam manifeſtare, & ideo oritur ex inani gloria, ſicut ex cauſa*. Id autem peragere dignetur puriſſima Virgo, quod nec argumenta, nec totius, ut ita dicam, Orbis Catholici exemplum, uſque nunc obtinere potuerunt.

256. Plurimas, & fere innumeras invenio gratias, ab eis ubique terrarum obtentas, qui Immaculatam BB. Virginis Conceptionem ſpeciali quadam devotione coluerunt. Aliquas dumtaxat, brevitatis gratia, hic referam. Vix emanaverat Decretum, favore Sacri Myſterii, a Patribus Baſileenſibus editum, quod ſtatim graviſſima ceſſavit peſtis, qua vexabatur Baſileenſis Civitas. *Joan. de Segovia*
ad

ad calcem ſui operis: Allegationes ſeptem &c. Ut a ſimili calamitate Roma liberaretur, ſuam dedit Sixtus IV. Conſtitutionem: *Cum præcelſa*; qua tot iis conceſſit Indulgentias, qui Officium: *Sicut Lilium:* & Miſſam: *Egredimini:* recitarent, aut eis intereſſent. *Spondan. ad ann.* 1476. Anno 1526. a duobus exercitibus obſidebatur Senenſis Civitas, ſtrićteque adeo cingebatur, ut vix ulla, naturaliter loquendo, ſibi remaneret ſpes libertatis. Orationibus Servæ Dei Margaritæ Bichi ſeſe commendarunt, quæ, fervoroſe Dei invocato auxilio, Senatui notificavit, quod BB. Virgo Maria integram, & completam eis promittebat vićtoriam, dummodo ſequentia ipſi voverent, videlicet: Quod Feſtivitatem SS. ſuæ Conceptionis in perpetuum celebrarent: Quod nulli eorum eamdem Immaculatam Conceptionem inpoſterum impugnare liceret: quodque a ſuis finibus eos omnes abigerent, qui vel dićtam Feſtivitatem celebrare nollent, vel ſacro huic Myſterio contrarios ſe exhiberent. In generali Reipublicæ Conſilio propoſita hæc fuerunt, ſimulque unanimiter omnium votis acceptata. Promiſſis ſtare ſubito dignata eſt Miſericordiæ Mater, ac totalem & humano auxilio prorſus inſperabilem de inimicis ſuis reportarunt vićtoriam Senenſes, qui Vota pariter, ac Deo promiſſa fideliter adimplere curarunt, prout videri poteſt apud Achillem Mariam Orlandinium, libro cui titulus: *La glorioſa vittoria de' Seneſi... per mirabil maniera conſeguita nel meſe di Luglio dell' anno* 1526., *edit. an.* 1527., Et apud P. Iſidorum Ugurgerium Ordinis Prædicatorum, *in faſtis Senenſibus Mſſ. part.* 1. *tit.* 1. *fol.* 3., ubi refert, quod, obtenta vićtoria, Virginis Immaculatæ Conceptæ imaginem ſtatim coronaverunt, ſequentibus ibi appoſitis verſiculis =

Voi

Voi, o Donna del Ciel, voi foſte quella,
Che liberaſte noi con poche Squadre,
Per far ſede qua giù, che il comun Padre
Non peccò in Voi, ſempre gradita, e bella.

In Regeſtis deliberationum Supremi Magiſtratus, quem *de Balia* Senenſes vocant, omnia uſque nunc relata, accurate deſcripta leguntur; & *fol.* 246. habetur, qualiter, a Reipublicæ Dominiis, ii de facto amandati fuerint, qui die 8. Decembris 1527. Feſtivitatem, & Miſſam SS. Conceptionis, quæ tunc erat: *Egredimini*; celebrare pertinaciter recuſarunt.

257. Anno 1635., octo dierum ſpatio, celeberrima in Urbe peracta fuit Feſtivitas a Ven. Archiconfraternitate *Immaculatæ conceptionis*, in Eccleſia SS. Laurentii, & Damaſi erecta. Duodecim pro ea, variis in Urbis locis erecti fuerunt Triumphales Arcus, in quorum tertio aureis litteris ſcriptum legebatur:,, *Conceptæ ſine labe* ,, *Virgini:* Triumphatrici antequam natæ; *cujus ope Ur-* ,, *banus VIII.* P. M., Pater Patriæ, *nuperas peſtes*, *ac* ,, *bellicas clades ab hac Urbe*, *Pontificiaque Ditione lon-* ,, *ginquas fecit*, ſalutem, ac ſecuritatem publicam ſerva- ,, vit,,: Et ad perpetuam ejuſdem Feſtivitatis in honorem Immaculatæ Conceptionis adeo ſolemniter celebratæ memoriam, appoſitus fuit in Cappella ejuſdem Vener. Archiconfraternitatis lapis marmoreus cum ſequenti Inſcriptione, videlicet: Memoriæ Sæculorum; Urbano VIII. ,, Pont. Max. favente: Franc. Card. Barberino, S. R. E. ,, Vicecancell. Protectore munificentiſſimo. *Archiconfra-* ,, *ternitas Immaculatæ Conceptionis* glorioſæ, ac Beatiſſ. ,, Virginis, ab hominum memoria in Urbe erecta, & ,, *per totum terrarum Orbem propagata*, ad augendam, ,, erga Deiparam ſine peccato conceptam, creſcentem

,, quo-

„ quotidie magis Fidelium religionem; *antiquiſſimam*
„ hanc, & *miraculis inſignem Conceptæ Virginis Iconem*
„ magnificentiſſimo apparatu, ac pompa plane triumpha-
„ li, plurimis paſſim Fornicibus, Statuis, Columnis,
„ Aris, Machiniſque ornatiſſimis excitatis, Ælia Arce
„ ad publicum plauſum inſtructa, 19. Auguſti 1635.,
„ veteri Sacello reſtituto, & ornato, in Triumphi ſpe-
„ ciem circumduxit, Militaribus Urbis Copiis Tribu-
„ nitiis, cum vexillis præeuntibus, Prophanis, Sacriſque
„ Ordinibus, Card. ac Procerum Familiis ſubſequenti-
„ bus, Senatu vero Romano, una cum Patritiis, Popu-
„ loque univerſo, inſueto plaudentis pietatis ſenſu, clau-
„ dente Triumphum, ſibique mirifice gratulante, *Vir-*
„ *gine, omni vel Originali Labe immuni*, luſtrari Ur-
„ bem ſuam, *quam, illius potiſſimum patrocinio, ab o-*
„ *mni ſemper hæreſum labe immunem agnoſcebat*. „

258. Similem Feſtivitatem, elapſis tunc duodecim annis, in Civitate Avenionenſi, triumphali pariter cum pompa peractam, abs re non erit hic referre, prout habetur apud P. Strozzi, *Controv. della Concezz. lib.* 9. *cap.* 22., Ibi „ Non è da ommetterſi quì tra i Regni,
„ e le Città, che eleſſero la Vergine Immacolata per
„ Padrona, la Città di Avignone in Francia. Nel 1647.
„ fu in eſſa ardito un Predicatore, di parlare con poco
„ riguardo della Concezzione di Noſtra Signora. Scan-
„ dalezzato, e commoſſo il Popolo, determinò di ri-
„ pararne l'onore. Radunato perciò ſingolarmente per
„ opera di Bartolomeo Crivelli, Avvocato della Città,
„ un Conſiglio generale di tutti i Conſoli d'Avignone,
„ fu propoſto, che ſi dimandaſſe a Monſignor Luigi
„ Suarez, allora Vicario Capitolare, di poter nell'av-
„ venire celebrare con particolar Solennità la Feſta della
„ Concezzione Immacolata, con tener chiuſe in tale

„ giorno tutte le botteghe degli Artieri, e Mercanti;
„ e ad alta voce diſſero eſſere inconveniente, che ciò ſi
„ poneſſe in deliberazione, o ſi rivocaſſe in dubbio.
„ Fatta la richieſta al Prelato, eleſſero toſto, di ſuo
„ conſenſo, per Avvocata della Città, la Vergine Im-
„ macolata, e i Canonici della Collegiata di S. Sinfo-
„ riano iſtituirono nella loro Chieſa la Confraternita
„ della Concezzione, con obbligarſi a celebrare la Feſta
„ con Ottava, e generale Proceſſione. L'eſeguirono la
„ prima volta con ſolenniſſima pompa nel 1648., e la
„ Domenica tra l'Ottava *portarono come in trionfo il Mi-*
„ *ſterio*; poichè in una devota Proceſſione fecero tenero
„ ſpettacolo, trameſchiate con cori di muſica, quaran-
„ ta coppie di fanciulli con rami di alloro alle mani,
„ e con Elogj della Vergine Immacolata, ſcritti a gran
„ caratteri, e levati in alto, come uſavaſi negli anti-
„ chi Trionfi. In mezzo a queſta ſchiera, *vedevaſi, por-*
„ *tata da un Sacerdote, una vaga effigie di Noſtra Si-*
„ *gnora, in cui era ſcritto:* IMMACULATA CONCEPTIO.
„ Cantavanſi intanto all'armonia di numeroſi ſtrumen-
„ ti, Inni compoſti in lode del Miſterio, che ripeten-
„ doſi alternaramente da' medeſimi fanciulli, ſi udivano
„ tratto tratto, con grato concerto, interrotti da folto
„ ſtuolo di Donne, le quali, applaudendo alla Vergi-
„ ne trionfante, dicevano ad alta voce: *VIVA L'IMMA-*
„ *COLATA CONCEZZIONE DI MARIA*: Seguivano appreſſo
„ tutti gl' Ordini della Città con doppieri acceſi alla
„ mano, e dopo una maeſtoſa Statua della Reina del
„ Cielo, i Conſoli nelle lor toghe, con gran calca di
„ Popolo „. Hæc Pater Strozzius. Quiſquis autem obſer-
vaverit, duas illas functiones, tum Romæ, tum Avenio-
ne, eo ipſo tempore peractas fuiſſe, quo quidam clan-
deſtine tentabant, BB. Virginis Conceptionem *Immacu-*
latæ

latæ titulo ſpoliare; fateri tenebitur, nonniſi Divina operante Providentia, hæc omnia eveniſſe, ut magis, ac magis confunderentur hujuſmodi *Immaculatæ* tituli Oſores; obſervando pariter, ea omnia etiam peracta fuiſſe ante emanatam Alexandri VII. Conſtitutionem, & ante tot, ac tantos Sacro Myſterio a Sancta Sede præſtitos favores, Articulo 13. recenſitos. Tandem eodem circiter tempore Florentina Synodus, 16. Junii 1637. *Tit. 7. de Jejun.* ſequentia declaravit. „ Cum graviſſimo peſtilentiæ „ morbo noſtra hæc Civitas vexaretur.... Accepto prius „ Primorum Civitatis conſilio, & conſenſu, & indicta „ Cleri ſupplicatione, ad ipſum Virginis Annuntiatæ Sacellum perreximus, ubi eidem Virgini Voto nos, totiuſque Civitatis populum ad jejunium obligavimus inpoſterum ſingulis annis ſervandum ipſa die, quæ præcedit Feſtum Immaculatæ Conceptionis ipſius Virginis... Nec dubium eſt, quin SS., piiſſimæque Matri „ Votum reddere debeamus, cujus patrocinio nobis Sanitas, & Salus reddita eſt. Igitur declarat S. Synodus, „ dictum jejunii Votum ſervandum eſſe, & obligare omnes, & ſingulos in Civitate tantum, ejuſque obſervantiam etiam, atque etiam commendat, & præcipit „.

. 259. In Opuſculo, cui titulus: *La Madre di Dio preſervata dalla peſte del Peccato Originale* &c. *In Padova* 1752., referuntur, §. 4., & 5., quinquaginta Civitatum exempla, quæ, aliquo peracto Voto in honorem Immaculatæ Conceptionis, & pro ejuſdem Cultus incremento, a peſte fuerunt liberatæ. Referuntur pariter, §. 7., & 8., ſexaginta, & amplius perſonarum exempla, quæ ab animæ peſte, ſeu a peccato, mediante aliqua erga Sacrum Myſterium devotione, vel liberatæ, vel præſervatæ fuerunt. Vidimus ſupra §. 176. quod Clemens XI. variis, & maximis liberatus fuit perturbationibus,

bus, ſtatim ac Immaculatæ Conceptionis Feſtum pro univerſali Eccleſia ab eo fuit de præcepto indictum. Anno 1732. glor. mem. Philippus V., obtenta Oranenſi Victoria, a Clemente XII. enixe petiit, ut Sententiam de Immaculata BB. Virginis Conceptione, Apoſtolica ſua, & Sanctæ Sedis auctoritate definiret. Cumque hac occaſione eidem ſcripſiſſet, quod hujuſmodi Victoriam ferventi referebat obſequio, quo BB. Virginem Mariam *ſine Peccato Originali conceptam* proſecutus ſemper fuerat. Reſpondit ei Summus Pontifex (*Sum. num.* 30.) quod jure, & merito *ſuæ erga Sacrum Myſterium pietati*, *ac devotioni* acceptam referebat memoratam Victoriam, & ut *per hanc eamdem devotionem* patrocinium Beatiſſimæ Virginis demereri pergeret, eum ſequentibus verbis hortatus eſt. *Te autem, chariſſime in Chriſto Fili noſter, etiam, atque etiam hortamur, & poſcimus, ut ferventi iſto erga Cœlorum Reginam obſequio, cui Oranenſem Victoriam jure, ac merito refers acceptam, ejuſdem Patrocinium ad Regnorum tuorum felicitatem demereri pergas*. In Epiſtola Sancti Anſelmi, *Sum. num.* 1. relata, legitur, quod Abbas Elſinus cum ſuis ſociis ab imminente naufragio, ſæculo undecimo, præſervatus fuerit, ſtatim ac promiſit, ſe Feſtum Conceptionis, & Creationis B. M. Virginis celebraturum. Si autem omnia patrata ab illo tempore miracula, gratiaſque a Deo, ob pietatem erga Sacrum Myſterium, conceſſas referre vellemus; fuſiſſima, & copioſiſſima non ſufficerent volumina; ſicuti pariter non ſufficerent, ſi Vota hic enarranda forent, a Regnis, Provinciis, Diœceſibus, Civitatibus, & Ordinibus Religioſis peracta, vel celebrandi noſtram Feſtivitatem, vel Sacrum Myſterium totis viribus defendendi; aut ſi omnes annumerari deberent inſtantiæ, a ſingulis fere Orbis Catholici Principibus, variis temporibus peractæ, ut inter Articulos Fidei noſtrum reponeretur Myſterium. 260.

Digitized by Google

260. Nullibi tamen invenio, quod eadem patrata fuerint miracula, vel obtentæ gratiæ, devotionis intuitu erga BB. Virginem a Peccato Originali contracto mundatam. Nullibi invenio, quod Civitates, Provinciæ, Univerſitates, Religioſi Ordines, aut Regna, BB. Virginem, ſub hac ſpecie Myſterii, *mundationis a peccato*, invocaverint, ejuſque opem imploraverint in ſuis neceſſitatibus, ſive temporalibus, ſive ſpiritualibus. Si qui autem BB. Virginem a Peccato Originali *mundatam* invocarent; conſtat apud omnes Chriſtifideles, quod ab ea nullimode exaudirentur; & cum Elia Propheta, *lib.* 3. *Reg. cap.* 18. *v.* 27., eis illudere poſſemus, dicentes: *Clamate voce majore*: Patrona enim veſtra, *aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit*. Similiter nulla reperietur Cappella, aut Eccleſia, tali Myſterio dicata; licet facultas eam illi dicandi, a Summis Pontificibus ironice ſaltem conceſſa fuerit, ut refert Theophilus Raynaudus *tom.* 7. *pag.* 136., ibi: „ Tuſculi Templum eſt recentis fabricæ ad Urbis muros, „ adſcripta uncialibus litteris Epigraphe: *Templum Conceptioni Immaculatæ Sacrum:* De ea Epigraphe conquerentibus Thomiſtis reſpondit Paulus V., concedere Se, „ ut ex oppoſito fabricarent aliud Templum, dicandum „ Virgini cum Epigraphe, *Conceptionem* ejus *maculatam* „ præferente. Quod reſponſum, quo ſpectaret intelligentes, hæſerunt. „; Nulla unquam fuit Confraternitas, ſub ejus invocatione erecta. Nulla Indulgentia, pro Cultu ejus promovendo conceſſa. Nullus Pontifex, qui ad eam tutandam hortatus fuerit, vel ejus Cultum laudaverit, aut ad eum fovendum incitaverit; prout etiam anno circiter 1580. jam obſervabat P. Vincentius Juſtinianus Antiſt. Ordinis Prædicatorum, *ad calc. Vitæ S. Ludovici Bertrandi*. Nulla unquam poſitiva, & expreſſa licentia recitandi illius Officium; & a tempore Gregorii XV. omnimoda

pro-

prohibitio. Pluries, & pluries creviſſe video miſerias, calamitates, & anguſtias in Chriſtiana Republica, & Catholica Eccleſia, ſtatim ac pii Chriſtifideles frigidos, vel tepidos ſeſe exhibuerunt erga Sacrum Immaculatæ Conceptionis Myſterium. Sæpe ſæpius ignoramus, unde tot flagella: Unde proveniat, quod noſtris vocibus, & precibus ſurdam ſe exhibeat ipſa Miſericordiæ Mater. Sed pios conſulamus Hiſtoricos, & Theologos, ac videbimus, quod a nobis exigit Advocata noſtra, ut Conceptionis ejus Immaculatæ prærogativam ſincera devotione, & toto cordis affectu defendamus, illiuſque Cultum promoveamus. Nec inde ſequitur, ut falſo aſſerit Lampridius, *loc. cit. cap.* 14. *pag.* 102., quod *tot aliæ Virginis prærogativæ longe majores, ac divina Fide certiſſimæ, nobis vileſcere videantur, aut certe pari ſtudio minime a nobis colantur*. Siquidem hujuſmodi prærogativæ a nullo Catholico impugnantur, ac per conſequens Advocatis, & Defenſoribus in Eccleſia non indigent. Quod ſi quis eas, alia ſcilicet BB. Virginis Myſteria, perperam interpretari præſumeret, & attentaret; pii Chriſtifideles eodem zelo, & eodem, ac majori æſtu in ipſum tunc inſurgerent, & Myſterii impugnati defenſionem totis viribus ſibi aſſumerent.

261. Cum igitur *in omnibus* ſuis Myſteriis *requiem quæſiverit* Beatiſſima Virgo, & in ſingulis apud Catholicos *invenerit*, noſtro dumtaxat Immaculatæ Conceptionis excepto, licet eam, a ſeptingentis, & amplius annis etiam in iſto quærat, & per infinita propemodum ſigna notificaverit, quanto ardore eamdem deſideret; nil mirum, ſi ejuſdem glorioſiſſimæ Virginis Filii, dicti Myſterii Cultum tanto ſtudio propagare ſtudeant, ad hoc peragendum inducti, tum ab ipſis Summorum Pontificum exhortationibus, ac inſtantiis; tum & a doctrina, quam cum aliis pluribus docet Pater Joannes Baptiſta Novati, qui *lib. de Emin. Virg. cap.* 3.

cap. 3. *qu.* 5. ſequentia habet, videlicet = „ Qui ita ſunt af-
„ fecti, ut corde, & ore gratulentur Virgini, quod non
„ incurrerit Peccatum Originale in Conceptione; quan-
„ tum in ipſis eſt, liberant eam a morte animæ, illique
„ donant in illo momento vitam animæ. Virgo autem,
„ gratitudinis lege, erit iis Vitæ Spiritualis quodammodo
„ debitrix; & ſane, cum opus fuerit, vitam ſpiritualem,
„ & corporalem, aliaque dona eis promptiſſime impetra-
„ bit „. Hæc Pater Novati. Unde in contrarium inferri poteſt, & pro indubitato aſſeri: Qui ita ſunt affecti, ut corde, & ore exprobrent Virgini, quod incurrerit Peccatum Originale in ſua Conceptione; quantum in ipſis eſt, ſervam, & mancipium eam conſtituunt Diaboli, eique pro illo tempore mortem animæ donant; ac proinde quid ab ea ſperare, quidve expectare poſſint, ipſi videant.

262. Videant pariter quid a Divino ejus Filio ſperare poſſint, qui de peccato Originali eam condemnare non verentur, poſtquam Tridentina Synodus, ducentis jam & ultra abhinc annis, illam de eodem reprehendere auſa non eſt; Sique *abominabilis eſt apud Deum; qui condemnat juſtum* = *Proverb.* 17. 15., quid de eo dicendum erit, qui contra communem Eccleſiæ ſenſum, BB. Virginem adhuc condemnat? Mirum præterea, & ſummopere mirum, quod illi qui in omnibus aliis quæſtionibus ſimplex ut vulgo dicitur Probabiliſmum abhorrent, in iſta dumtaxat, in qua *de Cæleſtis Reginæ dignitate* agitur; (ſupra § 112.) & *de cumulanda, & adaugenda ejuſdem Deiparæ gloria*; (infra §. 269.) non gravantur *antiquatam* mordicus tenere *Sententiam*, *cujus tenebras Spiritus Sanctus diſpulit*: (§. 168.) Quam perpetuo ſepelierunt ſilentio Summi Pontifices *pro evitandis in Populo Chriſtiano ſcandalis*; & cui de Conciliorum generalium, & eorumdem Summorum Pontificum benignitate, & indulgentia nil aliud remanſit, niſi impieta-

tis „

tis, peccati mortalis, & hæreſeos nota cenſurari adhuc non debere; dum pia Sententia, ei oppoſita, tot ab eiſdem Conciliis, & a Summis Pontificibus cumulata fuit, ac indeſinenter cumulatur beneficiis, ut nihil ei amplius deeſſe communi Theologorum, Doctorum, & Univerſitatum catervæ videatur, niſi finalis, & ultima definitio. Et hic obſervari poteſt, Alexandrum VII. ultimum fuiſſe qui anno 1661. prohibuit, ne contrariam Sententiam tenentes peccati mortalis nota cenſurarentur. At in eo certitudinis gradu tunc temporis nondum reperiebatur pia Sententia, quo his noſtris temporibus tandem acceſſit, emanata præſertim Clementis XI. Conſtitutione, qua octavum Decembris diem inter Feſta de præcepto pro univerſali Eccleſia annumeravit; & in perpetuum pro eodem die ſtabilita a Benedicto XIV., & demandata Pontificia Cappella. Joannes Bacconius anno circiter 1330. Dubium ſibi examinandum propoſuit, nempe: *An Eccleſia Romana Conceptionis Feſtum deberet ſtatuere*; cui reſpondit, *quod gratiſſimum eſſet, & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudini conſonum, hoc Feſtum generaliter ſtatuere, per totam Eccleſiam celebrandum; QUOD DEFINITIONIS, ET CANONIZATIONIS QUODDAM GENUS ESSET, per quod tanta ceſſaret contradictio*.

263. Anno 1436. Joannes de Segovia (de quo §. 59.) relatis Angelici Doctoris verbis 3. *part. qu.* 27. *art.* 2. *ad* 3., nempe: *Licet Romana Eccleſia Conceptionem B. V. non celebret, tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum, illud Feſtum celebrantium; unde talis celebritas non eſt totaliter reprobanda:* Sacro Baſileenſi Concilio repræſentabat: *Quid nunc diceret* (S. Doctor) *quando tota prorſus Eccleſia ſub eo Conceptionis nomine celebrat; & ipſa quidem Romana inprimis, idque jam tanto tempore?* & ex hujuſmodi Feſto, in Eccleſia Romana inſtituto, puritatem

Con-

Conceptionis a Sancta Sede approbatam fuiſſe inferebat; & hæc erat ipſius argumenti ſumma: *Tota prorſus Eccleſia*, *& ipſa quidem Romana illud Feſtum ſub nomine Conceptionis celebrat; ergo Sancta Sedes puritatem Conceptionis approbavit*. Conſequentiam negare auſus non fuit Joannes a Turrecremata, Sacri Palatii Apoſtolici tunc temporis Magiſter, ſed dumtaxat antecedens, nempe: „ Quinto arguitur ex adverſo ſic: *Notorie conſtat*, *apud Sedem Apoſtolicam in Curia Romana annuatim Feſtum Conceptionis publice celebrari*, *ad quod tam DD. Cardinales*, *quam Epiſcopi*, *& univerſi de Curia Majores conveniunt*; *& ita videtur approbaſſe puritatem Conceptionis*. Ad iſtam rationem dicitur negando quod Eccleſia Romana, ſive *Sedes Apoſtolica* Feſtivitatem iſtam inſtituerit, aut canonizaverit, aut pronunciaverit, aut celebraverit, aut in Calendario annotari juſſerit. Non enim quidquid fit in Romana Curia, aut per DD. Cardinales, aut Epiſcopos, aut Populum, aut per Scriptores Breviariorum, ac Miſſalium, dicitur Eccleſia Romana, ſive *Sedes Apoſtolica* feciſſe, aut mandaſſe, aut inſtituiſſe. *Non enim Eccleſia Romana* (ut loquimur communiter de Eccleſia Romana pro Sede Apoſtolica, in qua totius Eccleſiæ Dominus Principatum collocavit, juxta *Cap. Baſilicas*, *de Conſecr. diſt.* 1.) *dicitur celebrare Feſtum aliquod*, quando DD. Cardinales, aut Prælati, ſive Populus Romanus, aut Domini de Cancellaria pro ſua devotione conveniunt in aliqua Eccleſia, Miſſarum ſolemnia audituri; *ſed quando Summus Pontifex cum Collegio Romanorum DD. Cardinalium ſolemniter in loco publico*, ut moris eſt in aliis præcipuis Solemnitatibus, *celebrat*, *& feſtivat*; quod non facit in hoc Feſto. „ Hæc Joannes a Turrecremata, Ordinis Prædicatorum. Quid autem hodie reſponderet, prorſus ignoro; licet ignorare

rare non poſſim quot gradus certitudinis piæ Sententiæ acceſſerint e Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & Decretis, quibus noſtrum Feſtum omnibus Chriſtifidelibus primo demandatum fuit; ac deinde Cappella Pontificia in perpetuum pro eo ſtabilita, in qua *Sancta Sedes Apoſtolica* ſolemniter, & publice noſtrum Myſterium quolibet anno celebrans, & canonizans, *puritatem Conceptionis BB. V.* coram omnibus *ſolemniter* quoque *approbat*. Quapropter ſi aliquo, licet tenuiſſimo, probabilitatis gradu tempore Alexandri VII. adhuc forſan potiebatur contraria Sententia; nulli dubium eſſe poteſt, eum omnino evanuiſſe, accedentibus his favoribus, piæ Sententiæ a Sancta Sede de novo conceſſis; & de iſta id hodie dicere a fortiori poſſumus, quod Sæculo decimo ſexto jam ſcribebat Cardinalis Toletus, videlicet = *Id perſuaſum mihi eſt, citra fidem eſſe veritatem certiſſimam*, certitudine nempe theologica, *&* *quod, Deo volente, aliquando certior erit* = *In* 3. *part. qu.* 27. *art.* 2. Poſſumus pariter cum Natali Alexandro *de maculatæ Conceptionis Sententia* vere aſſerere, eam eſſe Opinionem *antiquatam*, *cujus tenebras Spiritus Sanctus diſpulit*; & cum D. de Ligorio, (ſupra §. 243.) eam *nec practice*, *nec ſpeculative eſſe* amplius *probabilem*.

AP-

APPENDIX.

Eligitur in Patronam Hiſpaniarum Beatiſſima Virgo in Sacro ejus Immaculatæ Conceptionis Myſterio; *& Electio approbatur a Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente XIII., qui deinde Sereniſſimo Hiſpaniarum Regi concedit, ut in omnibus ſuis Regnis, & Dominiis a Clero Sæculari, & Regulari, quocumque modo licet exempto, recitentur Officium, quod incipit* Sicut Lilium, *& Miſſa, cujus initium eſt* Egredimini; *prout recitantur a Franciſcanis. Quid ex hoc, favore Sacri Myſterii, in Hiſpaniis reſultet? Lucenſium pietas erga idem Myſterium.*

264. HIſpanorum erga Sacrum Myſterium pietatem, ac devotionem in hoc Opuſculo vix tetigimus; tum eo ducti motivo, quod de ea nullus omnino dubitet, ac innumera in Bibliothecis reperiantur Opera, quæ fuſe, & exacte de eadem tractant; tum & præcipue, quia integra non ſufficerent Volumina, ſi omnia a piiſſima illa Natione, a Populis, ab Univerſitatibus, Magiſtratibus, Capitulis, Diœceſibus, Epiſcopis, Archiepiſcopis, & præſertim a Sereniſſimis Regibus Catholicis favore ejuſdem Myſterii peracta enarrare vellemus. *Numera Stellas, ſi potes*. Eccleſia Toletana, dictorum Regnorum Primas, in Voto, & Juramento tenendi, ac defendendi *Immaculatam* BB. Virginis *Conceptionem*, quod die 1. Martii 1653. emiſit, teſtata eſt, Se a mille tunc circiter annis Sacrum iſtud Myſterium indeſinenter veneratam fuiſſe, ibi = *Cum ergo veritas hæc tam alte mentibus, cordibuſque noſtris repoſita remaneret, milleque totis circiter annis, publicis annuis Feſtivitatibus noſter hic & ſenſus, & affectus publicatus fuerit &c.* Et revera dubitari nequaquam poteſt, Hiſpanos pri-

mos in Occidente extitiſſe, qui Immaculatæ Conceptioni Cultum, & venerationem exhibuerunt. De B. Petro Paſchaſio, qui decimotertio Sæculo Martyr occubuit, in Divinis Officiis, a Sede Apoſtolica approbatis, recitat Ordo B. M. de Mercede, *quod ipſe primus fuerit, qui Mariam in inſtanti Conceptionis Immaculatam, ſcriptis, & ore defendere non dubitavit*. Joannes, & Martinus, Aragoniæ Reges Sæculo decimoquarto per Edicta publica, ea fere omnia ſtatuerunt, & ſuis præceperunt Subditis, quæ ſucceſſive pro univerſali Eccleſia a Summis Pontificibus poſtea decreta ſunt: Silentii videlicet impoſitionem contrariæ Sententiæ Sectatoribus, tam publice, quam privatim: Feſtivitatem de præcepto &c., & ab eo tempore vix ullus inter Catholicos Reges invenietur, qui ſpecialem erga Myſterium pietatem verbis, ac factis non demonſtraverit, ſive Cultum ejus promovendo, ſive apud Sanctam Sedem inſiſtendo, ut inter Fidei Articulos annumeraretur.

265. Supra jam vidimus, Baſileenſe Decretum favore Sacri Myſterii Sæculo decimoquinto editum, ſtatim in Hiſpaniis publicatum, & lætanter acceptum fuiſſe. Vidimus pariter Leonem X. Sæculo decimoſexto conceſſiſſe, ut in omnibus eorumdem Regnorum Eccleſiis Officium *Sicut Lilium*, & Miſſa *Egredimini*, Interdictorum temporibus, publice per totam Octavam cantari, & Indulgentias a Sixto IV. conceſſas a Fidelibus lucrifieri poſſent. Ad inſtantiam Philippi III. prohibuit Paulus V., ne pia publice impugnaretur Sententia. Quadraginta quatuor annorum ſpatio, duodecim ſucceſſive ad Sanctam Sedem Oratores miſit Philippus IV. pro Sacri noſtri Myſterii amplificando Cultu. A Gregorio XV. obtinuit, ne pia Sententia etiam privatim impugnari poſſet, ac ne contra eam ullus loqui auderet; nec non & præceptum in favorem piæ Sententiæ omnibus impoſitum, utendi, in Divinis

vinis Officiis, *Conceptionis* verbo; ardenſque ipſius erga Myſterium zelus ab eodem Gregorio ſequentibus extolli meruit Encomiis: *O curam Catholico Rege dignam, & Chriſti Vicario gratiſſimam!* Quæ tanti Pontificis verba ſufficere prorſus deberent pro confundenda Adverſariorum quorumdam, licet paucorum, irreligione, qui his noſtris temporibus ejuſmodi zelum, & curam ſpernere, imo & improbare non erubeſcunt. Obtinuit pariter ab Alexandro VII. Philippus IV. Conſtitutionem *Sollicitudo*, ſupra enucleatam, qua pia elucidatur Sententia, & objectum Cultus Sacro Myſterio in Eccleſia exhibiti clariſſimis declaratur verbis, prohibeturque, ne unum, vel aliud in dubium revocentur. Obtinuit pro ſuis Hiſpaniarum Dominiis ab Innocentio X., ut Conceptionis dies inter Feſtivitates de præcepto ibidem ſervandas annumeraretur; & ab Alexandro VII., ut ejuſdem Myſterii Officium cum Octava ibi recitaretur; quæ gratia, inſtante poſtea Carolo II., ad univerſalem Eccleſiam fuit extenſa, prout extenſa pariter extitit Feſtivitas de præcepto. Adeo autem deſideravit iſte Princeps, quod a Sancta Sede inter Fidei Articulos noſtrum annumeraretur Myſterium, ut, in ſupremis ante obitum ſignatis tabulis, ſuum rogaverit Succeſſorem, *ut vicem ſuam in id enixius incumberet; neque inſtare deſiſteret, quoad Chriſti Vicarius hoc Myſterium definiret, Matriſque Divinæ immunitatem decerneret ad Fidem Catholicam pertinere*. Die 10. Junii 1642. decreverat Hiſpalenſis Eccleſia, ut prævie ad Horas Canonicas ſequens a ſuis recitaretur deprecatio, videlicet = *SS. Trinitati, & individuæ Unitati, & Domini noſtri Jeſu Chriſti Humanitati, & auguſtiſſimæ Euchariſtiæ Majeſtati, & BB. Virginis Mariæ ſine peccato Originali conceptæ Fœcunditati, ſit ſempiterna gloria per infinita ſæcula ſæculorum Amen*. Videamus nunc quid hiſce diebus favore ejuſ-

ejuſdem Myſterii peregerit, quidve obtinuerit Sereniſſimus æque, ac piiſſimus Carolus Rex tertius.

266. Anno 1760. Sanctitati Suæ, Regio ejus nomine, repræſentatum fuit, tantam eſſe Hiſpanorum *erga Sacrum Immaculatæ Conceptionis Myſterium* pietatem, ac devotionem, ut ab anno 1621. nullus in quovis ſive Militari Ordine, ſive Studiorum Univerſitate, ſeu Civitatum Senatu, Collegio, Sodalitio, aut quocumque alio legitimo Corpore ibidem recipi, aut aggregari valeat, niſi prius Sacramento, ex formula concepto, ſe obſtrinxerit tenendi, ac ſtudioſe, & pro viribus defendendi idem Immaculatæ Conceptionis Myſterium; cui Voto, & Sacramento ibidem obligantur tum ipſi Catholici Reges, tum & eorum omnes, & ſinguli Subditi. Expoſitum pariter fuit, quod in generalibus eorumdem Regnorum Comitiis, 16. Cal. Auguſti ejuſdem anni 1760. habitis, in ſpecialem Patronam, & Advocatam dictorum Dominiorum electa fuerit excelſa hæc Cœli, Terræque Domina in memorato *Sacro ejus Immaculatæ Conceptionis Myſterio*; ac ſubinde Sanctitati ſuæ eodem Regio nomine fuit ſupplicatum, ut ratum habere, & Auctoritate Apoſtolica hujuſmodi Patronatum approbare, & confirmare dignaretur, *cum precum recitatione*, *& Cultu congruentibus*. Quibus precibus benigne annuit Sua Sanctitas per Bullam incip. *Quantum ornamenti*; ſexto Idus Novembris ejuſdem anni datam. *Sum. num.* 31.

267. In hac autem Bulla ſupplicem Libellum, Sereniſſimi Catholici Regis nomine præſentatum, ex integro refert Summus Pontifex, ac poſtea (§. *Nos eximiam*) ejuſdem Catholici Regis religionem, Hiſpanorumque pietatem, & devotionem erga Immaculatam Conceptionem ſummopere commendat; eamdemque devotionem, *quam profuturam tum ſpirituali, tum & temporali*

rali dictorum Regnorum utilitati agnoſcit, Prædeceſſorum ſuorum exemplo tueri volens, BB. Virginem *in prædicto Myſterio colendam* uti præcipuam univerſalem Patronam Hiſpaniarum, & Indiarum *juxta preces in præinſerto ſupplici Libello expoſitas* decernit; *& Electionem, ut præfertur, factam*, Apoſtolica Auctoritate *confirmat, & approbat*. Deinde (§. *Ejuſdem*) præcipit, ac mandat, *ut ejuſdem Myſterii* Feſtum in dictis Regnis, & Dominiis *per univerſum Clerum tam ſæcularem, quam regularem, & quomodolibet exemptum* ſub ritu duplici primæ claſſis cum Octava *celebretur*, cum omnibus prærogativis, hujuſmodi Patronorum Feſtis competentibus, & a Sede Apoſtolica approbatis; innovatque Pauli V., Gregorii XV., & Alexandri VII. Conſtitutiones, *ſuper ejuſdem Myſterii veneratione* editas, de quibus ſufficienter actum eſt *a* §. 77. *ad* 82., *a* 110. *ad* 136., *&* §. 172. 207., *& ſeqq.* Plenariam tandem in perpetuum omnibus Chriſtifidelibus concedit Indulgentiam, qui die, *quo dicti Myſterii celebritas per Catholicam Eccleſiam recolitur*, aliquam in Hiſpaniis, vel in Indiis eidem B. M. Virgini dicatam, & quoad Regulares, ac Moniales, qui propriam Eccleſiam devote viſitaverint, aliaque in Bulla expreſſa peregerint.

268. Primarium ſine dubio inter prærogativas, hujuſmodi Patronis a Sancta Sede concedi ſolitas, locum occupat, & tenet Officii proprii, & Miſſæ in eorum honorem recitatio. Unde eodem Regio nomine Sanctitati Suæ iterum fuit ſupplicatum, ut Immaculatæ Conceptionis Officium *Sicut lilium*, & Miſſam *Egredimini*, prout ab Ordine Franciſcano recitantur, univerſo Hiſpaniarum, & Indiarum Clero, tam ſæculari, quam regulari, quomodolibet etiam exempto, pro die Feſto ſolemni ejuſdem Immaculatæ Conceptionis, necnon & pro ejus Octava con-

concedere, indulgere, & extendere Apoſtolica ſua Auctoritate dignaretur. Quam gratiam juxta petita benigne impertitus eſt idem Sanctiſſimus Pontifex per aliam Bullam incip. *Cum primum*, datam 16. Kal. Februarii 1761. *Summ. num.* 32.

269. In ea autem nova Conſtitutione inſinuat Sua Sanctitas, inſtantiam Regis Catholici, *ad promovendum, ac propagandum* inclytæ, & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ *Cultum* inter Fideles Populos maxime conducere. Eamdem pariter reſpicit inſtantiam, veluti *reverentiæ, & venerationis ſignum*, quod in terris præbetur *ad cumulandam, & adaugendam gloriam hujus præ cæteris electæ Creaturæ, quæ ex Ore Altiſſimi prodiit, & in omni gente Primatum tenuit:* eamdem inſtantiam *libenti animo amplectitur, veluti obortam occaſionem nova* eidem glorioſiſſimæ Virgini *honoris obſequia tribuendi*, ac *maxime lætatur*, quod *potentiſſimus Rex hac in re ſuum aperuit animum, tam mirifice*, inquit Summus Pontifex, *cum noſtro conſentientem*. Novas deinde Sereniſſimi Regis preces *veluti recentiora illius eximiæ pietatis argumenta* excipiens, in perpetuum concedit, atque indulget, ut, recurrente annis ſingulis dicti Myſterii celebritate, in eiſdem Regnis, & Dominiis, *ac in ſingulis illorum Civitatibus, & Diœceſibus, Oppidis, Terris, & Locis, ac Territoriis quibuſcumque, etiam nullius Diœceſis*, ab univerſo Clero præfato, *ab omnibus videlicet, & ſingulis Sæcularibus, ac Regularibus utriuſque ſexus cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, etiam quantumvis exemptis*, illud Officium proprium, & Miſſa cum Octava recitetur, quod, & quæ per Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de præſenti generaliter recitatur, ac in eorum Breviario, & Miſſali a Sede Apoſtolica approbatis continetur; ad quorum effectum, *illius Officii, & Miſſæ cum Octava recitationem ad univerſum Clerum præfatum gene-*

generaliter quoque extendit. Ex his tamen non ſequitur, quod inpoſterum aliqua celebranda ſit in Hiſpania Conceptionis Feſtivitas, ab ea diverſa, quæ temporibus elapſis ibidem peracta fuerit. Coluerunt enim uſque ad præſens, cum univerſali Eccleſia, Beatiſſimam Virginem, in primo ſuæ creationis inſtanti, a Peccato Originali præſervatam, quod idem eſt ac Immaculatam ejus Conceptionem; & hic Cultus, teſte Alexandro VII., poſt ejus inſtitutionem in Eccleſia Romana nunquam fuit immutatus. Plures *inclyti Prædicatorum Ordinis* retulimus Theologos, unanimiter hoc vel expreſſe, vel æquivalenter aſſerentes, & tenentes §§. *66. 72.* 87. 104. 105. 107. *168.* 177. 178. 179. 203. 218. 221., & 231., quibus ſequentes *ejuſdem Ordinis* adjungere abs re non erit.

270. Jacobus Hocchſtraten, Inquiſitor, *in Margarit. Philoſ. Moral. edit. Colon. an.* 1521. „ Lex iſta communis cum ſuo rigore eſt in Scripturis ita univerſaliter, & „ ita firmiter fundata, quod ab ea, præter Chriſtum, „ nullum humanæ ſpeciei individuum debeat intelligi exceptum, niſi per privilegium, & gratioſiſſimum, & „ ſumma neceſſitudine fundatum, ut de unica illa benedictiſſima Dei Genitrice Maria, & pie creditur, & rationabiliter eſt tenendum. Nam quemadmodum eam ab „ omni peccato Immunem, ſupraque omnes Angelorum choros exaltatam, quamvis hoc Scriptura non exprimat, tamen de eo Sancta Mater non dubitat Eccleſia; ita & eam ab omni contagio Originalis culpæ mirifice præſervatam rationabiliter colit, & veneratur pia „ Chriſtifidelium non improbanda devotio. „

271. Ludovicus Granatenſis, *in Compendio Doctrinæ Chriſtian. fol.* 158. *edit.* 1595. „ Hoi celebra la Santa „ Madre Jgleſia la Fieſta de la Limpia Concepcion de „ nueſtra Señora. „

272. Joannes a S. Geminiano, *lib. Serm. diſt.* 2. *Serm.* 4. ,, Omnes qui concipiuntur in Mundo, ex ipſo peccato ,, Adæ, in ipſa ſui Conceptione contrahunt Originale ,, peccatum, excepto Chriſto .... *Idem nunc ſentit Ec-* ,, *cleſia* de Virgine Maria Matre Domini intemerata, & ,, Immaculata. ,, & *Serm.* 6. ,, Excipitur Virgo Ma- ,, ria in Conceptione puriſſima, quæ per gratiam præve- ,, nientem *præſervata creditur, & colitur.* ,,

273. Juſtinus Miechavienſis, *ſuper Litan. B. V. Serm.* 137., *edit.* 1642. ,, In hac Controverſia de admiranda ,, glorioſæ Dei Genitricis Conceptione ..... circumſpice ,, nunc univerſum Chriſtianum Orbem. Nil aliud in hac ,, materia audies, quam *Conceptionem Immaculatam*. Hanc ,, religioſi Ordines, ſi Sacram Prædicatorum Familiam ex- ,, cipias: Hanc Academiæ illuſtres ſtrenue docent, prædi- ,, cant, tuentur, & ſuſtinere non valent aliam ei oppoſi- ,, tam. ,,

274. Reginaldus Lucarinus, *Controv. Thomiſt. concl.* 15. *pag.* 163. ,, Summi Pontifices Gregorius XV., & ,, Alexander VII. editis Conſtitutionibus, nomen Conce- ,, ptionis *ad Immaculatam* ſignificandam coarctarunt .... ,, In Eccleſia autem Romana exhibetur in hoc Feſto Con- ,, ceptionis B. V., Cultus a ſua inſtitutione nunquam im- ,, mutatus, ſecundum pietatem, & devotionem colendi, ,, & celebrandi Beatiſſimam Virginem, præveniente ſcili- ,, cet Spiritus Sancti gratia, a peccato originali præſerva- ,, tam; ut decidit idem Alexander in ſua ſæpius laudata ,, Conſtitutione. ,,

275. Ildephonſus Giron, *in Prompt. Feſt. Concion.* 3. *Concept.* ,, Hujus Sacratæ Virginis Conceptionem puriſſi- ,, mam, & ingreſſum Sanctiſſimum in Uterum Matris ,, Annæ *hodie celebramus*. ,,

276.

Digitized by Google

276. Alphonſus de Villalobos, *in Conſult. ſuper Scrupul. ad Joan. Martinez Provinc. pag.* 8. „ Parece, que es „ querer reducir la Sentencia pia a los terminos del ſilen- „ cio en nueſtra Religion, a que eſtà reducida la opinion „ contraria; y que como hà mandado el Papa, que no „ ſe toma en la boca, que nueſtra Señora fue concebida „ en pecado; acà nos manda nueſtro Provincial, que na- „ die tome en la boca, que fue concebida en gracia: „ *Et pag.* 13. „ Quando como Miniſtros de la Yglеſia „ dezimos Miſſa, o rezamos el Officio de la Concepcion; „ de que nos ſirve en la celda la opinion que no puede ſer- „ vir nos en el templo? No es coſa ridicula querer quitar el „ honor de Santa, Immaculada, y Pura a la Concepcion „ de la Virgen en los clauſtros, quando aunque nos pe- „ ſe, ſe le hemos de dar entre las aras ſagradas? defor- „ midad es eſte, que opuſò Tertuliano a los Gentiles.... „ *Locorum differentia diſtinguit, opinor, Deos, ut a Tem-* „ *plis Deos exiſtimetis, quos alibi Deos non dicitis.* „

277. Hieronymus Fuſer, Provincialis Aragoniæ, *in Vita Reverendiſſimi D. Fr. Hieronymi Bapt. Lanuſa, Epiſcopi Albaracinen. ejuſdem Prædic. Ordinis. capit.* 12. „ De la devocion que tuvò al Myſterio de la puriſſima Con- „ cepcion de nueſtra Señora: Entre todos los Myſterios, „ y paſſos de la vida Santiſſima de nueſtra Señora, que „ celebrava, i feſtejava eſte Siervo ſuio con ſingular con- „ ſuelo de ſu alma, fue el de la pureza de ſu Concep- „ cion ... Oile dezir muchas vezes, que mientras eſtava „ en ſu Convento de Valencia, apena ſe le paſsò ſemana „ ſin predicar deſte Myſterio; y que alli, y en otras ygle- „ ſias de la Corona, tenia predicados mas de 250. Ser- „ mones; y en ſus papeles ſe hallan tantos deſta ſolemni- „ dad eſcritos, y apuntados de ſu mano, que me parece „ corto el numero que me dezia. „

278. Dominicus Perez, *de Incarn. tract. 2. in Append.* „ Certiſſimum eſt, & *ut tale pie creditum ab omnibus Catholicis*, BB. Virginem non contraxiſſe culpam „ Originalem; & quod hæc non contractio, ſeu præſervatio fuerit ex meritis Chriſti; ſicque verificatur, propriiſſime fuiſſe redemptam. „

279. Franciſcus Creſpi de Borgia, Epiſcopus Vicen, *in Epiſt. ad Alexandrum VII. quinto idus Julii* 1656. „ Continuata, & antiqua Summorum Pontificum erga B. „ Virginis Immaculatum Conceptum pietas, aſſiduuſque „ favor, cordibus Fidelium inſertam devotionem, innatumque ſtudium ad idem Myſterium totis viribus amplectendum, venerandumque, mirum in modum creſcere „ fecerunt ... Enixe oro B. V., ut e theſauris Fidei latentem veritatem veteranam noviter, & infallibiliter Nobis, & toti Eccleſiæ credendam proferat, amplectendam „ proponat. Clamat hoc unum totius Chriſtianitatis Religio: Romani Pontifices ſtraverunt viam, paraverunt „ aditum: Sancti Patres fundamenta jecere: Doctores „ Scholaſtici ſuis firmant ſcriptis: Univerſitates jurejurando amplectuntur: Reges ardenter exoptant: Clamant „ populi, omneſque utraque bucca, Virginis Animationem Immaculatam buccinant, puriſſimam profitentur. „ Tandem, Beatiſſime Pater, Religio mea Dominicana „ (cujus Inſtituto quadrageſimus hic eſt annus meæ addictionis) quod verbo, calamo, ſtudio indefeſſa profitetur, lacrymabunda, irrequietaque ſollicitudine firmandum idem exorat. Adſit, adſit, Sanctiſſime Pater, omen veſtrum. Adſit Soliditatis Apoſtolicæ firmiſſima, & „ ſemper vincens Sententia. Audiant gentes ſæculo tuo „ aureo bonum nuntium. Firmetur tuis humeris Immaculata Virginis Conceptio; Teque totus Orbis profiteatur Virginei Ortus ſervatorem, Puritatis aſſertorem, „ Marianumque propugnatorem. „

280.

280. Anno 1618. die 24. Junii, Patres Dominicani Provinciæ Hiſpaniæ, indicto Matriti Conventu Provinciali, Paulo V. ſupplicarunt „ ut dignaretur ipſis imperare „ recitationem Officii, & celebrationem Feſti *Puriſſimæ* „ *Conceptionis* in ea forma, qua de ea recitant, eamque „ celebrant cæteri Eccleſiæ Filii; utque e ſuggeſtu prædicent opinionem, quæ tenet, Virginem fuiſſe ſine „ Peccato Originali conceptam. „ Subſcripſerunt huic ſupplicationi = Ludovicus de Alliaga, Regi Catholico a Confeſſionibus = M. Fr. Gonzalez, Profeſſor Primarius Academiæ Complutenſis = M. Fr. Laurentius Guttierez, Profeſſor Veſpertinus Complutenſis, & Conſultor Supremi Officii generalis Inquiſitionis = M. Fr. Alphonſus Barantes, Prior Regii Conventus S. Petri Martyris Toleti, & Conſultor S. Officii Inquiſitionis Valliſoletanæ, & Toletanæ. Præſentatus Fr. Petrus Venerus, Rector Collegii S. Thomæ Complutenſis. *Card. Cœleſt. Sfondrati, Innoc. Vindic. §. 1. pag. 9., ex Nieremberg in except. fol.* 211.

281. Eamdem igitur celebrare pergent Hiſpani Conceptionis Feſtivitatem, nullaque relate ad hujuſmodi Feſti, & Cultus obiectum facta eſt mutatio; & tamen in ſua Bulla aſſerit Summus Pontifex, quod per recitationem Officii *Sicut Lilium*, & Miſſæ *Egredimini*, *nova honoris obſequia* BB. Vigini *tribuentur*, & *Cultus ejus* in memorato Sacro Myſterio *amplificabitur*. Augebitur revera, ſi ulterius augeri poſſit, Hiſpanorum erga Sacrum Myſterium pietas, ſtatim ac obſervabunt, favore ejuſdem Myſterii conceſſa ſibi fuiſſe Officium, & Miſſam, *ab ipſa Romana Eccleſia olim ordinata*, & *in Dei Eccleſia inſtituta*, prout declararunt in ſuis Conſtitutionibus Sixtus IV., & Alexander VII.: Officium, & Miſſam, a Patribus Conciliorum Generalium Lateranenſis, & Tridentini recitata „

ta, & cantata: Officium & Miſſam, a Sancta Sede adeo commendata, ut non ſolum ea recitantibus, ſed & eorum recitationi intereſſentibus eaſdem concesſerit Indulgentias, quæ recitantibus Sanctiſſimi Corporis Chriſti Officium elargitæ quondam fuerant: Officium, & Miſſam, in quibus *Immaculatæ Conceptionis titulum* in omnibus ſuis Eccleſiis lætabundi cantabunt, Sacri Myſterii reipſa Adverſariis, & fictitie dumtaxat Devotis, a tempore Gregorii XV. adeo exoſum; de quibus, antequam tot emanarent Congregationis Sancti Officii Decreta, quibus, ut ſupra viſum eſt, ſemper, & inconcuſſe mandatum fuit, ut libere typis mandaretur idem titulus, *tom. 8. ſuorum Operum pag.* 303. erudite ſcribebat Theophilus Raynaudus = *Ridicule vero, & admodum ignoranter aliqui ex Adverſariis, Virginem quidem recte dici Immaculatam admittunt... Conceptionem tamen negant dicendam eſſe Immaculatam*. Titulum in Eccleſiis ubique cantabunt, Doctrinæ Chriſtianæ, quam ab Infantia didicerunt, omnimode correſpondentem: Titulum, qui ultra prærogativas, in præſenti Opuſculo fere ubique, ſed præſertim Articulis *6. 7. 9.* 14. 15., & ultimo recenſitas, Romæ, & ubique terrarum in Litaniis BB. Virginis olim ſequentibus Verbis decantabatur: *Per Immaculatam Conceptionem Matris tuæ, libera nos, Domine = Per Immaculatam Conceptionem tuam libera nos, Domina = Sum. num.* 33. Titulum, qui eo ipſo quo impugnabatur tempore, a Summis Pontificibus Paulo V., Gregorio XV., & Urbano VIII., Eccleſiis, Cappellis, Altaribus, Beneficiis Eccleſiaſticis, Confraternitatibus, & Monialium Conventibus, ac Congregationibus, in ſuis Bullis Apoſtolicis tribuebatur. *Ibidem num.* 34., quique, de expreſſo ejuſdem Urbani VIII. mandato, Monaſteriis Monialium imponebatur = *Diſcretioni tuæ per præſentes mandamus, quate-*

nus

Digitized by Google

nus .... unum Monaſterium Monialium ſub denominatione Immaculatæ Conceptionis: Sub invocatione Immaculatæ Conceptionis, Auctoritate noſtra Apoſtolica erigas, & inſtituas; & hoc præcipimus, ex Voto Congregationis Venerab. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum. *Ibidem litt. A.* Titulum tandem, quem Sancti, Beati, & Venerabiles Servi Dei, qui a pluribus ſæculis floruerunt, a tempore ſcilicet quo Sacrum Myſterium elucidari cœpit, ſumma devotione, ac pietate unanimi proſecuti, & venerati ſunt. *Sum. num.* 35.

282. Sub ſilentio præteriri non debet eximia Sereniſſimæ Lucenſis Reipublicæ erga Sacrum Myſterium pietas, & devotio. In Summario noſtro, *num.* 2., habemus, Sacro Myſterio in hac Civitate dicatum olim fuiſſe Altare die 13. Julii 1312. In Cancellaria ejuſdem Sereniſſimi Senatus habetur, eum inter primarios annumerandum eſſe, qui memorati noſtri Myſterii Feſtivitatem celebrarunt. Habetur pariter, quod anno 1514. decreverit celſiſſimum Conſilium, ad Eccleſiam S. Franciſci quolibet anno die 8. Decembris ſe conferre, ibique Immaculatæ Conceptionis Miſſæ ſolemniter intereſſe. Habetur, quod, ſæculo proxime elapſo, interrupta aliquot annorum ſpatio hujuſmodi devotione, tandem ſtatuta de novo, & in perpetuum decreta fuerit anno 1686. Eo ſiquidem anno, cum Reverendiſſimus Generalis Vicarius Sereniſſimum ſupplicaſſet Conſilium pro licentia, & facultate, Immaculatæ Conceptionis Statuam ponendi ſuper columnam in platea, S. Franciſci nuncupata; non ſolum petitis annuerunt celſiſſimi Principes, ſed ulterius quibuſdam Senatoribus, prout moris eſt, commiſerunt, ut examinarent, & in Scriptis Conſilio referrent, quid pro majori ejuſdem functionis ſolemnitate peragere conveniret. Extenſa conſequenter, & præſentata fuit Relatio die 11. Octo-

Octobris ejuſdem anni, *Sum. n.* 36., & omnia in ea contenta recepta, approbata, & executioni mandata fuerunt. Magnifica proinde admodum fuit Feſtivitas, quam civitatis tormentorum emiſſiones prævenerunt, ac pluries comitatæ ſunt. Ad Eccleſiam S. Franciſci pro ſolemni Miſſa, aliiſque functionibus, apparatu ſplendidiſſimo perrexit Sereniſſimus Senatus, miſſis antea pro ſolemnitate ducentis cereorum libris; & obtenta prius a Sac. Rit. Congregatione facultate canendi Miſſam propriam *Sanctiſſimæ Conceptionis*, licet ſolemnitas fieret Dominica quinta poſt Pentecoſtem. *Ibid. Litt. A.*, ubi etiam habetur, quod ab Innocentio XI. conceſſa fuerit Indulgentia Plenaria omnibus, eidem Feſtivitati aſſiſtentibus. E carceribus liberati ſunt octo homines, pro criminibus in eis detenti, ac Immaculatæ, & Glorioſiſſimæ Virgini Mariæ veluti remiſſi, & oblati ſunt, variaque alia peracta ſunt pietatis opera; ac tandem deliberatum, ut in ſuo Immaculatæ Conceptionis Myſterio, veluti Patrona, & Protectrix in futurum coleretur eadem BB. Virgo, & ad perpetuam rei memoriam marmor, carminibus id exprimentibus ſignatum, in Columnæ ſtylobata apponeretur, in quo etiam aliquid commemorari deberet de Sacratiſſimo Salvatoris Noſtri Vultu, elapſis tunc quibuſdam annis, a Sereniſſima Republica ſolemniter coronato.

283. Quatuor igitur appoſitæ fuerunt Inſcriptiones in Columnæ Baſi, videlicet =

1.
IPSA CONTERET CAPUT TUUM.

2.
ET TU INSIDIABERIS CALCANEO EJUS.

3.
QUÆRETUR PECCATUM ILLIUS, ET NON INVENIETUR.

4.
SI EXALTATA FUERO A TERRA, OMNIA TRAHAM AD MEIPSAM.

Qua-

Digitized by Google

Quatuor ſimiliter in ejuſdem Columnæ Stylobata; nempe in una illius parte repræſentatur Lucenſis Civitas cum Epigraphe =

VERE LIBERA SERVA NOS LIBEROS.

In alia, & ea eſt, quæ in Conſilio fuit lecta, & ab eodem approbata.

REGINÆ COELI
EADEM SE PIETAS PROSTERNIT
QUÆ CHRISTUM
SANCTO CORONAVIT IN VULTU.
UBI ENIM FILIUS REGNAT
MERITO TRIUMPHAT ET MATER;
CUI SINE LABE CONCEPTÆ
ET IN PATROCINIUM CIVITATIS
ANNUENTE SENATU COOPTATÆ
COR OMNIUM
TROPHÆUM EREXIT.
QUI SUI OLIM POPULI SERVITUTEM
DESTRUXIT
PROSPICIENS PER COLUMNAM,
PER HANC
REIP. PERENNEM SERVET
LIBERTATEM.
AN. M. DC. LXXXVII.

In altera =

PATRONÆ SEMPER IMMACULATÆ
OMNIA PROMERENTIS
CLIENS PARUM GRATUS
UNUS EX CONFRATRIBUS
LOCO PRIOR MERITIS POSTREMUS
HANC COLUMNAM, ET IMAGINEM
A SE ERECTAM
SOCIETATI SS. CONCEPTIONIS
DONO DEDIT
AN. AB EJUSDEM VIRGINIS PARTU
M. DC. LXXXVII.
MENSE JUNIO DIE X.

Nn Et

Et tandem in quarta =

DEIPARÆ VIRGINIS
DIVINAM INDULGENTIAM
ANTE CONSECUTÆ, QUAM CONCEPTÆ
HONOREM AUGERE STUDENS
JULIUS CARD. SPINOLA
EPISC. LUCANUS
TIBI VIATOR
QUANDOCUMQUE PRÆTEREUNTI
SI IN VENERATIONEM HUJUS IMAGINIS
CAPUT FLEXERIS,
ET ANGELICAM SALUTATIONEM
RECITAVERIS
QUADRAGINTA DIES
DE DEBITIS POENIS
INDULGENS REMISIT.

284. Die 21. Novembris ejuſdem anni 1686. decrevit, & in perpetuum præcepit Excelſiſſ. Conſilium, quod renovaretur, & executioni infuturum quolibet anno mandaretur antiqua ejuſdem Conſilii pia conſuetudo, a quibuſdam annis, ut diximus, interrupta, pergendi ſolemniter die 8. Decembris ad Eccleſiam S. Franciſci, ibique Sacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſſendi. Prout videri poteſt *in Cancellariæ Regeſto ad dictum an. fol.* 250. Nec his adhuc contenti piiſſimi Principes, anno ſequenti 1687. die 19. Junii, *relata in Conſilio electione SS. Virginis, ſub Immaculatæ Conceptionis titulo, in Civitatis Protectricem a Sereniſſ. Republica peracta*, nec non & Inſcriptione ſuper hoc, *de Conſilii mandato*, jam inciſa; ulterius ſtatuerunt, Lampadem ducentorum Scutorum valoris Altari Immaculatæ Conceptionis, in dicta S. Franciſci Eccleſia ſito, offerre, & donare: Oleum in perpetuum pro eadem Lampade erogare;

gare;

gare; & quolibet anno quadraginta cereorum libras pro ejuſdem Immaculatæ Conceptionis Feſtivitate elargiri. *Regeſt. Cancel. fol. 92. a tergo*. Tandem ab illo tempore uſque ad præſens pia invaluit conſuetudo, non ſine magna Chriſtifidelium conſolatione, ut vix ullus coram memorata Columna tranſeat, qui, flexis genibus, Salutationem Angelicam Immaculatæ Virgini non recitet.

285. Alia non deſunt Trophæa, BB. Virgini Immaculate conceptæ, ubique fere terrarum dicata. Adſunt Columnæ, variis in locis, Immaculatæ Conceptioni erectæ; Viennæ ſcilicet in Auſtria, Pragæ, Bononiæ, Panormi &c. ſed in immenſum protraheretur præſens Opuſculum, ſi de omnibus tractandum nunc foret.

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMARIUM
SEU
DOCUMENTORUM REGESTUM.

Num. 1. = *Epiſtola Sancti Anſelmi*, *Revelationem Abbati Elſino factam referens*.

ANſelmus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Paſtor Anglorum. Venerabilibus Coepiſcopis ſuis, cæteriſque Orthodoxis ſalutem, & pacem. Conceptio venerandæ Dei Genitricis Mariæ.... prudentiſſimus Guilielmus Elſinum quemdam Religioſum, Abbatem Remelienſis Cœnobii accerſitum, in Daciam dirigit .... Ad Angliam reverti cupiens, Mare ingreditur. .. horrida tempeſtas Cœlum commovit, & undas... Cum eſſent de corporum ſalute deſperati .... Ecce ſubito conſpiciunt quemdam admodum reverendæ habitudinis Virum, Pontificali Infula decoratum, quaſi inter medias undas ſtantem proximum navi, qui vocans ad ſe Abbatem, his verbis cœpit eum alloqui: Vis, inquit, periculum maris evadere? Vis in Patriam tuam ſanus redire? ... *Promitte Deo*, *& mihi*, *quod diem Conceptionis*, *& Creationis* Matris Domini Jeſu Chriſti *Solemniter celebrabis*, *& celebrandum prædicabis*. Et quis, inquit, dies in hoc feſto celebrandus erit? Sexto, ait, idus Decembris, hoc Feſtum ſolemnizandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, Officio utemur in Eccleſiaſtico obſequio? *Omne*, inquit, *Officium*, *quod dicitur in ejus Nativitate*, dicetur *in Conceptione*, excepto quod nomen *Nativitatis* mutabitur in nomen *Conceptionis*. His dictis, ille diſparuit ..... Et nos ergo, fratres dilectiſſimi, ſi portum Salutis volumus comprehendere, Dei Genitricis Conceptionem dignis Officiis celebremus, ut ab ea, digna mercede remuneremur. *Part. 1. Oper. S. Anſelmi pag.* 144. *edit. Lugd.* 1630.

Variant Codices. In quibuſdam enim dicitur: Promitte mihi; *& deeſt Verbum:* Deo. *Similiter in quibuſdam habetur:* diem Conceptionis Matris Domini; *deeſtque:* Et Creationis.

Num.

Digitized by Google

Num. 2. = *Documenta probantia, antiquiſſimam eſſe, & nunquam interruptam, etiam extra Hiſpaniam, Conceptionis Feſtivitatem, quorum plura demonſtrant legitimitatem Revelationis, & Epiſtolæ, de quibus in antecedenti numero.*

Ante an. 1087. B*Ulla Leonis X.* = Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Ineffabilia....Sane pro parte dilectorum Filiorum modernorum Magiſtrorum, Principum nuncupatorum, & Confratrum Confraternitatis, ſub invocatione Conceptionis B. M. V. in Eccleſia Domus B. M. de Monte Carmelo Rothomagenſis, Ordinis Fratrum Carmelitarum inſtitutæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum Feſtum Conceptionis ejuſdem glorioſæ Virginis, *quod bo. mem. Guillelmo, olim Normannorum Duce, dum viveret, inſtante* (mortuus eſt anno 1087.) *celebrari publice incepit*, ab inde citra in Civitate Rothomagenſi, & tota Provincia Normanniæ ſolemniter celebratum, & magna veneratione habitum fuerit, & per omnes Galliæ partes celebratur; Dilecti Filii Petrus Doce Pro-Prætor, & nonnulli Cives Rothomagenſes, *cupientes dicti Feſti devotionem propagare, & ampliare*; unam Confraternitatem, ſub invocatione prædicta, in dicta Eccleſia fundarunt, & inſtituerunt ... *cui plurimi Prælati, ac Senatores, & Regii Magiſtratus, ac Nobiles aggregari curarunt, & curant* .... Datum Anno Incarnationis Dominicæ 1520. Nono Cal. Aprilis = *Bullar. Carmel. tom.* 1. *fol.* 500.

Matthæus Paris, Monachus S. Albani in Anglia, qui ſcribebat circiter annum 1243., *in Vitis Abbat., ſuæ Hiſtor. Anglic. annexis, pag.* 40. *edit. Paris.* 1644., in vita Gaufredi,
1119. anno 1119. in Abbatem dicti ſui Monaſterii electi ſequentia refert. = „ Statuit quoque ... Conceptionem B. V. in Cappis Feſti- „ ve celebrari. „ Idemque habetur apud Edmundum Martenne, *de ant. Eccleſ. Rit. tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 31. *edit. Antuerp.* 1736.

Concilium Nationale Angliæ, anno 1129. *celebratum* = „ In „ Synodo, omnium Epiſcoporum ſententia, decernitur, Deipa-
1129. „ ræ Virginis Conceptionem ſolemni Feſto per univerſum Angliæ „ Regnum celebrandam eſſe. „ *Michael Alford. tom.* 4. *Annal. Britan. ad ann.* 1129. *num.* 4.; & *Annal. Joan. Stoi ad hunc annum*, ubi additur, Epiſcoporum Legem *a Romano Pontifice* confirmatam fuiſſe.

Ex Epiſtola S. Bernardi ad Lugdunenſes habetur, eos an-
1140. no 1140. Conceptionis Officium, & Feſtum celebraſſe; & in

eadem

eadem fit mentio de Revelatione, videlicet = *Profertur ſcriptum ſupernæ, ut aiunt, Revelationis.* Revelatio.

Potho, Cœnobii Prumiæ in Diœceſi Trevirenſi Monachus, de Feſto Conceptionis in Germania inducto, ſequentibus verbis, anno 1150. conquerebatur = „ Quæ ratio hæc Feſta celebranda 1150.
„ nobis induxit; Feſtum videlicet S. Trinitatis, Feſtum Transfi-
„ gurationis Domini? Additur his a quibuſdam, quod magis ab-
„ ſurdum videtur, Feſtum quoque Conceptionis Sanctæ Mariæ.
Lib. 3. *de Stat. Dom. Dei pag.* 502. *col.* 2. *tom.* 21., *Biblioth. Patrum.*

Statuta Attonis, Prioris Monaſterii S. Petri de Regula =
„ Anno Incarnationis Dominicæ 1154., Ego Atto, Prior Mona- 1154.
„ ſterii S. Petri de Regula, præſente Domino Vaſatenſi Epiſco-
„ po, Guilielmo Arnaldi, collaudante totius noſtri Capituli beni-
„ gna humanitate; ſtatuimus, ut Feſtum de B. Dei Genitricis
„ Mariæ Conceptione, *quod jam fere per totam Galliam devo-*
„ *tiſſime ab omni Chriſtiano percelebratur Populo*, hoc, & a
„ Fratribus noſtris, & tota Plebe venerabiliter deinceps ſolemni-
„ zetur. „ *Marten.*, *loco citato*, *tom.* 4. *cap.* 2. *num.* 16.

Nicolaus, Monaſterii S. Albani in Anglia Monachus, anno 1170. ſequentia ſcribebat. = „ Non erat ab initio Nativitas Vir- 1170.
„ ginis in Eccleſia ſolemnis; ſed, creſcente Fidelium devotione,
„ addita eſt præclaris Eccleſiæ ſolemnitatibus. Quare igitur non
„ ſimiliter & diem Conceptionis obtineat ſedulitas Chriſtianæ de-
„ votionis? „ *Apud Petrum Cellenſ.*, *tom.* 23. *Biblioth. Patrum pag.* 879.

In Chronicis Gaufridi, Monaſterii Voſienſis Prioris, anno 1183. exaratis, cap. 12., de Guilielmo Normannorum Duce, in 1183.
Angliæ Regem anno 1066. ſacrato, habetur = „ Ea tempeſtate
„ Triumphator ille Guilielmus Manſer, ſubjugata Anglia, probi- Revelatio.
„ tate pollebat. Hic miſit in Daciam Elphinum, Abbatem Reme-
„ ſienſis Monaſterii, cui in mare periclitanti Angelus apparens
„ diem Conceptionis perpetuæ Virginis Mariæ deſignavit, eum-
„ que a mortis periculo eripuit. „ *Apud Philip. Labbe*, *Biblioth. Manuſc. tom.* 2. *Sect.* 1. *pag.* 284. *edit. Paris.* 1657. Videatur etiam Guilielmus Cave, *Hiſt. Litt. ad annum* 1183. *pag.* 598.

Diploma quoddam Balduini, Flandriæ, & Hannoniæ Comitis, ſic terminatur = „ Actum in ſolemnitate Conceptionis glo-
„ rioſæ V. Mariæ anno 1195. „ = *Aubert. Myræus*, *tom.* 1. *not.* 1195.
Eccleſ. Belg. cap. 121. *pag.* 721. *ſecund. Edit. Bruxel.* 1723.

Martenne tom. 3. *antiq. Eccleſ. Rit. lib.* 4. *cap.* 31. *n.* 14.

„ Pu-

„ Publicam cum pompa proceſſionem, in ejus honorem factam
1197. „ fuiſſe reperio in Chronico Rothomagenſi, anno 1197. „

Chronicon Rothomagenſe, ad an. 1197. = „ Cum Walterus
Item. „ Archiepiſcopus Epiſcopos quoſdam a Pontificalibus ſuſpendiſ„ ſet; illi pro reconciliatione venerunt, ad pedes ejus proſtrati, „ in proceſſione ſolemni, in Feſto Conceptionis B. M. V. „ = *Philip. Labbe tom.* 1. *Biblioth. manuſc. ſect.* 2., & *Gallia Chriſtiana tom.* 11. *col.* 56. Epiſcopi illi fuerunt Lexovienſis, & Ebroicenſis; ac de hac reconciliatione, & abſolutione iterum fit mentio in Gallia Chriſtiana, *eod. tom.* 11. *col* 581. & 780.

Joannes Franciſcus Bernardus Maria de Rubeis, Ord.
Sæculo 12. Prædicatorum, *Monum. Eccleſ. Aquil. cap.* 51. *num.* 4., quibuſdam refutatis, qui Conceptionis Feſtum ſæculo decimo in dicta Eccleſia inſtitutum fuiſſe aſſerebant, ſubjungit = „ Non abnuerim „ vero, Feſtum idem Conceptionis, quod Sæculo duodecimo plu„ ribus in locis invaluiſſe oſtendit Edmundus Marienne in tra„ ctatu de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Of„ ficiis, receptum quoque in Eccleſia Aquilejenſi. Quo tamen in„ centore Præſule, ignotum. „

„ Anno 1213. ſub Azzone, Marchione Ateſtino, cum S.P.S.
1213. „ Franciſcus Rhodigio Romam contenderet, voluit huic Popu„ lo...aliquod ſui amoris monumentum relinquere, ut eum ad „ Chriſti amorem accenderet. Quare adiecit animum ad hujuſ-
Altare ſub ejus titulo. „ modi Ædem ex corrogatis eleemoſinis conſtruendam, in eaque „ hoc erexit Altare, hac Imagine, quæ Sancti Lucæ vulgo eſſe „ fertur, collocata, titulo B. V. Conceptionis „ *Apud D. Nicoleon., de Rebus Rhodigin. lib.* 2. *pag.* 96. *Rhodii apud Hiacint. Biſuccium.*

Gallia Chriſt. tom. 9. *col.* 106., ubi de Eccleſia Rhemenſi =
1215. „ Eodem anno 1215., *cum pronunciatum eſſet a Legatis Apo„ ſtolicis*, Conceptionem B. M. V. celebrandam eſſe *de mandato „ Summi Pontificis*; dies illa *Solemni ritu* peracta eſt in Eccle„ ſia Rhemenſi. „

Ex Synodis Galonis, & Simonis, Legatorum in Gallia =
Item. „ Conceptio autem B. Mariæ hodie *de mandato Sedis Apoſtolicæ* celebratur. „ *Bochel. lib.* 4. *Decret. Eccl. Gallic. tit.* 7. *de Feſtis diebus, cap.* 13. *pag.* 578., qui in Nomenclatura Synodorum ait = „ Teſtantur hiſtoriæ, circa annum Dom. 1212., a Pontifi„ cibus Innocentio III., & Honorio plurimos, variis de cauſis, „ miſſos in Franciam ad Philippum Auguſtum Legatos, & plu„ res ab iis Synodos Pariſiis, Bituris, Sueſſionis habitas. Rober„ tus Gaguinus, lib. 6. de Geſtis Francorum, ſcribit, Galonem

„ Car-

Digitized by Google

„ Cardinalem ab Innocentio III. Legatum miſſum ad Philippum „ Franciæ Regem.„ Hæc Bochellus, de quo ait Dominus l'Advocat in ſuo Dictionario hiſtorico compendioſo Litt. B. = *Bochel, ou Bouchel Scavant juriſconſulte... dont on a primo les Decrets de l'Egliſe Gallicane.... Ces ouvrages ſont eſtimés.*

Concilium Oxonienſe 1222. *cap.* 8. = „ Hæc ſunt Feſta, in 1222.
„ quibus, prohibitis aliis operibus, conceduntur opera Agricul-„ turæ, & carrucarum... Omnia Feſta Beatæ Mariæ, præter Fe-„ ſtum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur neceſſitas.„ *Apud Labbe tom.* 13. *Concil. col.* 1070. *Edit. Venet.* 1732.

Matthæus Paris, ſupra citatus, *Hiſt. Angl. Major. ad annum* 1228. narrat, hoc anno veniſſe in Angliam quemdam Ar- 1228.
menorum Archiepiſcopum, eamque in ſuo Monaſterio Sancti Albani hoſpitio receptum, & a quodam Monacho interrogatum, *Si in Partibus ſuis Conceptio B. M. celebraretur*, reſpondiſſe: *Celebratur utique.*

Caſimirus Oudinus, *de Scriptor. Eccleſ. tom.* 3. *col.* 136., ſequentia habet: „ *Robertus Capito... Theologus ſæculi ſui præ-„ ſtantiſſimus... anno* 1235. *Hugoni de Velles, Lincolnienſi Epi-* 1235.
„ *ſcopo ſucceſſit.* „ Et *col.* 150. inter Opera ejuſdem Roberti inedita, quæ in Bibliotheca Eccleſiæ Weſtmonaſterienſis aſſervantur, ſequens reponit, nempe: *De Conceptione, & Excellentia B. M. SECUNDUM ANSELMUM Meditationes* 2. Idem refert Guillelmus Cave, *Hiſtor. Litter. tom.* 2. *pag.* 248.; & Petrus Aureolus, decimitertii, & decimiquarti ſæculi Theologus, *in* 3. *ſent. diſt.* 3. *art.* 1. eumdem Robertum, quem *Groſſateſta* nominat, inter eos, qui favore Immaculatæ Conceptionis ſcripſerant, annumerat, ibi = *Item Riccardus fecit de hoc unum Sermonem. Item ad hoc eſt Robertus Groſſateſta. Item Anſelmus fecit de hoc unum Librum.*

In Codice Bibliothecæ Barberinæ, ſignato *num.* 2061., cui titulus: *Prolegomena ſuper Libros Epilogorum in geſta Sanctorum, edita a Fr. Bartholomæo Tridentino, de Ordine FF. Prædicatorum:* ſequentia habentur = „ Conceptio Sanctæ Mariæ. Con-„ ceptio Matris Dei *a pleriſque* ſolemniter celebratur, ſicut ipſe, „ *præſente Romana Curia, nec inhibente*, in Cathedrali Eccle-„ ſia Anagniæ fieri vidi. Sentiant alii quod placet, dicam ego „ quod ſentio. Sive per occaſionem, ſive ex charitate, ſive quo- 1240.
„ cumque alio modo Maria prædicetur, & laudetur, in hoc gau-„ deo, & gaudebo. *Nec cauſam* video, cur illam Conceptionem „ non dicam Venerabilem... Accedit his dictis in teſtimonium, „ Miraculum quod accidit tempore Ducis Normannorum Gui-

Revelatio. „ lielmi... Abbas Elſinus... vidit quemdam, Pontificalibus indu-
„ tum, dicentem ſibi: *Si Conceptionem Sanctæ Mariæ te cele-*
„ *braturum voveris*, liberaberis. Qui dum diem quæreret, di-
„ xit: *Sexto idus Decembris*; Officium vero juſſit fieri *Nati-*
„ *vitatis*, mutato tamen nomine Nativitatis in nomine *Conce-*
Epiſtola ſine dubio S. Anſelmi. „ *ptionis*. Quod Miraculum per Anglicanam (ſic ibi habetur)
„ divulgatum, & devote receptum eſt; Et de illo Feſto *propria*
„ *Hiſtoria* poſtmodum facta, *quæ a multis cantatur*. Si tibi
„ Virgo placet, placeant juſtis mea dicta „ = Hæc Pater Bartho-
lomæus, de quo P. Echardus, *de Script. Ord. Prædicat. tom.*
1. *pag.* 110., ait: „ Vir doctrina, & pietate conſpicuus. Præci-
„ puum illius Opus eſt Epilogus Vitæ Sanctorum. Extat Codex
„ Mſſ. Romæ in Barberina. Eruditi Scriptores coniiciunt, circa
„ 1240. ſcribendis Vitis Sanctorum incubuiſſe, quibus aſſentior.
„ Utinam Romani noſtri ex Bibliotheca Barberina illud Opus
„ ederent. „

1247. *Statuta Synodalia Eccleſiæ Cenomanenſis anni* 1247. = „ Se-
„ quuntur dies feriandi per annum.... December: Conceptio B.
„ M. V. „ *Martenne, Collect. Veter. Script.*, & *Monum. tom.*
7. *col.* 1403. *Edit. Pariſ.* 1733.

Martinus de Ximena, Canonicus Toletanus, *in Cathal. E-*
1250. *piſcoporum Giennen. pag.* 212., hæc habet = „ Hoc anno 1250.,
„ Sanctus Rex Ferdinandus Conventum SS. Trinitatis fundavit
„ Ubedæ; in cujus Eccleſia adeſt magni momenti antiquitas, vi-
Cappella. „ delicet una Cappella, cujus imago, & titulus eſt Immaculatæ
„ Conceptionis BB. V., quam imaginem ibi reliquit idem Rex
„ cum neceſſario proventu pro una Miſſa cantata, qualibet anni
„ feria quarta. „

Item. Sanctus Bonaventura, eodem circiter anno, *in* 3. *Sent. diſt.*
3. *part.* 1. *art.* 1. *qu.* 1., ſcripſit = „ Ut quidam dicunt, hæc
„ ſolemnitas celebrari non cœpit humana inventione, ſed *Divi-*
Revelatio. „ *na Revelatione*. Sed quia hoc authenticum non eſt, non com-
„ pellimur credere; quia etiam contra fidem rectam non eſt,
„ non compellimur negare. „

In Capitulo generali Ordinis Minorum, ab eodem Sancto
1263. Bonaventura Miniſtro generali, Piſis anno 1263. celebrato =
„ Juſſum item, ut novæ hæ Feſtivitates admitterentur in Ordi-
„ ne, videlicet: Conceptionis B. M. V. Viſitationis ejuſdem: B.
„ Annæ, illius Genitricis; & Marthæ Virginis. = *Chronol. Se-*
raph. P. Joan. a Neap. pag. 27. *Gubern. Orb. Seraph. tom.* 3.
pag. 12., & *Wading. ad dictum an.* 1263.

Gal-

Gallia Chriſtiana, *tom.* 11. *col.* 588., de Eccleſia Ebroicenſi = „ Factus Rodulphus Cardinalis, & Epiſcopus Albanen-
„ ſis, Ebroicenſi ceſſit Epiſcopatui ... 1262. = Biennio poſt, 1264.
„ *fundavit Capellam Conceptionis* B. M. in Eccleſia Ebroicenſi, Cappella.
„ de Decimis Silvæ Vallis Rodolii, per ipſum, dum fuerat Epi-
„ ſcopus Ebroicenſis, partim acquiſitis, partim ipſi a Ludovico
„ Rege donatis. „

Anno circiter 1270. Guillelmus Durandus, *lib.* 7. *cap.* 7. 1270.
Rational. Divin. Offic., ſequentia ſcripſit = „ Quidam etiam faciunt Revelatio.
„ quintum Feſtum, ſcilicet de Conceptione B. M... aſſerentes, hoc
„ fuiſſe revelatum cuidam Abbati in naufragio conſtituto. Quod
„ tamen non eſt authenticum, unde non eſt approbandum. „

Henricus Gandavenſis, qui eodem tempore floruit, *quodlib.* Item.
15. *Qu.* 13. hæc habet = „ Aliqui dicunt, ſuper ejus celebra-
„ tione facienda habitam fuiſſe Divinam Revelationem; & quod Revelatio.
„ propterea Normanni, in quorum Territorio dicitur hujuſmodi
„ Revelatio facta fuiſſe, præ cæteris Populis illam Conceptio-
„ nem præcipue celebrant. Supponendo igitur cum Normannis,
„ quod Conceptio Virginis ſit celebranda ſimpliciter; reſtat du-
„ bium quæſtionis propoſitæ: An ſcilicet celebranda ſit ratione
„ Conceptionis? „

Gallia Chriſtiana, *tom.* 8. *col.* 2358. de Garino Abbate
S. Laudomari Bleſenſis = „ Obiit anno 1272., ut conſtat ex Lit- 1272.
„ teris Monachorum S. Laudomari, datis die Lunæ *poſt Octa-* Octava.
„ *vas* Conceptionis B. M. anni ejuſdem, quibus alterum ſuffi-
„ ciendi, a Comite veniam petunt. „

Petrus Courcier, *in Chronol. Marian. ad ann.* 1280. = 1280.
„ Ad hunc annum referunt *fundationem Collegii Pariſienſis*, di- Collegium.
„ cti de Harcuria, quod Rodulphus de Harcuria, Canonicus
„ Pariſienſis, fundavit *ſub titulo Conceptionis* Immaculatæ B. V.
„ Sic Jacobus Breuilius *lib.* 2. *Antiq. Pariſ.*, & Vincentius
„ Charron, *in Calend.* 8. *Decembris*. „

Marcus Antonius Guarinus, *de Orig. Eccleſ. Ferrarienſ.*
lib. 3. *pag.* 274. = „ Alcuni Uuomini divoti, diedero principio
„ con fervore *ad una Confraternita, ed Oratorio ad onore del-* 1281.
„ *la SS. Concezzione* della B. V., vicino alla Chieſa di S. Fran- Cappella, & Confraternitas.
„ ceſco, con autorità di Guilielmo, Veſcovo di Ferrara; come
„ quì ſotto ſi legge, eſtratto in parte da alcuni Cataſti della det-
„ ta Confraternita; il tutto anche autenticando Guido, e Tom-
„ maſo, noſtri Veſcovi; Ibi = Initium ſumpſit anno 1281., hoc
„ enim probatur ex Verbis enunciativis, quæ habentur in publi-
„ co Diplomate Guidi, Epiſcopi Ferrarienſis, emanato die 6.

„ menſis martii 1335., quod Confratribus Societatis conceſſit ex „ Rogito Joannis de Viſconti. Hoc etiam demonſtrant Litteræ „ Thomæ, Epiſcopi Ferrarienſis per indulgentiam, Superioribus „ conceſſam ſub die 4. menſis Octobris 1392., rogato Nicolao „ Vicentia.„

Eminentiſſimus Albitius in Voto, Sanct. Mem. Alexandro VII. pro expeditione Conſtitutionis: *Sollicitudo:* dato, ſic habet: „ Memini me legiſſe in Repertorio Bartholomæi, Epiſcopi
Item. „ Brixienſis, doctiſſimi, & celeberrimi Canonum Doctoris, in „ verbo *Feſtum*; quod *Eccleſia Romana* facit ſolemne Feſtum in „ die Conceptionis B. Virginis; & quod ipſe in tali die celebravit ſolemniter in Cappella Summi Pontificis, in præſentia „ ejus, & Cardinalium, & aliorum Prælatorum; Qui Epiſcopus „ vixit ab anno 1227. ad annum 1287. „ *In Codice Ghiſiano* 120. *fol* 130; & idem ſcripſerat anno 1493. Bernardinus de Buſtis in ſuo Mariali, *Serm.* 3. *de Concept. part.* 3.

Gallia Chriſtiana, *tom.* 4. *col.* 405.: Inſtrumentum quod-
1283. dam, a Roberto Burgundiæ Duce peractum, ſic terminatur = „ Actum apud Eduam in Domo Epiſcopali, die Mercurii, in „ Feſto Conceptionis B. M. V., anno 1283.„

Ibidem, *tom.* 2. *col.* 1089. = de Hugone Vigerio, Santo-
1287. nenſi Decano:„ 1287. dedit Capitulo decem libras annui redditus, ut celebraretur Feſtum Conceptionis B. M. „

Synodus Exonienſis, finita 16. Kal. Maii 1287., *Cap.* 23.
Item. = „ Qualia Feſta debent indici, & obſervari: Ut Feſtorum celebrandorum inter omnes ſubditos noſtros eadem obſervantia „ habeatur, Feſta ſolemniter celebranda cum Clero, & Populo, præſenti Synodo duximus inferenda ... Menſe Decembris: „ Conceptio B. M. „ = *Apud Labbe tom.* 14. *col.* 1019.

1288. Gallia Chriſtiana, *tom.* 7. *col.* 117. = „ Anno 1288. obiit „ Ranulphus, Pariſienſis Epiſcopus, qui trecentas Libras Pariſienſes ſuo Capitulo dederat ad emendos redditus pro Feſto „ Conceptionis B. M. V. celebrando.„

Statuta Synodalia, edita juſſu Raimundi de Calomonte, E-
1289. piſcopi Ruthenen, anno 1289., *cap.* 31. = „ Feſta colenda ... „ Conceptio B. M.„= Martenne *tom.* 4. *Anecdot. col.* 765. *edit. Pariſ.* 1717.

Bollandiſtæ ad diem 10. Januarii, duas Vitas B. Oringæ, ſeu Chriſtianæ, anno 1310. vita functæ referunt, in quarum prima narratur viſio quædam, in extaſi a dicta Beata habita, in qua Chriſtum Dominum, ſic ſibi loquentem vidit, & audivit. „ Miraris, „ Chriſtiana, honorem, qui ab Angelis hodie Matri meæ glo-
„ rio-

„ rioſæ exhibetur, &, qua induta eſt, veſtem. Sed ſcito, hodie
„ agi in Cœlo celebritatem Immaculatæ Conceptionis ejus, quæ 1300.
„ me deinde concepit, ac peperit Deum, ac hominem. Veſti-
„ menti ejus candor, prærogativa eſt ſingularis innocentiæ. „ =
Propter hanc viſionem voluit Chriſtiana, Monaſterio, quod de-
inde erexit, nomen eſſe Sanctæ Mariæ Novellæ; ſtatuitque, ut
in eodem ſalva Sacræ Sedis Apoſtolicæ, Summique Pontificis au-
ctoritate, & reverentia, quot annis Sacræ Conceptionis Solemni-
tas celebraretur. = Hæc Vita, ex MS. Italice edita fuit a Sil-
vano Razzi Camaldulenſi. Adeſt alia a Cornelio Curtio Augu-
ſtiniano vulgata; & licet in multis diſcrepent dictæ duæ Vitæ,
prout obſervant Bollandiſtæ; hanc tamen Viſionem eodem fere
modo referunt, ut videri poteſt in iſta ſecunda Vita *num.* 19.

Gallia Chriſtiana, *tom.* 4. *col.* 915. de Roberto a Deſiria,
Cabilonenſi Epiſcopo. „ Anno 1306. feria ſexta poſt Feſtum Con- 1306.
„ ceptionis B. M. pro Prædiis, in Tornodorenſi comitatu ſitis,
„ hominium Pariſiis accipit ab N. de Mellot. „

Statuta Synodalia Eccleſiæ Cameracen. 1310., *tit. de Fe-* 1310.
riis = „ Statuimus, & omnibus Subditis noſtris Eccleſiaſticis in
„ virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, injungentes, ut, cum
„ apud eam exuberare debeat devotio Fidelium, quæ noſtra eſt
„ apud Deum mediatrix, & impetratrix promptiſſima gratiarum,
„ Feſtum Conceptionis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, 8. die men-
„ ſis Decembris, cum Matutinis, & Miſſa, cæteriſque divinis
„ obſequiis devote celebrent; & præcipimus, dictum Feſtum,
„ tamquam feſtivum, & ſolemne, ſub pœna excommunicationis,
„ reverenter obſervari ab omnibus Chriſtianis. „ *Apud Martenne
tom.* 7. *veter. Script.*, *& Monum. col.* 1341.

Liber vetuſtus Eccleſiæ S. Donati Lucæ in charta perga-
mena, *apud Franciſcum Mariam Florentinium, in Martyrolo-
gio ad diem octavam Decembris* = „ Altare Conceptionis con- 1312.
„ ſecratum fuit anno 1312., die 13. Julii, per R. D. Petrum, Altare.
„ Ordinis Minorum. „

Bonaventura Theulio, Archiepiſcopus Myren, *in Decachor-
do pag.* 114. = „ In Civitate Piſtorii, anno 1313. pro bellorum
„ periculis, & anno 1527. pro peſte, a qua, Virginis Sanctiſſi- 1313.
„ mæ, ſub titulo, & devotione Conceptionis, pietate, liberata
„ fuit, Cives communiter emiſerunt Votum de Feſti die celebran-
„ do, Miſſa ſolemniter canenda, Conceptionis puriſſimæ con-
„ cione habenda, ac de publica, ac feſtiva proceſſione, cum
„ omnium Sæcularium, & Regularium, ac cujuslibet Magiſtratus
„ acceſſu facienda, in tantæ Protectricis obſequium. Quorum
„ omnium

„ omnium memoria aſſervatur inter Libros Eccleſiæ S. Jacobi
„ Apoſtoli, & in publica Civitatis Cancellaria.„

1314. Statuta Synodalia Eccleſiæ Aurelianenſis 1314. = „ Sequun-
„ tur hic Feſta, quæ licet non ſint per totam Diœceſim a Cle-
„ ro, & Populo communiter feſtivata; in quibus tamen, ob Dei,
„ & ipſorum Sanctorum reverentiam, in foro Eccleſiaſtico mini-
„ me litigatur ..... Feſtum Conceptionis B. M., quod eſt die
„ 8. Decembris. *Marten. ibid. col.* 1287.

Gallia Chriſtiana, *tom.* 3. *col.* 1472. = De Milone, Aure-
lianenſi Epiſcopo = „ Conceptionis B. M. V. Feſtum, de aſſenſu
1317. „ Capituli, deinceps celebrandum ordinavit anno 1317., ut fe-
„ runt Schedæ Cathedralis.„

1320. Petrus Thomæ, Ordinis Minorum, qui florebat anno 1320.,
Tract. de Concept. lib. 1. *cap.* 4., ait = „ Præterea Gloſſator,
„ *ſup. illo cap. diſt.* 3. *de Conſecr.* dicit ſic: *De Feſto Conce-*
„ *ptionis nihil hic dicitur, quia celebrandum non eſt:* Sed Ma-
„ giſter iſte multum de ſe præſumit, præferendo opinionem ſuam
„ tot, & tantarum Eccleſiarum auctoritati .... Gloſſa illa per
„ Eccleſiarum conſuetudinem eſt abrogata.„

Engelbertus Abbas, Ordinis S. Benedicti, qui floruit anno
1321. *tract. de grat. & virt. B. V. part.* 4. *cap.* 3. = „ Cum
1321. „ Conceptionem Beatæ Virginis non feſtivet Eccleſia niſi ratione
„ Sanctificationis ipſius Virginis per gratiam; conſequens eſt,
„ quod Eccleſia non feſtivat Conceptionem ſeminalem materiæ....
„ Sed illa Conceptio, quam feſtivat Eccleſia, erit potius Conce-
„ ptio Animæ, & gratiæ; quia Sanctificatio non fit niſi per in-
„ fuſionem gratiæ, quæ præexigit infuſionem Animæ; ita quod
„ infuſio gratiæ ſimul tempore fiat cum infuſione Animæ. „ Et
cap. 6. = „ Sanctificatio per gratiam ſimul facta fuit tempore
„ cum infuſione Animæ, & vivificatione Conceptus.„

Joannes Urſinus, Archiepiſcopus Panormitanus, una cum
duobus aliis Archiepiſcopis, & novem Epiſcopis, communi con-
1323. ſilio ſequens ediderunt Diploma anno 1323. = „ Omnibus vere
Indulgentia, & Octava. „ pœnitentibus, & confeſſis, qui ad Altare Beatæ Catharinæ
„ Virginis, & Martyris, in majori Panormitana Eccleſia fabri-
„ catum, in Feſtivitatibus Aſſumptionis, Annunciationis, Nati-
„ vitatis, *Conceptionis*, & Purificationis Virginis .... & per Octa-
„ vas earumdem Feſtivitatum &c. Dat. Avenione 13. die menſis
„ Aprilis, anno Domini 1323. „ = *P. Plazza pag.* 259., qui illud
tranſcripſit ex Autographo, quod in Eccleſiæ Panormitanæ Tabu-
lario aſſervatur.

Gal-

Gallia Chriſtiana, *tom.* 8. *col.* 1473., de Beato Rogerio, 1324.
Aurelianenſi Epiſcopo = „ Feſtum Conceptionis B. Virginis an-
„ nuale inſignivit eodem anno, 1324., Luminari Feſtorum ſimi-
„ lium. „

Concilium Londinenſe anni 1328. = „ Venerabilis Anſel- 1328.
„ mi Prædeceſſoris noſtri; (anno 1093. electus fuerat Archiepi- Fit mentio
ſcopus) „ qui poſt alia quædam ipſius antiquiora Solemnia, Con- S. Anſelmi.
„ ceptionis Solemne ſuperaddere dignum duxit, veſtigiis inhæren-
„ tes; Statuimus, & firmiter præcipiendo mandamus, quatenus
„ Feſtum Conceptionis prædictæ, in cunctis Eccleſiis noſtræ Can-
„ tuarienſis Provinciæ, feſtive, & ſolemniter de cætero celebre-
„ tur. „ *Apud Martenne de antiq. Eccleſ. Rit. tom.* 3. *lib.* 4.
cap. 31.

Joannes Bacconius, Anglus, Ordinis Carmelitarum, qui eo-
dem tempore florebat, *in* 4. *Sentent. diſt.* 2. *qu.* 4. *art.* 3. = Eodem tempore.
„ Publica, & diuturna conſuetudine celebratum eſt hoc Feſtum
„ in Curia Romana. „ *Et lib.* 3. *quodlib. qu.* 14. *part.* 2. aſ-
ſerit, Epiſtolam Sancti Anſelmi *haberi in multis locis in An-* Epiſtola S. Anſelmi.
glia, & *Francia*; & *Pariſiis a ſe inventam in Abbatia Sancti
Victoris*.

Ex Synodalibus Eccleſiæ Rhemenſis 1329. = „ Feſta Dei & 1329.
„ Sanctorum, quæ per anni circulum occurrunt, in noſtra Rhe-
„ menſi Diœceſi præcipimus obſervari modo, qui ſequitur....
„ Conceptionis B. M..... ab omnibus operibus ruralibus tam Ho-
„ minum, quam Equorum reverenter obſerventur, & præcipian-
„ tur obſervari. „ *Apud Bochel., loco citato, cap.* 12. *pag.* 577.

Gallia Chriſtiana, *tom.* 11. *col.* 418. = „ Aimericus, una cum Item.
„ Epiſcopis Lemovicenſi, & Encoliſmenſi, a Joanne Summo Pon-
„ tifice delegatus eſt *Sabbato poſt* Conceptionem 1329., ad exa-
„ minandam Sanctitatem, & Vitam Ivonis. „

Hic tamen notandum eſt, deceptos fuiſſe eruditiſſimos Pa-
tres Benedictinos. Habemus enim apud Bollandiſtas, *tom.* 4.
Maii, pag. 542. *edit. Antuerp.* 1685. Inſtrumentum, datum *die
Sabbati poſt Feſtum Conceptionis B. M. V. anno Domini* 1329.,
quo a Capitulo Trecorenſi Epiſcopus inſtituitur, & nominatur
Procurator, ad promovendum in Curia Romana, & alibi, nego-
tium Canonizationis B. Ivonis. Cumque in principio Proceſſus
confecti ſuper Sanctitate dicti Beati, inſerta reperiatur Joannis
XXII. Bulla Delegationis, de qua loquuntur Benedictini; & ſuc-
ceſſive, ac immediate Inſtrumentum iſtud Capituli Trecorenſis;
putaverunt, iſta ultima verba: *Dat. die Sabbati poſt Feſtum Con-
ceptionis:* pertinere ad Bullam, cum tamen ad Inſtrumentum
dum-

dumtaxat ſpectent, ut videri poteſt apud eoſdem Bollandiſtas, qui loco citato, per extenſum referunt tam Bullam, quam Inſtrumentum.

1334. Statuta Synodalia Eccleſiæ Sueſſionenſis anni 1334. = „ Feſta autem Conceptionis, & B. Nicaſii ſervantur, ſed non a carrucis. „ *Apud Marten. collect. veter. Script. tom. 8. col. 1555.*

Item. Gallia Chriſtiana, *tom.* 10 *col.* 1425., de Epiſcopo Silvaneſt. = „ Obiit Petrus die Dominica ante Feſtum omnium Sanctorum 1334. Petita a Philippo Rege licentia, ad electionem

Octava. præfixerunt diem Jovis *in Octavis Conceptionis* B. M. „ Et *in. Appendic. col.* 486. Primum Inſtrumentum 1334. = „ In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Noverint univerſi...... quod, Nos.... diem Jovis *in Octavis Conceptionis* B. M. V. glorioſæ, ad electionem futuri Paſtoris in noſtro Capitulo celebrandam &c. „

Ibidem, *tom.* 4. *col.* 621., De Guidone, Lingonenſi Epiſco-

1337. po, anno 1337. e vivis ſublato = „ Dedit adhuc decem libras Turonenſes, quæ diſtribuendæ ſunt annuatim in Proceſſionibus Veſpertinis Feſtorum ſolemnium B. M. V., quæ ſunt: Aſſumptio: Nativitas: *Conceptio*: Purificatio: Annunciatio. „

Item. Ibidem, *tom.* 1. *col.* 26., de Bernardo de Carniero, Epiſco-

Monaſterium. po Albienſi: „ Erexit Monaſterium Conceptionis B. M. in Urbe, ubi nunc Sorores, de Annunciata vulgo dictæ; ac deſiit eſſe in vivis eodem anno 1337. „

Antonius Mongitorius, *in Panormo Deip. devoto, tom.* 1.

1339. *cap.* 7. *pag.* 60 = „ Sin dal 1339. fu fondata in Palermo la Chie-

Eccleſia. ſa di Santa Maria la Nuova, come ſi ha dalla licenza, conceſſa dal Vicario generale dell'Arciveſcovo Teobaldo; e fu eſſa dal ſuo principio conſagrata alla Concezzione puriſſima della Vergine, come ne fa piena fede D. Franceſco Baronio, *de Majeſt. Panorm. lib.* 1. *fol.* 56. „

Thomas de Argentina, electus Generalis Auguſtinianorum

Eodem circiter tempore. anno 1345., *in* 3. *Sent. diſt.* 3. *qu.* 1. *art.* 1., ait: „ Sancta Romana Eccleſia Feſtum Conceptionis Virginis glorioſæ ſolet ſolemniter celebrare. „

Joannes Thaulerus, Ordinis Prædicatorum, qui floruit an-

1350. no 1350., *lib. de* 10 *Cæcit. Cæc.* 4 *cap.* 11. *pag.* 717. = „ Sancta Romana, eademque Catholica Eccleſia Feſtum Conceptionis B. M. V. ſolemniter celebrandum, colendumque aſſumpſit. Neque id ageret ullo modo, niſi Conceptionem tantæ Virginis, & Matris Dei, omnis fuiſſe contagionis expertem, imo & Sanctam, pro certo, exploratoque haberet. „

Joan-

Joannes d'Ildeſeim, *de princip. Ordin. Carmel. cap.* 14. = Item.
„ A multis temporibus conſueverunt in Romana Curia viſitare
„ Conventum noſtrum in Feſto Conceptionis glorioſæ Virginis. „
Scripſit anno circiter 1350.

Jacobus du Breuil, Ordinis S. Benedicti, *in tract. Antiq.* Item.
Pariſien. lib. 2. *pag.* 119. „ In Eccleſia S. Severini eſt Confra- Confraternitas.
„ ternitas ſub titulo Conceptionis SS. Dominæ Adventus, quæ
„ anno 1350. fuit inſtituta, ut apparet ex antiquo Congregatio-
„ nis Regeſto. „

Gallia Chriſtiana, *tom.* 8. *col.* 1636., De Philippo, Melden- 1356.
ſi Epiſcopo. = „ Fundatum a Joanne Roſe, Cive Meldenſi, hoſpi-
„ tale probavit, & ordinavit die Veneris poſt Conceptionem B.
„ M. 1356. „

Ibidem, *tom.* 8. *Inſtrum. Eccleſ. Carnot.* Epiſtola Abbatis
B. M. de Joſaphat ad Innocentium VI. ſic concluditur: „ Datum
„ & actum in Capitulo veſtri Monaſterii de Joſaphat, Sanctiſſimi 1361.
„ veſtri Pontificatus anno nono, in Feſto Conceptionis Virginis
„ glorioſæ. „

Martenne, *de ant. Eccleſ. Rit. tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 31. *n.*
81., loquens de Octava Conceptionis, ait: „ Longe ante Sixtum 1364.
„ IV. illam jam celebrabat Eccleſia Argentina, in cujus Ordi- Octava.
„ nario, anno 1364. compacto, præſcripta reperitur. „

Concilium Vaurenſe in Gallia, anno 1368., Indulgentias con- 1368.
ceſſit pro diebus Nativitatis Domini, Aſſumptionis, *Conceptionis*, Indulgen-
& Præſentationis Beatæ, & glorioſæ V. M. *Apud Labbe tom.* 15 tiæ.
col. 907.

Gallia Chriſtiana, *tom.* 2. *Inſtrum. col.* 444. Inſtrumentum
Capituli Eccleſiæ Collegiatæ S. Evodii Anicienſis ſic concluditur: 1370.
„ Datum Anicii in noſtro Capitulo, die Lunæ poſt Feſtum Con-
„ ceptionis B. M. an. Domini 1370. „

Donatus Calvi, Auguſtinianus, *in Ephemerid. Bergom. ad*
diem 6. Decembris. „ L'anno 1374., nel luogo detto il Zucca- 1374.
„ rello, in poca diſtanza da Nembro, Bernardo Vitalba, allora
„ Signore del Luogo, dalla divozione, che alla Concezzione Im-
„ maculata di Maria ſempre Vergine profeſſava, quì diſpoſe un'
„ Oratorio, o piccola Chieſa, ad onore della Regina de'Cieli,
„ e ſua Concezzione edificare. Ex Inſtrumento &c. „

Ægidius Bellemer, *in cap. Conqueſt. de Feriis*, anno 1385. 1385.
„ Scias, quod ego ipſe Feſtum hujuſmodi ſolemnizo; & vidi apud
„ Apoſtolicam Sedem per Cardinales, Prælatos, & alios, ac per
„ omnes Eccleſias, etiam Mendicantium, præterquam Fratrum
„ Prædicatorum, ſciente, ac permittente Romano Pontifice, ce-

Digitized by Google

„ lebrari; & intelligo, quod per totam Chriſtianitatem celebra-
„ tur. „

1393. Capitulum generale Carmelitarum Francofurtenſe anni 1393.
„ Item pro Feſto Conceptionis B. M., pro ſex annis in prandio
„ Prælato, qui facit Sermonem, & pro illo, qui celebrat Miſſam;
„ & pro potu Famulorum DD. Cardinalium, dando quinque Flo-
„ renos in anno, aſcendit Summa ad florenos triginta. „

Antonius Balinghem, *in Calend. Marian. ad diem* 8. *Decembris num.* 10. = „ Romæ, S. Mariæ Templum, quod a Cry-
1395. Altare, & Eccleſia. „ pta picta dicitur, in Campo Floræ ad Theatrum Pompeii, di-
„ catum eſt Conceptioni, idque ante trecentos circiter annos.
„ Cum enim Summum Altare cum Templo pervetuſto diruen-
„ dum eſſet, ac reſtituendum, in Pergameno verba iſta ſunt in-
„ venta: Anno 1395., indict. 2., die vero Martis 8 Decembris,
„ tempore Bonifacii IX. conſecratum, anno ſuo ſexto, hoc Al-
„ tare cum Eccleſia in honorem Conceptionis B. M. V. „

Henricus Spelmannus, *tom.* 2. *Concil. Angliæ*, *pag.* 659.,
1400. ad annum 1400. = „ Hæc ſunt Feſta, ab omnibus operibus te-
„ nenda per Conſtitutionem Richardi Arundel, Cantuarienſis Ar-
„ chiepiſcopi... Menſis Decembris: Conceptio B. M. „

Nicolaus Rodulphi, primus Obſervantium Vicarius Genera-
1416. lis Congregationem generalem, anno 1416., Bercorii celebravit,
ubi inter alia ſtatutum fuit: „ Item Veſperæ, in Vigilia Conce-
„ ptionis B. M. V., integraliter dicantur de B. Virgine, ſine com-
„ memoratione B. Ambroſii. „ *P. Gubern. Orb. Seraph. tom.* 3.
pag. 18.

Gallia Chriſtiana, *tom.* 4. *col.* 952. = „ Hugo III., Cabilo-
1420. „ nen. Decanus, circa 1420., pro Feſto Conceptionis dedit 60.
„ libras Turonenſes. „

In authentico Mſſ. Codice Tabularii Senatus Panormitani,
1425. *num.* 103. *quart. indict. an.* 1425., adeſt Statutum de obſerva-
tione Feſtivitatum, in quo legitur: „ Item l'antiqui Feſtivitati di
„ la Beatiſſima Virgini Maria, videlicet la ſua *Conceptioni*, la ſua
„ Nativitati &c. „ *Mongitor*, *Palermo divoto di Maria tom.* 1.
pag. 61., & *P. Plazza*, *pag.* 262.

1437. Statuta Synodalia Radulphi, Epiſcopi Trecorenſis, an. 1437.
edita, *Cap.* 2. = „ Antiqua Statuta Eccleſiæ noſtræ renovando,
„ ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes Subditi noſtri, tam Cle-
„ rici, quam Laici, colant, & venerent Feſta, inferius deſcri-
„ benda.... Conceptionis B. M. V. = *Martenne Anecdot. tom.* 4.
col. 1135.

Cæſar

Digitized by Google

Cæſar Raſponus, *de Baſilica Lateran. lib. 3. cap. 12.* = „ Reperi in Eccleſiæ Monumentis, in Sacello S. Joannis Evan- „ geliſtæ, ſuperioribus ſæculis extitiſſe Altare, Immaculatæ Con- „ ceptioni B. M. V. dicatum, quod variis circum ad pietatem „ compoſitis ſententiis in Deiparæ honorem decorabatur; atque „ ad ſuperiorem partem Altaris, ſic erat inſcriptum: *Gyrum Cæ-* „ *li circuivi ſola, & in profundum Abyſſi penetravi, & in omni* „ *populo, & in omni gente primatum tenui.* A latere dextro: „ *Immaculatam Conceptionem V. M. celebremus.* Ad ſiniſtrum „ latus. *Chriſtum ejus filium adoremus Dominum.* Inferius ve- „ ro: *Hæc eſt Virgo, in qua nec nodus, nec cortex venialis* „ *culpæ fuit.* Quæ omnia antiquis characteribus expreſſa fuiſſe „ teſtatur manuſcriptus Codex, & forſan ab uſque Hilari San- „ ctiſſimi Pontificis tempore exarata. „ *Et lib. 1. cap. 14, De Altaribus, & Sacellis minoris navis verſus meridiem.* „ Pone „ ſequebatur parieti adfixa Ara familiæ Inghiramiorum, Immacu- „ latæ Virgini Conceptæ dicata. „

Abſque anni deſignatione.

Omnibus autem in præſenti numero conglomeratis adjungi poſſunt ſexdecim Martyrologia antiqua, Uſuardi videlicet Martyrologii Auctaria, a Bollandiſtis *tom. 6. part. 2. menſis Junii pag.* 729. *Edit. Venet.* 1746. relata, in quibus omnibus ad diem 8. Decembris legitur: *Feſtum Conceptionis B. M. V.*

Num. 3. = *Decretum Baſileenſe, anno* 1439. *favore Immaculatæ Conceptionis editum.*

ELucidantibus divinæ gratiæ Myſteria, mercedem glorioſam repromiſit æterna Dei Patris Sapientia, dum ait: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* (Eccleſ. 24 31.) Quod etiam de glorioſa Virgine, quæ ipſam Patris Sapientiam, Dei Filium æternum in utero pertulit, Sacroſancta legit Eccleſia. Nam quidquid de dignitate, & ſublimitate Virginis Matris educitur in lucem; hoc, non dubium eſt, ad laudem, & honorem Filii pertinere; Et qui honorificant gratiam, & Sanctitatem Matris; honorificant, & elucidant glorioſum nomen Filii ejus, qui ipſam Sanctificavit, & replevit gratia. Unde ſi in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ a Domino Deo eſt, præclara merita parturit; in ea re ſpecialiter fructus uberrimos afferre ſperanda eſt, quæ Sanctificationem, & dedicationem Templi illius concernit, in quo ante Sæcula, antequam terra fieret, & ab æterno ſibi manſionem ordinavit prima, & æterna Veritas. Id quoque ma-

xime congruit, ut pax habeatur in quæſtionibus, concernentibus Sanctitatem illius, per quam pax diffuſa eſt in terris. Hactenus vero perdifficilis quæſtio in diverſis Partibus, & coram hac Sacra Synodo ſuper Conceptione ipſius glorioſæ Virginis Mariæ, Matris Dei, & exordio Sanctificationis ejus, facta eſt, quibuſdam dicentibus, ipſam Virginem, & ejus Animam per aliquod tempus, aut inſtans temporis ſubjacuiſſe actualiter Originali culpæ; aliis autem e converſo dicentibus, a principio creationis ſuæ, Deum, ipſam diligendo, gratiam eidem contuliſſe, per quam a macula Originali illam beatiſſimam perſonam liberans, & præſervans, ſublimiori Sanctificationis genere redemit, *cum fundaret eam* Altiſſimus ipſe, & *ipſam fabricaret* Filius Dei Patris, ut eſſet Mater ejus in terris.

Nos vero, diligenter inſpectis auctoritatibus, & rationibus, quæ jam a pluribus annis in publicis relationibus, ex parte utriuſque doctrinæ, coram hac Sacra Synodo allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & matura conſideratione penſatis; Doctrinam illam diſſerentem, glorioſam Virginem, Dei Genitricem Mariam, præveniente, & operante Divini Numinis gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubiacuiſſe Originali Peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni Originali, & Actuali culpa, Sanctamque, & Immaculatam; tamquam piam, & conſonam Cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definimus, & declaramus, nullique de cætero licitum eſſe, in contrarium prædicare, ſeu docere. Renovantes præterea inſtitutionem *de celebranda Sancta ejus Conceptione*, quæ tam per Romanam, quam per alias Eccleſias, ſexto idus Decembris, antiqua, & laudabili conſuetudine celebratur; ſtatuimus, & ordinamus, eamdem celebritatem, præfata die, in omnibus Eccleſiis, Monaſteriis, & Conventibus Chriſtianæ Religionis, *ſub nomine Conceptionis*, feſtivis laudibus colendam eſſe; cunctiſque Fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ea die, Miſſarum ſolemniis, centum: Primis autem, vel ſecundis Veſperis, totidem: Sermoni vero Verbi Divini de ea Feſtivitate intereſſentibus, centum quinquaginta dies, conceſſione perpetuis temporibus duratura, de iniunctis ſibi pœnitentiis hæc Sancta Synodus largitur.

Num.

Num. 4. = *Statutum Academiæ Pariſienſis anno* 1497. *publicatum*, & *anno* 1736. *renovatum*.

CUM multas Majores noſtri, fortiſſimi, ac ſtrenuiſſimi Catholicæ Fidei milites, naſcentes variis temporibus hæreſes, nullis unquam laboribus, nullis periculis deterriti, ſacris ſuis diſputationibus oppreſſerint; in illos tamen errores, qui Immaculatæ, & glorioſiſſimæ Dei Genitricis, perpetuæque Virginis Mariæ laudem, & dignitatem violare viſi ſunt, peculiari quodam ſancto, perfectoque odio vehementius inſurgendum, acriuſque ſibi pugnandum ſemper judicarunt. Quandoquidem eam contumeliam ad Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, & utrumque Parentem piiſſimum maxime pertinere arbitrabantur. Quod enim Eccleſiaſticus, 3. *cap.*, de Patre ſcribit; de Matre quoque veriſſimum eſt, ac de utroque Parente interpretandum: *Non glorieris*, inquit, *in contumelia Patris tui*; *Non eſt enim tibi gloria*, *ejus confuſio*; *Gloria enim hominis*, *ex honore Patris ſui*, & *dedecus Filii*, *Pater ſine honore*.

Cum itaque, proximo Sæculo, quæſtio de puritate Conceptionis feliciſſimæ Dei, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti Genitricis Mariæ, ſolito frequentius agitari cœpiſſet, Spiritu Sancto ſcilicet ejus rei veritatem aliquando propalari volente; diligentius utriuſque Partis libratis rationibus, primum pro tempore ſuum prudentiſſime ſuſpenderunt judicium. Demum in eam partem inclinatiores, quæ Virginis gloriæ, & puritati adſtipulari videbatur, ita eorum vaniſſimam temeritatem diſputando confutaverunt, qui citra efficacem probationem, Virginem in Originali peccato fuiſſe conceptam, obſtinate contendebant, ut contrariam quæſtionis partem, quæ Virginem, dum conciperetur, ſpeciali Dei munere, ab Originali macula fuiſſe immunem affirmat, & pietati, fidei, & rectæ rationi, & Scripturis Divinis valde quadrantem decernerent.

Quæ ſententia paucos poſt annos in Sacro Baſileenſi plenario Concilio, poſt longam ejus quæſtionis diſputationem, graviſſimamque deliberationem, Spiritu Sancto inſpirante placuit, ut eam tandem doctrinam quæ BB. Dei Genitricem Mariam, cum conciperetur, ab omni prorſus Peccati Originalis labe, ſpeciali, ſingularique Dei gratia fuiſſe liberam aſſeruerit, & docuerit; tamquam piam, Eccleſiaſtico Cultui, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ Sacræ conſonam, ab omnibus Catholicis appro-

probandam, amplectendam, & tenendam definierit; contrariamque aſſertionem deinceps doceri, defendique, ſub interminatione divini judicii vetuerit. Quod Sanctum Synodi Decretum, cum omnium Eccleſiarum, tum etiam totius Populi Chriſtiani judicio, conſenſu, ac religione comprobatum, confirmatumque videamus; non poſſumus quorumdam vanam ſuperbiam, temerariam, inſanamque obſtinationem non admirari, non indigne, moleſteque ferre, qui, hoc noſtro adhuc tempore, ejuſmodi piam, & religioſam doctrinam, univerſalis Synodi, & Eccleſiæ (quæ, juxta Chriſti promiſſionem, errare non poteſt) judicio, auctoritateque probatam; aut oppugnare, aut in dubitationem revocare non verentur; implacabile, impiiſſimumque bellum adverſus piiſſimæ Dei Genitricis eximiam dignitatem gerentes. Quorum furori ut alacrius, fortiuſque occurramus, atque reſiſtamus, pro noſtra profeſſione, ordine, & gradu, Majorum noſtrorum veſtigia ſequentes, univerſi tertio congregati, poſt multam, gravem, & maturam deliberationem; in ejus piiſſimæ doctrinæ, quæ benedictiſſimam Dei Matrem ab Originali Peccato, Dei ſingulari dono fuiſſe præſervatam affirmat, quamque jampridem veram credidimus, & credimus, defenſionem, ac propugnationem ſpeciali Sacramento conjuravimus, Noſque devovimus. Statuentes, ut nemo deinceps Sacro huic noſtro Collegio adſcribatur, niſi ſe hujus religioſæ doctrinæ aſſertorem, ſtrenuumque propugnatorem ſemper pro viribus futurum, ſimili juramento profiteatur. Quod ſi quis ex noſtris (quod abſit) ad hoſtes Virginis transfuga, contrariæ aſſertionis (quam falſam, impiam, erroneam judicamus) ſpreta, non noſtra tantum, ſed Synodi, & Eccleſiæ, quæ procul dubio ſumma eſt, Auctoritate, patrocinium quacumque ratione ſuſcipere auſus fuerit; hunc honoribus noſtris omnibus privatum, atque exauctoratum, a Nobis, & conſortio noſtro, velut ethnicum, & publicanum procul abigendum decernimus.

Vos ergo appellamus, & convenimus, R. Pontifices, Eccleſiarum Chriſti Patres, Paſtores, & Duces; nobiſcum Virginem SS. Dei Matrem, & omni laude digniſſimam, ab Originali Peccato, Dei ſingulari dono, fuiſſe præſervatam credite, prædicate, prædicanteſque, veſtra benedictione, opibuſque juvate; & per Jeſu Chriſti miſericordiæ viſcera, ejuſque Matris intemeratæ Virginis charitatem obteſtamur, ita pro veſtro Officio, & divina auctoritate, noſtris, imo potius Divæ Mariæ hoſtibus fortiter reſiſtite, veſtris eos finibus abiicite, & mulctatos expellite, ut religioſa Populi Chriſtiani in glorioſiſſimam Dei Genitricem, unam humani generis ſpem, patronam, & Matrem devotio, pietas, & chari-

charitas in dies magis, ac magis foveatur, augeatur, accendatur. Rem procul dubio, pientiſſimo ejus Filio Domino noſtro, & Redemptori Jeſu Chriſto facturi gratiſſimam, atque jucundiſſimam. Datum Pariſiis apud S. Mathurinum, pro prima Congregatione, 3. die menſis Martii 1496, pro ſecunda Congregatione, die 6. ejuſdem menſis; & pro tertia Congregatione apud Auguſtinienſes in loco capitulari, die Jovis, 9. ejuſdem menſis Martii, poſt Miſſam de Conceptione, per juramentum celebrata; publicatumque die 23. menſis Auguſti anno 1497. apud S. Mathurinum; in Congregatione per juramentum ſuper hoc ſpecialiter facta; ac diſputatione Sorbonica ejuſdem menſis die 26., aſſiſtentibus Domino Rectore Univerſitatis Pariſienſis, R. in Chriſto Patre Archiepiſcopo Bituricenſi, Epiſcopis ſeptem cum pluribus Abbatibus, Conſiliariis Regiis, & quampluribus Doctoribus tam in Decretis, quam in Medicina, cum Domino Decano, & Magiſtris ejuſdem Facultatis ſuper hoc deputatis, & Baccalaureis, cum maxima multitudine Studentium, de mandato ejuſdem Decani per me Henricum Bertrandi Presbyterum, in Artibus Magiſtrum, Notarium publicum, & ejuſdem Facultatis principalem Bidellum, lectum, & pronunciatum. Juraveruntque tam in præcedentibus, quam in aliis Congregationibus ejuſdem Facultatis, centum & duodecim Doctores ejuſdem Facultatis, ſtantes in dictis Determinatione, & Statuto. Signatum. H. Bertrandi.

Num. 5. = *Elenchus eorum qui aſſerunt, Baſileenſe Decretum, favore Immaculatæ Conceptionis emanatum, vel a Sancta Sede approbatum fuiſſe, vel ab Eccleſia receptum, & confirmatum, vel ubique terrarum executioni mandatum.*

Cardinalis Bellarminus, *in Voto, Congregationi S. Officii exhibito coram Paulo V., die* 31. *Auguſti* 1617.

Antonius Calderon, Theologus Salmanticenſis, Epiſcopus Corduben. *lib pro tit. Immac. Concept. cap.* 5. §. 31. *num.* 230.

Antonius Bonitus de Cucharo, Epiſc. Acernen. *in Elucid. Virg.*

Landulphus, Archiepiſc. Amalfen. *in* 3. *Sent. diſt.* 3., relatus ab Antonio de Cucharo.

Ambroſius Catharinus, Epiſc. Minorien. *diſp. pro Immac. Concept. ad Concil. Trident. pag.* 65.

Docto-

Digitized by Google

Doctores, & Theologi Sæculares.

Michael de Palacio, Theologus Salmanticen. *in* 3. *ſent. diſp.* 1. ſuper quæſtione hac: *Satis ſit nobis, Decretum Baſileenſe probatum eſſe a Sede Apoſtolica, & a Concilio Tridentino.*

Edmundus Richerius, Doctor, ac Socius Sorbonicus *Hiſtor. Concil. gener. lib.* 2. *cap.* 5.

Gabriel Biel *in* 3. *ſent. diſt.* 3. *qu.* 1., *in expoſit. Can. Miſſæ, Lect.* 41., *& Serm.* 1. *de Conc. fol* 300.

Joannes Major, Doctor Pariſien. *in Luc. cap.* 1. *fol.* 168., & *in* 3. *ſent. diſt.* 3. *qu.* 1.

Jacobus Almainus, Doctor Senonen. *in* 3. *Sent. diſt.* 3. *quæſt.* 1.

Jacobus Faber, Doctor Stapulen. *comm. S. Joan. Damaſc. lib.* 3. *fid. Orthod. cap.* 2.

Joannes de Grazzis, Doctor Bononien. *in Cap. Unum Oratorium, diſt.* 25.

Judocus Clicthoveus, Doctor Pariſien. *lib.* 1. *&* 2. *de purit. Concept. cap.* 14.

Ludovicus Bail, Doctor Pariſien. *in Sum. Concil. tom.* 1. *ad Conc. Baſil. pag.* 511.

Antonius Dave, librorum Cenſor Lovanien. *in approb. Libri: Monum. antiq. Imm. Conc.*, 8. *Decembris* 1663. *peracta.*

Joannes a Celaya, Doctor Pariſien., & Univerſitatis Valentinæ Rector *in* 3. *ſent. diſt.* 3. *qu.* 1.

Benedictus a Benedictis *Sæcul. Rom. Eccleſ., num.* 99.

Ludovicus Habert, Doctor Pariſien. *Theol. Dogm. tom.* 3. *de Pecc. Orig. cap.* 7. §. 6.

Natalis Beda, Doctor Pariſien. *in errores Eraſmi, fol.* 187.

Petrus Tartaretus, Doctor Pariſien. *in* 3. *Sent. diſt.* 3. *q.* 1.

Joannes Ludovicus Schonleben, Decanus Labacen., ann. 1659 *in Epiſt. dedicat. Libri* 4 *Orbis Votor. pro defenſ. Imm. Concept.*, & an. 1671., *in Palm. Virg. Cap.* 13. *n.* 4.

Paulus Wann. de Kennrat, Doctor Viennen. *ſerm.* 9. *de tempore.*

Sebaſtianus Brant, juris doctor Germanicus *diſp.* 4. *de Imm. Conc. num.* 117. *&* 129.

Jacobus Winphelingus, Presbyter in Eccleſia Spirenſi, citatus a Trithemio *in Cathal. Viror. Illuſtr. Germaniæ, pag* 175.

Diony-

Dionyſius Bernardes de Moraes, Theologus Luſitanus *animadv. critic. in Lampr., anim. 26. num. 554. & 579.*

Pragenſis Univerſitas *in judicio de libellis, Congregationi S. Officii anno 1648. oblatis, §. 7.*

Dominicani.

Vincentius Juſtinianus Antiſt. *tract. de Con. §. 12.*

Sebaſtianus Michael, citatus a P. Valentino Gerard *in Triumph. Virg. part. 3. diſc. 2. pag. 753.*

Jacobus de Norimberga *ſerm. de Nativ. B. V. fol. 49.*

Joannes Cleret, Magiſter Generalis *ſerm. Domin. 2. Adventus.*

Leonardus Italicus *in 6. fidei ſerm. de Baptiſm. litt. B.*

Petrus Doreus *imago virt. oſtendens perfect. & S. Vitam B. V. M.*

Joannes Viguerius *comm. epiſt. ad Rom. 3. part. cap. 5.*

Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. ſæc. 15. & 16. diſſert. 6. art. 5. num. 11. ſchol. 15.*

Franciſcani.

Joannes de Ovando *in 3. Sent. diſt. 3. qu. 1. art. 2. dub. 6.*

Antonius Corduben., *qu. 44.*

Franciſcus Fevardentius *in Theomach. Calvin. lib. 10. cap. 2.*

Ludovicus Carvajal *in declamat. Virg. pro Imm. ſua Concep. expoſtul. cap. 31.*

Ignatius Como *diſſert. de certit. Imm. Conc. ſect. 10.*

Victor a Cavaleſio *vindicat. vot. ſanguin. cap. 11.*

Minores Obſervantes Ultramont. *in ſua generali Congregatione, Audomari anno 1475. celebrata.*

Societatis Jeſu.

Petrus de Bugis *de Incarn. lib. 4. cap. 5. num. 10.*

Andreas Eudæmon Joannes *in Reſp. ad ſcripta cujuſdam contra Immac. Conc. an. 1617. cap. 6.*

Petrus Caniſius *de Mar. Deipar. lib. 1. cap. 7.*

Joannes Euſebius Nierimberg. *Epiſt. 12. ad Amicum pag. 379.*

Henricus Henriquez *in Summ. lib. 3. cap. 11. num. 6. in notis litt. M.*

Theophilus Raynaudus *in Piet. Lugdun. num. 30.*

Adrianus Miaskowski *tract. de Incarn. diſp.* 5. *qu.* 2. §. 1. *num.* 39.

Benedictus Plazza *cauſ. Imm. Conc. Act.* 4. *art.* 2. *num.* 60.

Chriſtophorus de Vega *Theolog. Marian. num.* 322.

Andreas Mendo *in addit. ad Memor. pro Imm. Conc.* §. 2. *pag.* 487.

Georgius Gengell *Vind. Mar. Innocent. propoſ.* 30.

Petrus de Ojeda *in inform. pro Imm. Concept. an.* 1616. *cap.* 10.

Auctores Varii.

Joannes Trithemius, Abbas Ordinis S. Benedicti *tract. de Laud. S. Annæ*, & *in fine Operis novi*.

Joannes Baptiſta de Lezana, Carmelita *Apolog. pro Im. Conc. cap* 12.

Hieronymus Aznar, Auguſtin. *lib. de Imm. Conc. pag.* 89. *a terg.*

Cartuſianus *in Dialogo filii* & *matris*, *apud Edmundum Martenne*, *tom* 6. *veter. Script. pag* 73.

Jacobus Erforden, Carthuſianus *Serm.* 2. *de Concept.*

Dionyſius Carthuſianus *in* 3. *Sent. diſt.* 3. *qu.* 1. & *in Summ. fid. lib.* 4. *art.* 36.=De eo dixit Eugenius IV.= *Lætetur Mater Eccleſia*, *quæ talem habet filium*; prout refert Dominus L'Advocat, *Dict. hiſtor. V. Denis de Bikel.*

Joannes Picus, ejuſdem Ordinis *in cantic. cap.* 7. 8., & *ſeq.*

Antonius Pocquet, Vicarius Gener. Cæleſtin. *ſerm.* 1. *de Im. Concept.*

Petrus Bardus, ejuſdem Ordinis *ſerm.* 2., & 6. *de Imm. Concept.*

Dionyſius Faber, ejuſdem Ordinis *tract. de V. D. purif. Concept.*

Auguſtinus de Angelis, Somaſcha *in Manual. propugn. pro Imm. Concept. qu.* 2. *art.* 6. *num.* 8.

Franciſcus de Hevan, Ordinis B. M. V. de Mercede, Toletanus Judex Apoſtolicus *in quadam ſententia*, *lata anno* 1508.

Ordo Servorum B. M. V. *Annal. centur.* 3. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. *ad an.* 1444.

Joannes Mabillonius *in notis fuſioribus ad Opera S. Bernardi col.* 61. *Edit. Pariſien.* 1690.

Num.

Num. 6. = *Miſſalia Romana, quæ inveniri potuerunt, a tempore Sixti IV. uſque ad Pium V. edita. In omnibus, ad diem* 8. *Decembris, habetur Miſſa:* Egredimini; &, *tribus exceptis, de quibus* §. 40., *nulla alia pro dicta die, aut Octava ejus, habetur, vel indicatur.*

1482 =	Edit. Neapoli - - - - - -	*In Bibliotheca Barberina.*
1490 =	Venetiis - - - - - - - - -	*In eadem.*
1493 =	Ibidem - - - - - - - - - - -	*In Paſſionei.*
1496 =	Romæ - - - - - - - - - - -	*Sanctæ Sabinæ.*
1497 =	Venetiis - - - - - - - - - -	*Paſſionei.*
1499 =	Ibidem - - - - - - - - - - -	*Minervæ.*
1500 =	Mil. - - - - - - - - - - - -	*S. Auguſtini.*
1501 =	Venetiis, per de Giunta	*Collegii Romani.*
1501 =	Ibidem, per Locatell -	*Ibidem.*
1506 =	Ibidem - - - - - - - - - - -	*S. Bartholomæi in Inſula.*
1508 =	Ibidem - - - - - - - - - - -	*S. Franciſci ad Ripam.*
1509 =	Ibidem - - - - - - - - - -	*S. Auguſtini.*
1512 =	Ibidem - - - - - - - - -	*Paſſionei.*
1512 =	Graduale: Taurini - - -	*S. Pancratii.*
1515 =	Venetiis - - - - - - - - -	*Imperialis.*
1518 =	Ibidem - - - - - - - - -	*Vallicellanæ.*
1519 =	Ibidem - - - - - - - - - -	*Sancti Silveſtri.*
1521 =	Ibidem - - - - - - - - - -	*Collegii Romani.*
1523 =	Pariliis - - - - - - - - -	*Paſſionei.*
1530 =	Ibidem - - - - - - - - -	*Ibidem.*
1533 =	Venetiis - - - - - - - - -	*Sanctiſſ. Trinitatis ad Montes.*
1534 =	Ibidem - - - - - - - - - -	*S. Iſidori.*
1535 =	Ibidem - - - - - - - - - -	*Domus profeſſæ Societ. Jeſu.*
1535 =	Lugduni - - - - - - - -	*Paſſionei.*
1536 =	Venetiis - - - - - - -	*Minervæ.*
1540 =	Ibidem - - - - - - -	*Collegii Romani.*
1541 =	Ibidem - - - - - - -	*Domus profeſſ. Societ.*
1542 =	Ibidem - - - - - - - -	*Imperiali.*
1543 =	Ibidem - - - - - - - -	*S. Silveſtri.*
1543 =	Lugduni - - - - - - -	*Sapientiæ.*
1544 =	Ibidem - - - - - - - -	*S. Sabinæ.*
1544 =	Venetiis - - - - - - -	*Minervæ.*
1547 =	Ibidem - - - - - - - -	*Barberinæ.*

1550 = - - - - - - - - - - - - *Domini Abbatis Ballerini.*
1553 = Venetiis - - - - - - - *Conti.*
1554 = Ibidem - - - - - - - *Domus profeſſæ Societ.*
1556 = Ibidem - - - - - - - *Minervæ.*
1556 = Pariſiis - - - - - - - *Barberinæ.*
1557 = Venetiis - - - - - - - *Sancti Marcelli.*
1558 = Ibidem - - - - - - - *Barberinæ*
1559 = Ibidem - - - - - - - *S. Franciſci ad Ripam.*
1559 = Lugduni - - - - - - - *S. Silveſtri.*
1560 = Ibidem - - - - - - - *Minervæ.*
1560 = Venetiis - - - - - - - *Ibidem.*
1561 = Ibidem - - - - - - - *Vallicellanæ.*
1563 = Ibidem - - - - - - - *Barberinæ.*
1564 = Ibidem - - - - - - - *Collegii Romani.*
1566 = Ibidem - - - - - - - *Vallicellanæ.*
Alia, Lucæ reperta.
1485 = - - - - - - - - - - - - *Apud Clericos Reg. Matris Dei.*
1500 = Venetiis - - - - - - - *Ibidem.*
1526 = Ibidem - - - - - - - *Ibidem.*
1540 = Pariſiis - - - - - - - *Ibidem.*
1522 = Saonæ - - - - - - - *In Sacriſtia Metropolitanæ.*

Num. 7. = *Breviaria Romana, a Sixto IV. uſque ad Pium V. edita; Et primo ea, in quibus habetur ſolummodo Officium ſicut in die Nativitatis, cum Lectionibus de Epiſtola Sancti Anſelmi.*

1478 = Venetiis - - - - - - - *Minervæ*
1485 = Ibidem - - - - - - - *Sancti Pauli ad Regulam.*
Alia, in quibus habetur dumtaxat Officium *Sicut Lilium.*
1480 - - - - - - - - - - - - *S. Bartholomæi in Inſula.*
1510 = Pariſiis - - - - - - - *Sancti Appollinaris.*
1521 = Venetiis - - - - - - - *S. Pauli ad Regulam.*
1522 = Ibidem - - - - - - - *S. Bartholomæi in Inſula.*
1538 = Pariſiis - - - - - - - *Barberinæ.*
1538 = Lugduni - - - - - - - *Ibidem.*
1545 = Ibidem - - - - - - - *Ibidem.*
1551 = Ibidem - - - - - - - *Vallicellanæ.*
Alia, in quibus ambo reperiuntur.
1482 = Venetiis - - - - - - - *Minervæ.*
1489 = Ibidem - - - - - - - *S. Silveſtri.*

1514

Digitized by Google

1514 = Ibidem - - - - - - - *S. Auguſtini.*
1521 = Ibidem - - - - - - - *Domus profeſſæ Societ.*
1529 = Pariſiis - - - - - - - *SS. Trinitatis ad Montes.*
1543 = Venetiis - - - - - - *Barberinæ.*
1547 = Ibidem - - - - - - - *Aracœli.*
1550 = Ibidem - - - - - - - *S. Silveſtri.*
1553 = Ibidem - - - - - - - *Ibidem.*
1555 = Ibidem - - - - - - - *Vallicellanæ.*
1556 = Pariſiis - - - - - - - *SS Trinitatis ad Montes.*
1557 = Lugduni - - - - - - *Sancti Silveſtri.*
1557 = Venetiis - - - - - - - *Sancti Auguſtini.*
1558 = Ibidem - - - - - - - *S. Iſidori.*
1559 = Ibidem - - - - - - - *S. Silveſtri.*
1560 = Ibidem - - - - - - - *Ibidem.*
1560 = Diurnum - - - - - - *S. Joannis Lateranenſis.*
1562 = Venetiis - - - - - - - *Sancti Silveſtri.*
1563 = Ibidem - - - - - - - *S. Franciſci ad Ripam.*
1564 = Ibidem - - - - - - - *Sancti Silveſtri.*
1565 = Ibidem - - - - - - - *Ibidem.*

Num. 8. = *Pius V. Ordini Minorum viva voce conceſſit, ut Officium* Sicut Lilium *die Feſto Conceptionis, & per ejus Octavam recitaret.*

PRoprium Feſtorum Ordinis Minorum = Officia propria, quæ SS. D. Noſter Pius V. Pontif. Max. anno Domini 1569. die 15. Maii, Pontificatus vero ſui anno 4., viva voce conceſſit, ut ſic ordinata imprimerentur, & a Fratribus, & Monialibus ejuſdem Ordinis dicerentur. Venetiis apud Juntas 1573. . . . . Die 8. Decembris = Immaculatæ Conceptionis Officium: = *Sicut Lilium inter Spinas &c.* Sequitur Octava. *Reperitur in Bibliotheca S. Petri Montis aurei.*

Calendarium perpetuum, & generale Breviarii Romani pro tota Hiſpania. Toleti 1578. = In fine. = *Feſta propria, & ſpecialia Ordinis Minorum S. Franciſci:* 8. Decembris: *Conceptio Immaculata B. M.* = Sequitur Octava. *Adeſt in Bibliotheca Sapientiæ.*

Breviarium Romanum. Venetiis 1592. = In fine = Officia propria Feſtorum Ordinis FF. Minorum, ad formam Breviarii novi redacta, quæ SS. D. Noſter Pius V. Pont. Max. anno D. 1569., die 15. Maii, Pontificatus vero ſui anno 3. (hic eſt error, erat enim

enim annus 4., prout in præcedenti habetur) viva voce conceſſit, ut ſic ordinata &c. Die 8. Decembris = Immaculatæ Conceptionis Officium = *Sicut Lilium* = Sequitur Octava. *In Bibliot. Minervæ*.

Breviarium Romanum = Venetiis apud Juntas 1598., in fine = Officia propria Feſtorum Ordinis Fratrum Minorum &c. prout in antecedenti. = *In Biblioth. S. Iſidori*.

Aliud ſimile = Venetiis 1604. = Sub ſigno Europæ in Ponte Rivi alti = *In Biblioth. S. Petri Montis aurei*.

Num. 9. = *Epiſtola Civitatis Hiſpalenſis, gratias agentis Gregorio XV. de Silentio adverſæ Sententiæ impoſito*.

Beatiſſime Pater = Urbs hæc, & univerſa adhærens Provincia, ita ſe locupletatam agnoſcit magno illo bono, & favore, quem reſultaſſe ex ſacro Decreto Veſtræ Beatitudinis *circa Myſterium Immaculatæ Conceptionis* Virginis SS. Dei Genitricis, & Dominæ noſtræ cognoſcit, ut proſtrata ad Sanctiſſimos Veſtræ Beatitudinis pedes, perquam affectuoſas reddat gratias, quales debentur *immortali huic*, & veluti *divino beneficio*. Quod fauſto hoc veſtræ Beatitudinis Pontificatu, cœlitus impulſa adeo concupitam hanc gratiam præſtiterit Veſtra Sanctitas feliciſſimis Suæ Majeſtatis Regnis, per quam æternum ſuum reddidit nomen, nullo unquam ævo a cordibus Fidelium abolendum, Civitas hæc peculiari conatu, nulli ſecundo, juxta debitæ gratitudinis, & perpetuæ obligationis menſuram, ſemper Dominum orabit, ut Veſtram Beatitudinem plurimis, & feliciſſimis annis tueatur incolumem, juxta Chriſtiani Orbis neceſſitatem. Dat. Hiſpali, Julii 12. an. 1622. *Apud P. Alva, Reg. auth. col.* 193.

A = *Reſponſio Gregorii XV.*

Gregorius PP. XV. = Dilectis filiis Senatui Civitatis Hiſpalen. = Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Opulentæ Indiarum Claſſes non tantum Urbi veſtræ decus afferre poſſunt, quantum Catholicæ Religionis cultus, & chriſtianæ pietatis ſtudium. Magnum quidem eſt, alterius Orbis divitias in veſtrum portum convehi; ſed profecto longe præclarius, theſauris divinæ gratiæ animas veſtras locupletari. Præterquam quod ea opulentia multos exterarum Nationum homines ad Hiſpalenſia littora convocat; at enim pietas militiam cœleſtis exercitus in veſtras

ſtras arces introducit, & Angelorum opem, conſuetudinemque piis Fidelium cordibus conciliat. *Beati profecto eſtis*, dilecti filii, cum intelligatis quanto perituris divitiis præſtantiora ſint eloquia Domini, deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum. Proinde Nos quorum felicitas, Chriſtianarum Nationum ſalute continetur, paterno ſolatio Litteræ veſtræ cumularunt, quas Nobis non ita pridem reddiderunt dilecti filii Matthæus Vaſquez, & Bernardus de Thoro. Ex illarum enim ſententia, & ex horum ſermone intelleximus, *quo ſtudio BB. Virgini inſerviatis*. Ita ſentire, ita loqui par eſt, *Civitatem* a Dominantium Domino *cuſtoditam*, & *ſolidæ pietatis fundamentis innixam*. Neque enim vera mortalium laus, atque gratulatio, a cæleſtis aulæ gloria ſejungitur. Vos autem Scientiam ſalutis præclare didiciſſe oſtenditis, cum beneficium vobis tributum eſſe profitemini eo Apoſtolico Decreto, quo altercantium Theologorum diſſidia tollere, & *Cæleſtis Reginæ dignitati conſulere* nuper voluimus. Non deerit vobis remuneratio ab eo, qui dives eſt in miſericordia; & beneficentia illius Virginis perfruemini, quæ cauſa eſt noſtræ lætitiæ; & divinæ ultionis flagella tam ſæpe a catholicæ plebis capite aberruncat ... Dat. Romæ ... die 4. Novembris 1622. *Apud P. Alva, ibid. col.* 194.

Num. 10. = *Paulus V. concedit Patribus Obſervantibus, ut, Sabbatis non impeditis, recitare valeant Officium Immaculatæ Conceptionis, quod incipit:* Sicut Lilium.

Pompejus, divina miſeratione tituli Sanctæ Balbinæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Arigonius nuncupatus, totius Ordinis S. Franciſci Protector, Corrector, & Gubernator. Univerſis, & ſingulis fidem facimus, & atteſtamur, qualiter die 19. Menſis Januarii anno ab Orbe redempto 1609., Sanctiſſimus, & in Chriſto Pater Dominus Noſter, divina gratia Paulus PP. V., ſuo vivæ vocis oraculo nobis facto ... propter eximiam devotionem, quam ipſe habet in Deiparæ Virginis *Immaculatam Conceptionem* conceſſit, quod omnes Fratres totius noſtri Ordinis prædicti, omnibus diebus Sabbatis, Feſto novem lectionum non impeditis, poſſint recitare Officium *Immaculatæ Conceptionis*, quod incipit: *Sicut lilium:*, ſub ritu ſemiduplici. In quorum fidem &c., anno 1609. 21. Januarii. *In Regeſt. 2. Cur. Ultram. Aracæl. fol.* 93.

A. =

A. = *Idem extenditur ad Patres Conventuales.*

Franciſcus, Epiſcopus Oſtienſis, Sacri Collegii Decanus, S. R. E. Cardinalis de Giojoſa, Congregationis Sac. Rituum Præpoſitus. Univerſis &c. Cum SS. D. N. Paulus PP. V. *vivæ vocis Oraculo* conceſſerit Fratribus Obſervantibus Ordinis Sancti Franciſci, ut, ſingulis Sabbatis non impeditis Feſto novem lectionum poſſint recitare Officium *Immaculatæ Conceptionis* Deiparæ Virginis Mariæ; de quo quidem vivæ vocis Oraculo fidem fecit in ſcriptis Illuſtriſſimus, & Reverendiſs. Dominus Pompejus Cardinalis Arigonius, ejuſdem Religionis Protector, ſub die 21. Januarii 1609., Et deinde ad inſtantiam Procuratoris generalis, & totius Ordinis FF. Minorum Conventualium S. Franciſci inſtitum fuerit apud eumdem SS. D. N, ut ipſi etiam Conventuales comprehenſi intelligantur in dicta conceſſione; Et negotium in Sac. Rit. Congregatione propoſitum fuerit; Eadem Sac. Rit. Congregatio die 14. Januarii præſentis anni 1612. cenſuit, eamdem gratiam, conceſſam Fratribus Oſervantibus, poſſe concedi Fratribus Conventualibus ... & Sanctitas ſua annuit. *In Reg. Sac. Rit. Congr.*

B = *Idem conceditur Patribus Capucinis.*

Franciſcus Maria, miſeratione divina tituli Sancti Laurentii in Lucina S. R. E. Presbyter Cardinalis a Monte, Congregationis Sac. Rit. Præpoſitus... Cum Ss. D. N. Paulus PP. V. vivæ vocis Oraculo conceſſerit Religioſis FF. Obſervantibus Ordinis S. Franciſci, ut ſingulis Sabbatis poſſint recitare *Officium Immaculatæ Conceptionis* Deiparæ V. M.... Noviſſime vero cum FF. Capucini eamdem gratiam &c. ſub die 7. Julii 1612. eadem Sac. Rit. Congregatio cenſuit, poſſe dictam gratiam concedi etiam præfatis Fratribus Capucinis... Et Sanctiſſimus annuit. *In eod. Reg.*

Num. 11. = *Nomine Philippi IV. Regis Catholici ſupplicatur Alexandro VII., ut prohibeat, ne impediatur impreſſio* tituli Immaculatæ Conceptionis.

Beatiſſimo Padre = Avendo li Signori Cardinali della Congregazione del S. Officio, l'anno del 1644. eſſendo congregati nella Minerva, in riſpoſta di una lettera d'un Inquiſitore partico-

colare, approvatogli, che non aveſſe laſciato paſſare *il titolo d'Immaculata Concezzione*. Alcuni Miniſtri, ed in particolare il Maeſtro del Sacro Palazzo, con preteſto di detta Riſpoſta, e ſupponendo, che foſſe Decreto generale, non permettono s'imprima neſſun libro, nè carta in che ſi dica *Immacolata Concezzione*, ed hanno preteſo proibire, che corrano li già impreſſi. E perchè ſe non ſi porgeſſe rimedio, riſulterebbe notabile pregiudizio all'opinione, che tiene eſſere ſtata conceputa la Vergine noſtra Signora ſenza Peccato Originale; La Maeſtà Cattolica, per la divozione che ha a queſto Miſterio, e per evitare li ſcandali che poſſono ſeguire, ſupplica V. Santità, ſi degni di comandare, e dichiarare, che detta riſpoſta non fu Decreto generale, con l'univerſità che vogliono intenderlo, e pratticarlo; ed ordini al Maeſtro del Sacro Palazzo, ed altri Miniſtri, non impediſcano per queſta cauſa la impreſſione di neſſun libro, nè altra carta; ſe non che li laſcino paſſare, e correre *come ſi faceva innanzi di detta Riſpoſta*. Che lo riceverà a particolare grazia da Voſtra Santità.

Num. 12. = *Epiſtola, de Mandato Alexandri VII., Inquiſitori Faventiæ, a RR. Commiſſario S. Officii ſcripta, ut imprimi permitteret* titulum Immac. Conceptionis.

MOlto Rev. Padre Maeſtro, ed Inquiſitore Oſſervantiſs. E' ſtato eſpoſto un Memoriale, nel quale viene rappreſentato che Voſtra Paternità nega a i Confrati della Compagnia *dell' Immacolata Concezzione* della glorioſa Vergine, eretta nella Chieſa de' i Padri Minori Conventuali di coteſta Città, di poter ſtampar poeſie in onore della glorioſa Vergine *col titolo d' Immacolata Concezzione*; ed anco un'Imagine della medeſima con queſti duoi Verſi, cioè: *Sine labe concepta:* e: *In Conceptione tua, Virgo, Immaculata fuiſti*. Pertanto avviſo V. P., *che omninamente debba permettere*, che detti Confrati poſſino fare ſtampare Sonetti, Elogj, ed altre Scritture *col titolo d' Immacolata Concezzione*, e l'Imagine della glorioſa Vergine con li ſopradetti duoi Verſi, *perchè così ſi prattica in Roma, come in altre Città che hanno fatto ricorſo quì* per queſto particolare. Sì ancora *perchè laſciandoſi* dagl'Inquiſitori, e comunemente da qualſivoglia *ſtampare, che la B. Vergine ſia concetta ſenza Peccato Originale*; non ſi deve, *nè ſi può prudentemente proibire*, che non ſi ſtampi *l' Immacolata Concezzione*, importando il medeſimo:

ſimo: Concezzione *Immacolata*: e: Concezzione *ſenza Peccato Originale*; e *non differunt niſi ſicut implicitum*, & *explicitum*; *ſicut definitum*, & *definitio*. Onde *parerebbe coſa ridiculoſa*, permettere *uno*, e proibire *l'altro*; ſiccome ſarebbe permettere, che Pietro, o altro ſia, e ſi chiami *Animale razionale*, e proibire, che non ſia, nè ſi chiami *Uomo*. Dovrà dunque eſeguire quanto gli ordino. Nè gli dia faſtidio un tale Decreto di queſta Congregazione, che pare ſii contrario a quello che ora gli ſcrivo; perchè il tutto è ſtato maturamente conſiderato. Roma 6. Novembre 1655.

Num. 13. = *Ab Alexandro VII. eriguntur, vel erectæ confirmantur Confraternitates ſub denominatione* Immaculatæ, *vel* puriſſimæ *Conceptionis*.

Alexander PP. VII. = Ad perpetuam rei memoriam. Cum ſicut accepimus, in Eccleſia parochiali Sancti Zenonis Civitatis Piſanæ, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitas, *ſub invocatione Immaculatæ Conceptionis* B. M. V.... canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat... Nos... Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 10. Junii 1661.

Alexander PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia FF. Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Civitatis Redonenſis, una pia & devota utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitas, *ſub invocatione Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. denominat... canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat.... Nos.... Dat. Romæ... 21. Septembris 1663.

Alexander PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia parochiali Sancti Georgii, Oppidi Molſteimb, Argentinen. Diœceſis, una pia, & devota utriuſque Sexus Chriſtifidelium Confraternitas, *ſub denominatione Immaculatæ Conceptionis* B. M. V.... canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat... Nos... Dat. Romæ... die 27. Januarii 1667.

Alexander PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia FF. Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Oppidi Darocenſis, Cæſarauguſtanæ Diœceſis, una pia, & devota utriuſque ſexus Chiſtifidelium Confraternitas, *Eſclavidud puriſſimæ Conceptionis* B. M. V. denominat.... canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat... Nos... Dat. Romæ... die 23. Julii 1664.

Ale-

Alexander PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia S. Andreæ de Mera, Compoſtellan. Diœceſis, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitas, *ſub denominatione puriſſimæ Conceptionis* B. M. V., & de Roſario, S. Joſeph, & Animarum Purgatorii... canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat... Nos... Dat. Romæ.... 10. Januarii 1667.

A = *Innocentius XI. & XII. ſimiles erigunt, vel approbant ſub titulo, & in honorem* Immaculatæ Conceptionis.

Innocentius PP. XI. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia S. M. de Pace FF. Ord. Min. S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum nuncupatorum Civitatis Januenſis, una pia, & devota utriuſque ſexus Confraternitas Chriſtifidelium, ſub titulo, ſeu denominatione jejunii perpetui *in honorem Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat.... Nos... Dat. Romæ... 22. Septembris 1688.

Innocentius PP. XII. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia Conventus FF. Ordin. Minor. S. Franciſci de Obſervantia, Civitatis Salamantin., una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitas, ſub titulo, ſeu denominatione jejunii perpetui *in honorem Immaculatæ Conceptionis* B. M. V.... canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat..... Nos.... Confratribus, & Consororibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Cappellam, vel Oratorium *die Feſto ejuſdem Immaculatæ Conceptionis* B. M. V., a primis veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint... Dat. Rom... 6. Decembris 1692.

Innocentius PP. XII. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia parochiali S. Petri in Selza, Aquilejen. Diœceſis, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitas *ſub titulo Immaculatæ Conceptionis* B. M. V.... canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat.... Nos... Dat. Romæ... 10. Decembris 1692.

Innocentius PP. XII. Ad ea, per quæ Animarum Chriſtifidelium ſalus procuratur, libenter intendimus.... Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia... Supplicationibus quoque dilecti Filii Franciſci Diaz a S. Bonaventura, Ordinis FF. Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Chriſtifidelibus Confratribus,

& Conſororibus quarumlibet Confraternitatum, & Societatum, ſive *ſub Immaculatæ Conceptionis* B. M. V., ſive ſub alio quolibet titulo, ſeu invocatione, tam hactenus in eorumdem Fratrum, & Monialium Eccleſiis canonice erectarum, quam inpoſterum erigendarum, qui per quadrantem horæ Orationi mentali vacaverint .... Dat. Romæ 24. Decembris 1692.

B = *Decreta*, *a Sacra Rit. Congr.*, *Alexandri VII. tempore*, *emanata* cum titulo Immaculatæ Conceptionis.

Hiſpaniarum = Iteratis, piiſque precibus Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici benigne inclinatus SS. D. Noſter annuit, ut in omnibus Regnis Hiſpaniarum, & Indiarum, ejuſdem Catholicæ Majeſtatis imperio ſubiectis, tum a Sæcularibus, cum a Regularibus utriuſque ſexus .... Officium & Miſſa *Immaculatæ Conceptionis* cum Octava inpoſterum de præcepto recitetur .... Die 2 Julii 1664.

Viennen. = Cum alias, & ſub die 2. Julii proxime præteriti, SS. Dom. Noſter Alexander PP. VII., iteratis, piiſque precibus Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici annuerit, ut in omnibus Regnis Hiſpaniarum, & Indiarum, eidem Catholicæ Majeſtatis Imperio ſubiectis .... Officium, & Miſſa *Immaculatæ Conceptionis* cum Octava inpoſterum de præcepto recitetur .... *eadem omnia*, *ac iiſdem modis*, *& formulis ſupra expreſſis*, ad preces Auguſtiſſimi Imperatoris, pariter conceſſit in ſingulis Regnis, & Provinciis, dictæ Imperatoriæ Majeſtati ſubiectis. Hac die 12. Novembris 1664.

Etruriæ = SS. D. N. Alexander PP. VII., enixis Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ precibus inclinatus, benigne conceſſit, ut ab omnibus ... in tota Etruria poſſint, & debeant de præcepto recitare, & celebrare Officium, & Miſſam *Sanctiſſimæ Immaculatæ Conceptionis* B. M. V., a die illius Feſti per totam Octavam. 19. Septembris 1665.

Galliæ Belgiæ = SS. D. N Alexander PP. VII., enixis, piiſque precibus ſibi porrectis ab Excellentiſs. D. Petro de Aragonia, Sereniſſimi Regis Catholici Oratore, nomine dictæ Regiæ Majeſtatis, benigne inclinatus mandavit .... ut in omnibus Ditionibus, ſeu Provinciis dictæ Galliæ Belgiæ, ſub Dominio dicti Sereniſſimi Regis Catholici, & Ducatus Burgundorum celebrari poſſit *Feſtum Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. una cum Octava ... 27. Septembris 1665.

Medio-

Mediolanen. = SS. D. N. Alexander PP. VII., enixis, piiſque precibus .... mandavit .... ut in toto Statu Mediolanenſi, & in Marchionatu Finalenſi, celebrari poſſit *Feſtum Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. una cum Octava ... 27. Septembris 1665.

Siciliæ, & *Sardiniæ* = SS. D. N. Alexander PP. VII. enixis, piiſque precibus ... mandavit ... ut in omnibus Provinciis, & Ditionibus Regnorum Siciliæ, & Sardiniæ celebrari poſſit *Feſtum Immaculatæ Conceptionis* una cum Octava .... 27. Septembris 1665.

Florentina = *Feſtum Immaculatæ Conceptionis*, Reipublicæ Venetiarum, & Civitati Florentiarum, ultimo loco, Auctoritate Apoſtolica conceſſum, cenſuit Sacra Rit. Congregatio, celebrandum eſſe ſub Ritu duplici ſecundæ claſſis. 10. Aprilis 1666.

Mutinen. = Sacra Rit. Congregatio cenſuit, extendi poſſe ad totam Diœceſim Mutinenſem, gratiam recitandi Officium cum Octava *Immaculatæ Conceptionis* ... die 8. Februari 1668.

Regien. = Sacra Rit. Congregatio cenſuit, extendi poſſe ad totam Diœceſim Regienſem, gratiam recitandi Officium *Immaculatæ Conceptionis* ... 8. Februarii 1668.

C = *Officium Romæ tunc typis editum* cum titulo Immaculatæ Conceptionis.

Officium *Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. cum Octava, ſub Ritu duplici ſecundæ claſſis recitandum a Patribus Societatis Jeſu, juſſu SS. D. Noſtri Clementis PP. IX. = Romæ ex Typographia R. C. Apoſtolicæ, 1667.

Num. 14. = *Votum Regis*, & *totius Regni Portugalliæ*, *defendendi Immaculatam Conceptionem* uſque ad Sanguinis effuſionem; & *ejuſdem electio in Regni Patronam*.

JOannes IV. Portugalliæ Rex &c. Notum facimus &c. His igitur, in Comitiis, uti par erat, diligenter inſpectis, placuit magnam Matrem *ſub Immaculatæ Conceptionis prærogativa* in totius Regni Patronam, ac Præſidem, juxta recens Urbani VIII. Decretum, deſignare. Atque ipſe meam adſtrinxi fidem, operam vehementer daturum, ut hanc omnium ſententiam, ipſe Summus Pontifex ratam, firmamque velit. Præterea uti meo, ita & Theodoſii Principis, (quæ mihi præ cæteris Proles chariſſima) Nepo-

tum-

tumque omnium nomine, quinquaginta ex auro ſolidos annuatim perſolvendos polliceor Villavitioſæ Baſilicæ Conceptionis, utpote primæ hujus Inſcriptionis in Hiſpania, idque factum volumus in pignus æternum deditionis noſtræ.

Ad hæc, una cum Principe, ac Regni Proceribus, interpoſito jurejurando promittimus, Nos, *vel etiam lucis jactura*, ſi res jubeat, propugnaturos, Matrem Virginem abſque nævo conceptam humanæ originis. Memores interim, *quod ipſa Romana Eccleſia*, omnium Mater, quam adamuſſim ſequi maxima Nobis religio eſt, peculiari ritu *ſolemnem diem agat Immaculatæ Conceptionis*; ſoluta vero hujus jurisjurandi fide, ſi eadem Romana Eccleſia ſecus aliquando judicaverit. Ergo præſentiſſimo tutati numine, cui, noſtro conſulentes honori, Sceptrum ſubdimus libentiſſime, a Deoque Optimo Max. deprecati veniam ſperamus fore, ut ille ipſe Deus Nos, Minoreſque noſtros benigne foveat, ac Regnum, hoſtibus glorioſe devictis, in dies augeat ad Chriſti Servatoris gloriam, ad fidei augmentum, ad gentium converſionem, ad hæreticorum reſipiſcentiam. Quod ſi mortalium aliquis huic Solemni Voto, ac Jurijurando ire obviam audacter tentaverit; *Si Civis, alienigenam facimus, ac nulla mora interpoſita a finibus noſtri Imperii illum volumus amandari. Quod ſi* (*tam dirum Deus avertat malum*) *Rex ipſe fuerit, diræ Omnipotentis Dei, ſimul ac noſtræ ſubjaceat imprecationi, & noſtrorum ſeriem interrumpat*. Confidimus deinde ſpem firmiſſimam fore, ut ab eodem Deo Maximo, a quo Regnum liberaliter accepimus, a Regno miſere detrudatur is, qui fidem hanc, quam modo ſponte damus, olim imprudenter fregerit. Ne vero hujuſce Electionis noſtræ, Voti, ac Jurisjurandi, in Comitiis editi, aliquando intereat memoria; tria Acta publica fieri decernimus... Dat. Ulyſſipone 7 Calend. Aprilis anno Domini 1646 = *Apud Sebaſtianum Novaes, Lilium inter Spinas pag.* 272.

A = *Votum Ferdinandi III. Imperatoris*, Feſtum, *etiam quoad forum*, Immaculatæ Conceptionis *celebrandi*, *emiſſum die* 18. *Maii* 1647. *in manu Principis*, & *Epiſcopi Viennenſis Philippi Friderici*, *de Familia Braineriorum*.

Omnipotens ſempiterne Deus, per quem Reges regnant, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, & omnium jura Regnorum; Ego Ferdinandus coram Divina tua Majeſtate humiliter proſtratus,

tus, meo, meorumque Succeſſorum, & inclytæ hujus Provinciæ Auſtriæ nomine, Immaculatam Filii tui Matrem ſemper V. M. hodie in peculiarem Dominam, & Patronam hujus Archiducatus invoco, & aſſumo. Inſuper voveo, ac promitto, *ejuſdem Immaculatæ Conceptionis Feſtum*, quod cadit in diem 8. Decemb., ſolemniter etiam quoad forum, in hac Provincia quotannis, prævio, more Eccleſiæ conſueto, jejunio in ejuſdem pervigilio, celebrandum. Te deprecor, Supreme Cœli, terræque Imperator, qui quod Matri tuæ impenditur tibi impenſum reputas, Votum hoc meum, quod ſuggerere clementer dignatus es, benigno favore proſequere, atque ad protegendum me, domum meam, populoſque mihi ſubiectos, dexteram tuæ Majeſtatis extende. Amen. *Apud Marac. Cæſar. Marian. pag. 115.*

Num. 15. = *Reſponſio Abbatis Hilarionis ad Animadverſiones factas contra formulam Conſtitutionis Alexandri VII., quæ incipit:* Sollicitudo.

EMinentiſſimo, e Reverendiſs. Signore: Impuntano Monſig. De Roſſi, e Monſig. Vizzani al *Num. primo*, ſopra di quelle parole: *Ejus Animam in primo inſtanti Creationis, atque Infuſionis, ſive Conceptionis:* e dicono, che la parola *Conceptio* non ſi addatta all'Anima, ma al Corpo, e perciò non ſta bene quì... Sopra di ciò non importa di contendere, nè fare nuova Congregazione, ma diremo così: *Sentientium, ejus Animam in primo inſtanti Creationis, atque infuſionis, fuiſſe a macula Peccati Originalis præſervatam immunem; atque in hoc ſenſu, Conceptionis ejus Feſtivitatem ſolemni ritu &c.* Così ſi contenterà ogni uno.

Num. eodem = Monſig. Hugolini impunta in quelle parole, aggiunte a ſoggeſtione del Sig. Cardinale Corradi: *Ex ſpeciali Dei gratia, & privilegio:* le quali Voſtra Eminenza potrà leggere aggiunte in margine, nella copia della Minuta, che reſtò in mano a Voſtra Eminenza. Dice, che non ſi leggono in alcuna Conſtituzione, o ſia Decreto de i Papi in queſta materia.

Deve eſſer vero; ma ivi s'intendono perchè ſono di fede Cattolica quelle parole. E così non ſtanno male, ſe vi ſi mettano; non è male, ſe ſi tralaſciano, come le hanno tralaſciate li altri Papi, perche vi s'intendono; nè per queſto, vi è biſogno di nuova Congregazione.

A =

A = *Conſtitutiones Sixti IV. emanarunt* in commendationem Cultus, *Sacro Myſterio exhibiti.*

Num. 2. = M. Vizzani non vi vuole quelle parole: *In ejus commendationem*. Dice, perchè Sixto IV. nella ſua Conſtituzione non inteſe direttamente di commendare queſta opinione, ma ſolo di levare abuſi. Ma non può negarſi, che Siſto IV. nella Stravagante: *Cum præcelſa:* commendò queſta opinione, che che ſia della Stravagante: *Grave nimis*; alla quale ha avuto rifleſſo M. Vizzani. E per laſciare queſte parole, non è neceſſaria Congregazione.

Num. 3. = *Approbantibus Romanis Pontificibus*. M. Vizzani non ſi ſoddisfa delle approvazioni riferite nell'Armamentario de'Franceſcani, al quale non ſi contenta, che preſti fede la Sede Apoſtolica; e vorrebbe vedere i Regiſtri. In farlo non vi è male.

B = *In Conſtitutione fuit poſitum:* Religioſum Ordinem; *ut ibi videri poteſt.*

Num. eodem. Più rilevante è la rifleſſione del Sig. Cardinale Corradi, quale in luogo di quella parola: *Religiones*; vorrebbe dire: *Nonnulla Religioſa Cœnobia:* Qui ci ſarà da gridare, perchè Giulio II., in una ſua Bolla, ſotto li 17. Settembre 1511., lo chiama *Ordine*, ed ha quello che ſi ricerca per eſſere nuova Religione; cioè Abito particolare, Coſtituzioni particolari, differenti, e ſenza relazione ad altra più antica Religione. Dica dunque: *Religionem unam: Confraternitates* &c.

Num. 4. M. Hugolini dubita in fatto ſe ſia vero, che *pleræque Catholicæ Academiæ acceſſerint ad hanc piam Sententiam*. Ma queſta è coſa tanto notoria, che non pare aver biſogno di pruova. Come ne anco ha biſogno di pruova, che la maggior parte de'Cattolici l'abbracciano nelli loro ſcritti, prediche, divozioni; ſenza che vi ſia biſogno di ſapere del loro interno.

Num. 5. Aggiungaſi, come vuole M. Vizzani: *Diſputationibus, ſeu Concluſionibus:* Ma le parole della Minuta ſono tolte dal Decreto di Paolo V., dove non vi è la parola: *Diſputationibus*; e poco più abbaſſo ripetaſi, come ripete Paolo V. = *Vetuit, ne ulli audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Con-*

Digitized by Google

Concluſionibus & aliis quibuſcumque Actibus publicis aſſerere, quod eadem BB. Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali. Con queſto ſi ſoddisfarà anco al Signor Cardinale Corradi, il quale quì ha meſſo qualche coſa del ſuo, perchè, come credo, non ha viſto, che ſono parole, tolte di peſo dal Decreto di Paolo V.

C = *Cur, in Conſtitutione, facta non fuerit mentio de facultate, a Gregorio XV. Patribus Dominicanis conceſſa, diſſerendi inter ſe de Conceptione*.

Num. 6. Tanto M. Hugolini, come M. Vizzani raccordano la conceſſione fatta da Gregorio XV. alli Domenicani, per li Colloquj tra di loro. Forſe Sua Santità vorrà con un Breve a parte, come fece Gregorio XV., concederglielo, ſe ne fanno inſtanza.

Num. 7. M. Vizzani mette in conſiderazione quella: *Specialem Oratorem*: Se ſia ben' detto, *Specialem*. Crederei, che sì; Nè per laſciare, o levare queſta parola, fa biſogno di Congregazione.

Num. 8. = A M. Vizzani quell'*audacter* pare troppo piccante. Si levi.

D = *Quid ſignificent iſta Conſtitutionis verba:* Pios Chriſtifideles a ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando?

Num. 9. Impunta M. Vizzani in quello: *pacifica poſſeſſio*, come un modo di parlare più toſto da notari nelli Iſtromenti, che da Papi nelle Bolle; e molto più, perchè li pare, che mentre li Domenicani, con altri Uomini dotti, tengono l'opinione contraria; pare, che non poſſa eſſere pacifica poſſeſſione.

Quì biſogna diſtinguere due coſe antiche; l'una è la verità, l'altra la probabilità della opinione; la terza, cioè *la celebrazione della Feſta, che ſi fa nella Chieſa Romana*. Quanto al primo, cioè la verità della opinione; mentre vi è chi la controverte, non ſi può dire, che ſi trovi in pacifica poſſeſſione. Quanto al ſecondo, cioè alla probabilità; non vi è, chi poſſa metterla in controverſia, mentre è ſtata canonizata queſta probabilità dalla Chieſa, anco dal Santo Concilio di Trento, mentre

tre appruova le Conſtituzioni di Sixto IV., e così la probabilità di queſta opinione ſtà in pacifico poſſeſſo, ſenza che la controvertano nè anco li Dominicani, li quali confeſſano, che queſta opinione è probabile. Ma di niſſuna di queſte due coſe parla quì la Minuta, *la quale parla della celebrazione della Feſta, che ſi fa nella Chieſa Romana*. E parlando di queſta, dice la Minuta: *Stanno in pacifica poſſeſſione del ſenſo della Chieſa Romana* nella celebrazione di queſta Feſta, cioè *che la Chieſa Romana celebri queſta Feſta* alla Concezzione, in queſto ſenſo, *che in eſſa la Vergine ſia ſtata preſervata dal Peccato Originale*. Il che per le Conſtituzioni di Siſto IV., confermate dal Santo Concilio di Trento, fu nella Congregazione tenuta avanti Urbano VIII. di fel. mem., riputato così chiaro, che fu detto non avere biſogno di dichiarazione. *Hora li Domenicani*, preſa occaſione dalla Conſtituzione di Gregorio XV., *hanno cominciato a dire, che non è chiaro* in queſte Conſtituzioni, *che la Chieſa Romana abbia celebrato la Feſta nel ſenſo dell' Opinione pia; ma anzi in un ſenſo, che ſi adatta così bene all' altra opinione, come alla pia*, e lo pruovano così: Perchè *Gregorio XV. comandò loro di celebrare la Feſta ſotto nome di Concezzione*, come celebra la Chieſa Romana, e *ad ogni modo non proibì loro di tenere la loro opinione; dunque inteſe, che la celebrazione di quella Feſta*, ſecondo ſi fa nella Chieſa Romana, *non porta determinatamente ſenſo*, o vero *intenzione contraria alla loro opinione, e favorevole alla pia*. Con queſto argomento, per il quale hanno preſo occaſione li Domenicani dalla Conſtituzione di Gregorio XV. (ma *ſi è preteſo, e creduto dimoſtrarne la fallacia con le Scritture date in Riſpoſta dell' argomento*) hanno procurato li Domenicani di levare li Fedeli dal poſſeſſo, che avevano nella Chieſa Romana ſopra la celebrazione della Feſta della Concezzione ſecondo la loro ſentenza; ed *in queſta poſſeſſione*, che ſi dice eſſere ſtata pacifica avanti Gregorio XV., *vuole la Minuta, che ſianò mantenuti li Fedeli*. E come queſta non è materia propriamente dogmatica, ha voluto ſpiegarſi con queſti termini di pacifica poſſeſſione, de'quali non ho dubbio, che li Papi averanno tale volta uſato nelle deciſioni delle controverſie forenſi, ſe bene io non abbi adeſſo alle mani il Bollario per vederlo. Ad ogni modo, forſi ſi contenterà ſua Santità, che ſi dica: *Fideles, ea, quam ex hoc percipiunt pia conſolatione privando, &, ut vulgari loquendi formula dici ſolet, ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando*.

E = Cur

E = *Cur de Cultu, Immaculatæ Conceptioni exhibito, dicatur in Conſtitutione:* In Eccleſia Romana, poſt ipſius inſtitutionem, nunquam immutato?

Num. 10. Vorrebbe M. Vizzani, che ſi levaſſe quello: *Non immutato:* per levare l'occaſione a Spiriti Malignanti, in riguardo all'alterazione fatta nella recitazione dell'Officio della Concezzione da Pio V.

Anzi io mi perſuado, che la Minuta abbia poſto queſta parola, *per torre* alli Spiriti Malignanti *l'occaſione di dire, che la Chieſa Romana ſia così inſtabile, che avendo celebrato*, almeno dal tempo di Sixto IV., *la Feſta nel ſenſo della Preſervazione, l'abbia poi mutato, quando Pio V. mutò l'Officio di queſto giorno*, come mutò gl'Officj proprj di S. Domenico, Benedetto, Viſitazione, Preſentazione della Madonna, ſenza mutare il Culto della Santità, o vero di quei Miſterj (alla margine vi è: Quì con il Signore Cardinale Roſpiglioſi aggiungere: *poſt ipſius Cultus inſtitutionem nunquam immutato.*) Come anco levò dal Calendario San Rocco, ſenza mutare opinione, anzi certo giudizio della di lui Santità, che fu canonizata nel Concilio di Coſtanza. *Non mutò la Chieſa Romana il ſuo Culto*, quando riduſſe queſt' Officio a quello della Natività, *mutato nomine*, come per Rivelazione Divina, fatta ad Elſino Abbate, fu ordinato allora, quando nell'Occidente cominciò queſta Feſta. Anzi come S. Tomaſo 3. *part. qu.* 27. *art.* 2. dice, che quella Santità, della quale la Chieſa fa le ſue Feſte, è una perfetta mondizia da ogni peccato. Mentre la Chieſa nell'Officio della Concezzione, meſſo da Pio V., dice così bene: *Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem*; come dice: *tuam Sanctam Nativitatem*; ne ſegue, *che quell'Officio fa così bene ſenza peccato la Concezzione*, come la Natività.

Num. 11. Quì torna la difficoltà delle parole: *Animæ infuſione, & Creatione, ſeu Conceptione*; come al *num.* 1 = Dico perciò, come diſſi quivi, che per torre ogni conteſa, dica così: *Animam B. M. V. in ſui Creatione, & infuſione, Spiritus Sancti gratia donatam, & a Peccato Originali præſervatam fuiſſe; nec non & in favorem Feſti, & Cultus, eidem Deiparæ, in die Conceptionis ejus, ſecundum piam iſtam Sententiam exhibiti.*

Num. 12. A M. Vizzani dà faſtidio l'Elogio di *pia*, che ſi dà alla ſentenza della Preſervazione; il che dà anco faſtidio a M. Hugolini, perchè queſt'Elogio, dicono, non è per anco ſtato dato da alcuno Pontefice a queſta Opinione. Crederei, che a difeſa di queſt'Elogio ſi poteſſe dire, che Siſto IV. nella Stravagante: *Cum præcelſa*; chiama *pia*, *devota*, e *lodevole* la diſpoſizione dell'Officio del Nogarolis, compoſto in onore della Preſervazione; Dunque è *pia*, *devota*, e *lodevole* queſt'opinione. Nè perciò ne ſegue, che l'opinione contraria ſia empia. Anzi vedo, che la Minuta giù a baſſo, per torre l'occaſione di una tale cenſura, dice, che non vuole, che ſia dannata d'empietà l'opinione contraria. Empietà, ed empio ſi dicono, parlando all'uſo delle Scuole, come diſtruttive della pietà &c. Ma ſe contuttociò, queſto Elogio non piace, ſi può levare dovunque ſi legge nella Minuta, ſenza che diſturbi il conteſto di eſſa.

Num. 13. Quella repetizione della voce *prætextu*, non mi darebbe faſtidio il laſciarvela; nemmeno mi darebbe faſtidio il levarla, e laſciare ſolo = *quavis occaſione*.

Num. 14. Può farſi, come quì ha notato M. Vizzani, aggiungendo anco ciò, che ha notato il Sig. Card. Corradi.

Num. 15. Non ſi è fatto menzione di Gregorio XV., perchè egli non poſe altre pene, che quelle de'ſuoi Predeceſſori: Non di Paolo V., perchè le pene quì aggiunte a quelle di Siſto IV. ſono tolte di peſo dalla Coſtituzione di Paolo V., e così mentre ſono poſte diſteſamente, non è ſtato di biſogno metterle alla groſſa, ſotto nome di pene di Paolo V.

Num. 16. Quell'aggiunta non è neceſſaria, dopo detto: *prohibemus:* ma per onorare l'Autore di queſta Annotazione, ſi può aggiungere dicendo: *Mandamus:* dove dice: *Decernimus*.

Num. 17. Quel divieto è di ſolo Siſto IV., parlando delle pene. Quanto alla menzione da farſi della Regina, Capitoli, Superiori di varie Religioni, e forſe anco de i Regni, che hanno ſupplicato; biſognerà ſentire la volontà di Sua Santità.

F = *Tenentur omnes Feſtum celebrare juxta piam Sententiam*.

Reſtarebbe da ſoddisfarſi ad uno ſcrupolo, propoſto da M. Hugolini: *Se dopo che ſarà fatta queſta Dichiarazione, che la Chieſa Romana celebra la Feſta ſecondo l'opinione pia; ſaranno tenuti tutti a ſeguire l'opinione pia*. Riſpondo, *che ſaranno tenuti*

Digitized by Google

nuti tutti a celebrare la Feſta ſecondo l'opinione pia; e nondimeno ſarà lecito di opinare, che la contraria ſia libera da ogni nota di Ereſia, di peccato mortale, e perciò anco di temerità; perchè così lo diſpone più a baſſo la Minuta. ***E queſte due coſe non repugnare tra di loro, ſi è moſtrato con Scritture a parte***, accennate di ſopra ***Num.*** 9.

A M. Hugolini non piace, che nella clauſola ***non obſtantibus***, ſi nominino li Cardinali. Ma queſta è tolta così, con queſta nominazione, dalla Coſtituzione di Pio V.

Le poſtille fatte dal Sig. Cardinale Roſpiglioſi poſſono tutte porſi utilmente. Una ſi potrebbe tralaſciare.

Alcune mutazioni fatte dal Sig. Cardinale Corradi poſſono in parte ſeguirſi, e parte non ſono neceſſarie. Nè Sua Eminenza le ha poſte tutte come tali, ma come più eſquiſite. Onde in luogo di ***quapropter***, ha mutato ***quare***; che lo deve avere riputato meglio, non pertanto neceſſario.

Num. 16. = *Ab Alexandro VII. approbatur Erectio Confraternitatis.* Triumphi *Conceptionis.*

ALexander PP. VII. = Ad perpetuam rei memoriam. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia Conventus FF. B. M. V. de Mercede, Civitatis Granaten., una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitas, ſub denominatione ***Triumphi Conceptionis*** B. M. V.... canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat... Nos... Dat. Romæ die 14. Januarii 1662.

A = *Ab eodem conceditur, per Decretum Sac. Rit. Congreg. ut anno 1662. Conceptionis Feſtum quibuſdam in locis ſpatio octo dierum ſolemniter celebretur.*

Neapolitana = SS. D. Noſter benigne inclinatus humillimis precibus Comitis de Andrade, e Comitibus de Lemos, Neapoli degentis, cujus Majores, Eccleſiæ S. Franciſci Xaverii, & Domus Societatis Jeſu Neapoli pii Fundatores extitere, ***ex ſpeciali gratia***, & ***hoc dumtaxat anno*** indulſit, ***ut*** in prædicta Eccleſia S. Franciſci Xaverii ***Feſtum Conceptionis*** BB. Virginis ***celebrari poſſit*** cum Miſſa ſolemni de Conceptione, cum Gloria, & Credo; ac infra ejuſdem Solemnia haberi Concionem de eadem Solemnitate ***per octo dies*** a die 8. ad 15. currentis menſis Decembris;

bris, etiam *in Feſtis duplicibus*, & *Dominica*, poſt Feſtum prædictum *recurrentibus*.... Præſens vero Decretum in Acta Congregationis Sac. Rituum Sanctitas Sua referri mandavit. Die 3. Decembris 1662.

B = *Una e Concionibus factis, occaſione ſimilis Feſtivitatis.*

Predica del Padre Franceſco Principato della Compagnia di Gesù, detta fra ſette altre, nelle Feſte dell'Immacolata Concezione della B. V. Madre di Dio, con pompa regia, e magnifica ſpeſa celebrate per ordine dell'Illuſtr. Senato della felice Città di Palermo, nel Vener. Convento di S. Franceſco, *coll'occaſione del nuovo Decreto* di Aleſſandro VII. Pontefice Maſſimo. Palermo, 1663. *P. Plazza pag.* 443.

C = *Clemens X. Magnæ Britanniæ Reginæ, per Decretum Sac. Rit. Congregationis concedit, ut Miſſa votiva SS. Conceptionis quolibet Sabbato in Regia ſua Cappella celebrari poſſit, pauciſſimis exceptis Sabbatis.*

Britanniæ : SS. D. Noſter Clemens PP. X., ad pias preces ſibi porrectas nomine Sereniſs. Reginæ Magnæ Britanniæ, benigne annuit, ut in Regia Cappella ſub invocatione Sanctiſs. Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ, ſita in ſuo Palatio Somerſetano, *qualibet die Sabbati* per annum, *etiam impedita Feſto duplici cujuſcumque claſſis*, celebrari poſſit Miſſa votiva SS. Conceptionis Immaculatæ V. M., *exceptis tamen diebus Sabbati Sancti, Vigiliæ Pentecoſtes*, nec non Vigiliæ, & Feſti SS. Nativitatis Domini, ſi venerit in Sabbato. Hac die 19. Julii, 1673.

Num. 17. = *Procurator generalis Conventualium Congregationi S. Officii recurrit contra quoſdam Inquiſitores, qui de novo* titulum Immaculatæ Conceptionis *imprimi nolebant.*

DIE 7. Martii 1668. fuit lectum in Sacra Congreg. S. Officii Memoriale Procuratoris generalis Minorum Conventualium, ſubſequentis tenoris. = Eminent., e Reverendiſs. Signori: F. Angelo di Sonnino Procuratore Gener. de' Minori Conventuali rappreſenta all'EE. VV., che li ſuoi Religioſi ſono gravati dagl'Inquiſi-

quiſitori, ed ultimamente da quelli di Parma, e di Bologna, quali proibiſcono alli loro Studenti di ſtampare *il titolo dell' Immacolata Concezzione*, eſſendo li medeſimi Studenti di Bologna nel Studio di tale titolo. Supplica perciò l'Oratore, che eſſendo già emanata la Conſtitutione di Aleſſandro VII. ſa. me., ſopra queſta materia, ſi degnino ordinare, che ſopra queſto titolo non ſiano moleſtati. *Et Deus &c.*

A = *Inquiſitor Bononienſis ab eadem Sac. Congr. quærit, utrum imprimi permittere debeat Theſes quaſdam, in quarum titulo aſſerebatur*, Solemniter, die 8. Decembris, celebrari ab omnibus Chriſtifidelibus Feſtivitatem Immaculatæ Conceptionis.

Fu anche riferita una lettera dell' Inquiſitore di Bologna, nella forma ſeguente = Eſſendoli ſtate portate da un Padre Minore Conventuale alcune Concluſioni da diſputarſi in pubblico, con queſto titolo = Theoremata Theologica... publicæ diſputationi propoſita Ceſenæ in Ædibus Seraphico P. S. Franciſco dicatis, anno 1667. menſe Decembris die 8., *in qua Solemniter celebratur ab omnibus Chriſtifidelibus Feſtivitas Immaculatæ Conceptionis B. M. V.* = Non li ha negato *l' Imprimatur*, ma ha chieſto tempo di ſentire i ſentimenti della Sag. Congr., come ne ſupplica per tutto quello che poteſſe occorrere per occaſione di tali Concluſioni.

B = *Lecta, & examinata Alexandri VII. Conſtitutione:* Sollicitudo; *fuit reſolutum, nihil contineri in dicto titulo, repugnans Conſtitutionibus Apoſtolicis.*

Supradicta autem die, Eminentiſſimi ſolum dixerunt: *Aſſeſſor referat Bullam ſa. me. Alexandri VII.* = Die vero 14. Martii ejuſdem anni 1668. Aſſeſſor ſupradictam Bullam legit in Sacra Congregatione, & conſiderato illius tenore, ſub forma ſequenti fuit reſolutum = *Reſcribatur Inquiſitori Bononiæ, quod in dictis Concluſionibus non continetur aliquid repugnans Conſtitutionibus Apoſtolicis: Idcirco illas currere relinquat. Idemque ſignificetur Inquiſitori Parmenſi.*

C = *Epi-*

Digitized by Google

C = *Epiſtola ſuper hoc Inquiſitori Bononienſi*, 17. *Martii ſcripta*.

Nel titolo delle Concluſioni, che ſono ſtate portate a V. R. dai Padri Minori Conventuali, perchè ne permetteſſe l'Impreſſione; non hanno queſti miei Signori viſto contenerſi coſa veruna repugnante alle Coſtituzioni Apoſtoliche; Onde V. R le potrà laſciare ſtampare *col titolo dell' Immacolata Concezzione*.

Num. 18. *Novena in honorem* Immaculatæ Conceptionis, *ab eadem Congregatione S. Officii examinata*, & *approbata*.

MOdo di pratticare una divota Novena ad onore *della Immacolata Concezzione* della gran Madre di Dio, per ottenere da eſſa ogni grazia più deſiderata.

Primieramente dovrà la Perſona divota cominciare, e finire queſta pia Novena col confeſſarſi tanto la prima, quanto l'ultima giornata *ad onore dell' Immacolata Concezzione* della SS. Vergine, per cominciarla, proſeguirla, e terminarla con purità di cuore, propria della limpidezza di un tanto Miſtero.

Secondo, ogni mattina di queſta Novena, nel levarſi dal letto, e nell'andarvi la ſera, dovrà alzare la mente alla puriſſima Madre di Dio, e recitare un Salve Regina *a gloria di quel primo iſtante fortunatiſſimo della ſua Immacolata Concezzione*, rallegrandoſi con eſſa di sì ſingolare privilegio.

Terzo, dovrà ſentire in ciaſcuno de' detti giorni la Santa Meſſa con particolare divozione alla Cappella *dell' Immacolata Concezzione* di eſſa SS. Vergine, recitando in quel tempo in lode di eſſa quelle Orazioni, a cui la tenerezza del ſuo affetto la renderà maggiormente inclinata.

Quarto, procurerà ne' ſuddetti giorni, a contemplazione che la SS. Madre di Dio fu ſempre ornata di grazia *fino dal primo iſtante della ſua Immacolata Concezzione*, di fare particolare ſtima della grazia di Dio, e di porre ogni ſtudio di non perderla con offeſe contro di eſſo; e per tale effetto dovrà eſercitarſi in Atti più frequenti di mortificazione, o interna, o eſterna, come più le ſuggerirà la ſua divozione.

Quin-

Quinto, potrà per ultimo, di tempo in tempo ricordare con divoto e confidente affetto alla SS. Vergine la grazia che deſidera, con la ſeguente Orazione.

Memorare, o piiſſima, & Immaculata Virgo, non eſſe auditum a Sæculo, quemquam ad tua currentem præſidia, tua implorantem auxilia, tua petentem ſuffragia, eſſe derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te recurro, coram te gemens peccator aſſiſto: Noli, Mater Verbi, verba mea deſpicere, ſed audi propitia, & exaudi = In Conceptione tua, Virgo, Immaculata fuiſti: Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti = Immaculata Mariæ Virginis Conceptio ſit nobis ſemper ſalus, & protectio. = Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

22. Auguſti 1673. P. Magiſter S. Palatii Apoſtolici videat, & referat.

Die 20. Septembris 1673. Reſcribatur Inquiſitori (Papiæ) ut permittat impreſſionem Folii, cui titulus = *Modo di pratticare una devota Novena ad onore della Immacolata Concezzione della gran Madre di Dio.*

Num. 19. = *Innocentius XI. Imperatori Leopoldo ſcribit, prohibitum non fuiſſe Immaculatæ Conceptionis Officium* Sicut lilium.

INnocentius PP. XI. = Chariſſime in Chriſto Fili . . . Superioribus menſibus prohibitum fuit Officium quoddam de Immaculata Conceptione BB. Virginis, quia Indulgentiam apochrypham continebat, & falſo aſſerebatur, a fel. mem. Paulo V. Prædeceſſore noſtro approbatum fuiſſe, aliiſque de cauſis, quibus conſulere oportuit, ne Fideles Populi deciperentur. Sub ea autem prohibitione non comprehenditur illud Officium, quod ab antiquiſſimo tempore, hujus Sanctæ Sedis permiſſu, in Eccleſia recitatur. Neque enim &c. Dat. Romæ 18. Decembris 1678. *P. Plazza pag.* 447.

A = *Correctiones factæ in Officio parvo, quod prohibitum fuerat.*

Officium parvum Immaculatæ Conceptionis, prohibitum anno 1678., correctum fuit anno ſequenti a quinque Sancti Officii Conſultoribus, ut ſequitur = In Invitatorio dicebatur = Eia mea

labia nunc annuntiate laudes & præconia Virginis *Beatæ* = Mutatum fuit: Virginis *Immaculatæ*. In Hymno ad Matutinum habebatur: Salve plena gratia, clara *lux divina:* fuit correctum: Clara *luce divina*: In eodem habebatur: Te pulchram ornavit ſibi Sponſam, *in qua Adam non peccavit:* mutatum fuit: *quæ in Adam non peccavit*. In Verſiculo dicebatur: Domina *exaudi* Orationem meam: correctum fuit: Domina *protege* Orationem meam. In Oratione habebatur: Ut qui nunc *tuam Sanctam Conceptionem* devoto affectu recolo: Fuit poſitum: Ut qui nunc tuam Sanctam, & *Immaculatam* Conceptionem. Ad Primam in Verſiculo habebatur *ex Eccleſiaſt. c. 1. v. 9.* Ipſe creavit illam, in Spiritu Sancto, & *effudit illam ſuper omnia opera ſua:* Mutatum fuit: & *exaltavit illam inter omnia opera ſua*. In commendatione poſt Completorium dicebatur: Supplices offerimus tibi, Virgo pia, *has horas canonicas:* Fuit mutatum: *Hæc laudum præconia*.

Num. 20. = *Decreta, quibus Sac. Rit. Congregatio, ab anno* 1720., *uſque ad* 1746., *conceſſit Officium Conceptionis, Sabbatis non impeditis, cum expreſſione* Immaculatæ, *vel*, Sanctiſſimæ Immaculatæ Conceptionis *B. M. V.*

EGitanien. = Humillime Sac. Rit. Congregationi ſupplicantibus Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Egitanien. pro Indulto ab ipſis inpoſterum recitandi ſingulis Sabbatis .... Officium *SS. Immaculatæ Conceptionis* B. M. V., Sacra eadem Rit. Congregatio .... petitam gratiam ... concedendam eſſe cenſuit. Die 28. Novembris 1722.

Polonæ = Ad pias, enixaſque preces, nomine Sereniſs. Regis Poloniæ porrectas, & in Sac. Rit. Congreg. relatas; S. eadem Rit. Congr. Officia, nempe SS. Sacramenti pro ſingulis feriis quintis non impeditis, & *SS. Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. pro ſingulis Sabbatis pariter minime impeditis... ab omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur, in univerſo Regno Poloniæ, ac in Provinciis ipſi annexis inpoſterum recitari, & Miſſas reſpective celebrari poſſe indulſit, atque conceſſit, ſi SS. D. Noſtro viſum fuerit. Die 17. Maii 1732... & Sanctitas Sua benigne annuit. Die 31. ejuſdem.

Congregationis Somaſchæ: Porrectis a P. Joſepho Cajmo Procuratore generali Congregationis Somaſchæ, nomine ſuorum Religio-

ligioſorum, humillimis precibus, quibus pro Indulto recitandi ſingulis Sabbatis Officium, & Miſſam *Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. enixe ſupplicatum fuit ... Sacra eadem Congregatio ... benigne indulſit, ut ... ab omnibus Religioſis Congregationis Somaſchæ officium *Immaculatæ Conceptionis* .... recitari poſſit, & valeat. Die 11. Julii 1739.

Ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Piſis: 7. Auguſti 1723.
Ordinis Clericorum Regularium Minorum: Eadem die.
Machaen in Indiis Occidentalibus: 15. Septembris 1725.
Clericorum Regularium S. Pauli: 24. Novembris 1725.

Burdigalen.: 3. Aug. 1726.	*Friſingen.:* 8. Martii 1738.
Treviren.: Eadem die.	*Baſileen.:* 19. Julii 1738.
Goeſſen: 6. Septemb. 1727.	*Hollandiæ:* 29. Nov. 1738.
Ordinis Minim.: 10. Apr. 1728.	*Rhemen.:* Eadem die.
Salisburgen.: 9. Apr. 1729.	*S. Jac. Cubenſis:* 31. Jan. 1739.
Liparitana: 10. Dec. 1729.	*Derthonen.:* 5. Sept. 1739.
Januen.: 3. Martii 1731.	*Egittanien.:* 21. Jan. 1741.
Antequeren.: 11. Aug. 1731.	*Panormitana:* Eadem die.
Ord. Hieroſol: 17. Maji 1732.	*Apruntina:* 16. Sept. 1741.
Albinganen.: 21. Martii 1733.	*Pariſien.:* 15. Decemb. 1742.
Lucana: 28. Auguſti 1734.	*Apten.:* 29. Jan. 1746.
Naulen.: Eadem die.	

A = *Summi Pontifices per Decreta ejuſdem Sac. Congregationis eamdem gratiam conceſſerunt, & cum eadem expreſſione* Immaculatæ, *vel* Sanctiſſimæ Immaculatæ Conceptionis.

Gurgen = Ad humillimas preces Epiſcopi Gurgen, SS. D. N. Benedicto XIII. porrectas; Sanctitas Sua Oratori prædicto, ſingulis Sabbatis non impeditis.... facultatem inpoſterum recitandi Officium *SS. Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. ... benigne indulſit, atque conceſſit. Die 19. Junii 1726.

Urbevetana = SS. D. N. Benedictus PP. XIV., ad enixas, humillimaſque preces Epiſcopi, Cleri, & Magiſtratus Urbevetanæ Civitatis benigne indulſit, ut in eadem Civitate ... Sabbatis Officio novem Lectionum alias non impeditis, poſſint ſub Ritu ſemiduplici recitare Officium, & celebrare Miſſam de *Immaculata Conceptione* B. M. V. Matris Dei, Patronæ principalis dictæ Civitatis ... 22. Novembris 1741. Tt 2 *Ja-*

Jannen. = 13. Septembris 1727.
Cracovien. = 23 Januarii 1732.
Taurinen. = 13. Martii 1742.

A = *Eadem gratia ſub Ritu duplici Dominiis Cæſareæ Majeſtatis extra Italiam conceditur cum ſimili expreſſione.*

Omnium Dominiorum Cæſareæ Majeſtatis extra Italiam. D. N. Benedictus PP XIII., ad pias preces Cæſareæ Majeſtatis Caroli VI. benigne indulſit, atque conceſſit, ut ſingulis anni Sabbatis ... in omnibus Regnis, Dominiis, & Ditionibus, prædictæ Majeſtati ſubiectis, extra tamen Italiam, Officium *Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. ab univerſo illorum Clero Sæculari, & Regulari *ſub Ritu duplici* recitari, & Miſſa reſpective celebrari poſſit, & valeat. Die 15. Decembris 1727.

C = *Declarant Summi Pontifices, hujuſmodi gratias concedi* ad magis promovendam devotionem erga Immaculatam Conceptionem.

Taurinen. = Ad humillimas preces Capituli, & Canonicorum Eccleſiæ Collegiatæ S. M. de Scala, & Teſtana, Civitatis Montis-Calerii, Diœceſis Taurinen., SS. D. N. Benedictus XIV. *ad magis promovendam devotionem erga Immaculatam Conceptionem* B. M. V. benigne inclinatus indulſit, ut ſingulis Sabbatis minime impeditis... Officium proprium cum Miſſa *Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. ſub ritu ſemiduplici, a Capitulo, & Canonicis præfatæ Collegiatæ inpoſterum reſpective celebrari, & recitari poſſit, & valeat. Die 13. Martii 1742.

Num. 21. = *Decreta, quibus conceditur licentia cantandi Miſſam de* Immaculata Conceptione *Sabbatis Feſto duplici impeditis.*

O*Rdinis Minorum, Provinciæ Pietatis in Portugallia* = Provincialis, & Religioſorum Ordinis Minorum S. Franciſci, Provinciæ Pietatis in Regno Portugalliæ, Sac. Rit. Congregationi humillime ſupplicantium, quatenus ipſis facultatem celebrandi

di ſingulis Sabbatis Miſſam *Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. impertiri dignaretur; Sacra eadem Rit. Congregatio... indulſit, ut Miſſam eamdem *Immaculatæ Conceptionis* B. M. V., juxta petita, celebrare poſſint, & valeant. Die 7. Decembris 1737.

Cracovien. = 20. Maii 1741.

Ordinis Reformatorum S. Franciſci &c. = 20. Junii 1744.

Ordinis ejuſdem, Provinciæ Fluminis Jannarii = 23. Januarii 1745.

Vilnen. = 4. Septembris 1745.

A = *Alia, quibus cum eadem* Immaculatæ Conceptionis *expreſſione idem Officium ſub Ritu primæ claſſis conceſſum eſt.*

Tertii Ordinis S. Franciſci = Ad humillimas preces P. M. Fr. Pauli Dellomo, Procuratoris generalis Tertii Ordinis S. Franciſci, Sacræ Rit. Congregationi porrectas pro elevatione Officii *SS. Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. ad Ritum duplicem primæ claſſis.... Sacra eadem Rit. Congregatio, hujuſmodi inſtantiæ benigne annuendo &c. die 16. Februarii 1726.

Ordinis B. M. V. de Mercede = Humillimis precibus Rev. Patris Magiſtri Fr. Joſephi Mezquia, Generalis Ordinis B. M. de Mercede, Redemptionis Captivorum... Sacra eadem Congregatio... benigne indulſit, ut inpoſterum die octava Decembris, ab omnibus Religioſis univerſi præfati Ordinis, Officium proprium cum Miſſa *Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. ſub Ritu duplici primæ claſſis cum Octava recitari, & reſpective celebrari poſſit, & valeat. Hac die 28. Julii 1742.

Corduben. = 6. Septembris 1727.

Septen. in Africa = 24. Novembris 1731.

Meliten. = 6. Aprilis 1737.

Terulen. = Eadem die.

B = *Alia, quibus confirmatæ ſunt Electiones B. M. V. in Patronam*, ſub ſpeciali titulo Immac. Conceptionis.

Valentina = Porrectis... Sac. Rit. Congregationi humillimis precibus nomine Magiſtratus, totiuſque Cleri, ac Populi Oppidi de Oriniente, Valentinæ Diœceſis, pro confirmatione Electionis B. M. V. ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis* in Patronam unicam

Digitized by Google

cam, & principalem præfati Oppidi; Sac. eadem Congregatio... præfatam Electionem approbavit, atque Deiparam Virginem *ſub eo ſpeciali titulo Immaculatæ Conceptionis* uti Patronam unicam, & principalem ejuſdem Oppidi inpoſterum recoli, & venerari poſſe indulſit.... hac die 23. Januarii 1745.

Bovinen=Humillime Sac. Rit. Congregationi ſupplicantibus Clero, & Univerſitate Terræ Iliceti, Diœceſis Bovinen. pro confirmatione electionis B. M. V. *ſub titulo Immaculatæ Conceptionis*, & S. Franciſci de Paula in Patronos minus principales dictæ Terræ; Sac. eadem Congregatio eamdem approbavit, & B. M. Virgini *ſub titulo Immaculatæ Conceptionis*...., prærogativas omnes &c. Die 22. Auguſti 1744.

Beneventana=Die 22. Aprilis 1741.

Derthonen.=Die 3. Auguſti 1726.

C=*Alia, quibus conceſſum eſt Officium proprium* Immaculatæ Conceptionis.

Ordinis Servorum B. M. V.=SS. D. Noſter Clemens PP. XII. ad humillimas preces R. P. Magiſtri Fr. Petri Mariæ Pieri Generalis, & P. Magiſtri Fr. Joſephi Mariæ Curti Procuratoris generalis Ordinis Servorum B. M. V., Sanctitati Suæ porrectas, benigne indulſit, ut ab omnibus Religioſis, & Monialibus totius præfati Ordinis Officium proprium cum Miſſa *SS. Immaculatæ Conceptionis* tam in die Feſto, quam per totam illius Octavam, & ſemel in menſe, *prout in univerſo Ordine S. Franciſci* peragitur, inpoſterum recitari poſſit, & valeat. Die 26. Octobris 1730.

Baſileen.=19. Julii 1738.

Derthonen.=5. Septembris 1739.

Terulen.=28. Julii 1742.

Ordinis Equeſtris S. Georgii=23. Aprilis 1741.

Taurinen.=13. Martii 1742.

D=*Alia, favore* Immaculatæ Conceptionis *pariter emanata*.

Ordinis B. M. V. de Mercede=Officium proprium S. Petri Paſcaſii Epiſcopi... *Antiph.* 3. *primi Nocturni*.=Petrus, qui ſine labe Mariam in ſua Conceptione defendit, ſine macula eſt

ante

